IO. SALOM. BRVNQVELLI,

Potentiss. Magnae Britann. Reg. a Consil. Aul. Iur. Canon. in Academ. Goetting. Prof. Publ. ord. Facultat. iurid. Praesid.

HISTORIA IVRIS ROMANO-GERMANICI,

A PRIMIS REIPVBLICAE ROMANAE ATQVE GERMANICAE INITIIS AD NOSTRA VSQVE TEMPORA EX SVIS FONTIBVS DEDVCTA.

ET

IN VSVM AVDITORII ADORNATA.

ACCESSIT

DISSERTATIO PRAELIMINARIS DE LINGVARVM, PHILOSOPHIAE, ANTIQVITATVM, ET HISTORIARVM STVDIO CVM IVRISPRVDENTIA IVNGENDO.

EDITIO TERTIA,

prioribus multo auctior et castigatior, ac Vita celeberrimi Auctoris adornata.





AMSTELAEDAMI,
APVD FRANCISCVM L'HONORE' & FILIVM.
CIↃ IↃ CC XL.

PERILLVSTRI ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO
FRIDERICO
GOTTHILF
MARSCHALL
DICTO GREIFF,

EX EQVITIBVS FRANCONIAE, QVI PROXIME IMPERIO ROMANO GERMANICO SVBIECTI SVNT, DOMINO IN EINOED, ERLEBACH ET OSMANSTADIO, AVLAE SAXO-VINARIENSIS SVPREMO MARESCHALLO, CONSILIARIO SANCTIORI, CANCELLARIO, AERARII PROVINCIALIS PRIMO PRAEFECTO,

NEC NON

IN IVDICIO AVLICO IENENSI ASSESSORI AC SVMMAM PRAEFECTVRARVM ROSLAVIENSIS ET GEBSTADIENSIS ADMINISTRANTI,

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO.

PERILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME DOMINE.

SI innumeras animi ingeniique TVI dotes, & insignia in rempublicam pariter ac rem litterariam cogito merita: Michaëlis Hospitalii, Galliarum quondam Cancellarii prudentissimi iuxta ac doctissimi, recordor. Quemadmodum enim magnum atque excellentem hunc virum neque summi, quos consecutus erat, honores; neque publicorum negotiorum, quibus obrutus erat, moles ac magnitudo a litterarum studiis diuellere poterant, sed potius ille incredibilem suum erga musas earumque cultores affectum quauis occasione exprimebat, suisque curis atque consiliis id efficiebat, vt Bituricensium schola, sicut in Orbe Romano Berytiensis erat, mater & nutrix legum fieret, quod Francisci Duareni, Francisci Balduini, Hugonis Donelli, Francisci Hottomanni, & Iacobi Cuiacii, elegantioris iurisprudentiae luminum atque ornamentorum, qui, ipsius consiliis euocati, iura Romana caste, pure, cordate, sine fuco & fallaciis ibidem docuerunt, scripta satis testantur: ita has omnes Michaë-

chaëlis Hospitalii dotes atque virtutes in TE, PERILLVSTRIS ATQVE EXCELENTISSIME DOMINE, *cumulatas conspicio. Siue enim singularem, in expediendis magnorum principum negotiis, prudentiam* TVAM *ac indefessam diligentiam, quae* TE *tamen a litterarum studiis alienum haud efficiunt, cogito; siue raram eruditionem, summamque in eruditorum coetum propensionem apud animum mihi propono; siue denique ad solicitudinem atque curam, quam non tantum pro conseruando, sed & augendo ornandoque hoc Musarum sacrario quauis occasione impendis, animum attendo; talia haec omnia sunt, vt non tam Michaëlis Hospitalii, Galliarum illius Cancellarii vndiquaque celebratissimi, virtutes atque merita exaequare, quam longe superare videantur. Sicuti autem in eorum me esse numero, quos pro excelsa animi* TVI *virtute ac singulari humanitate lubenter suscipis, dataque ornandi occasione, ornas cumulate, honori mihi semper duxi: ita omnes meas hucusque cogitationes, curas, omniaque studia ad id direxi, vt publice, quantum* TIBI *debeam, & quo animi submissione* TVVM *agnoscam fauorem, declarare, simulque* TVO *præsidio etiam in posterum me meaque studia commendare possem. Offero itaque* TIBI, PERILLVSTRIS

 AT-

ATQVE EXCELLENTISSIME DOMINE, paruum hunc libellum, non vt id, quod TIBI debeo, perſoluam, ſed quo deuota huius opuſculi inſcriptione publicum aliquod meae in TE obſeruantiae ac ſingularis pietatis ſtatuam monumentum. Accipe ergo hunc libellum, qui, vt vides, perilluſtris nominis TVI patrocinio in publicum iam prodit, ea, qua ſoles benignitate atque beneuolentia, cetera quae a perilluſtris Nominis TVI cultoribus proficiſcuntur, & certo TIBI perſuade, me nihil unquam, quod ad nominis TVI gloriam amplificandam, atque gratiam, qua me hucusque proſequi non dedignatus es, promerendam faciet, intermiſſurum eſſe. Ceterum pro TVA, perilluſtrisque TVAE familiae incolumitate ardentiſſimas preces facio, meque ac mea ſtudia TIBI humillime commendo

PERILLVSTRIS TVI NOMINIS

deuotiſſimus cultor

IO. SAL. BRVNQVELL, Ict.



PRAEFATIO NOVA.

EN tibi, L. B. nouam, et, ſi numeres, tertiam editionem *Hiſtoriae iuris ciuilis Romano-Germanici*, quam in vſus academicos conſcripſerat ICtus, dum uiueret, illuſtris atque celeberrimus, IOANNES SALOMO BRVNQVELLVS, *Potentiſſimi Magnae Britanniae Regis atque Electoris Brunſuicenſis et Luneburgenſis a Conſiliis Aulae, in illuſtri Georgia Auguſta Iuris Canonici Profeſſor P. O. et Iuridicae Facultatis Ordinarius.* Is * vitam hanc ingreſſus eſt Quedlinburgi a d. XXII. Maii CIↃIↃCLXXXXIII, patre

* Verba ſunt viri celeberrimi, Io. MATTHIAE GESNERI, ex *Programmate funebri*, nomine GOTTL. SAM. TREVERI, Reg. Acad. Goetting. tunc temp. Commiſſarii, publicato, *pag.* 4. *ſeqq.*

patre Io. HENRICO, qui cum in Gymnaſio illius urbis bonas litteras diu, fideliter, et cum fructu docuiſſet, decimo huius ſaeculi anno diem ſuum, quatuor ſupra quinquaginta annos natus, obiit: matre autem BARBARA DOROTHEA, gente MICHAELIORVM honeſta et nobili in ea vrbe, quae anno demum cIↃIↃCCXXVIIII. ſexagenaria maior e vita diſceſſit. Educatus cum cura, et litteris humanioribus imbutus, tum a patre, tum praeſertim a TOBIA ECKHARDO, Rectore ludi illius, viro docto ſane, et ingeniorum formatore feliciſſimo. Harum litterarum amorem atque vſum cum in Ienenſem Academiam attuliſſet, quod factum eſt a. cIↃIↃCCXII, tanto faciliorem felicioremque ſeueriorum ſtudiorum curſum habuit. Contigerunt illi Doctores haud vulgares, qui praeclaram indolem, et ad ſumma quaeuis iam per ſe nitentem

tem incitarent subleuarentque. In his primum ipse laudabat virum excellentis doctrinae atque famae, Io. Iacobvm Syrbivm, qui felicissimo connubio vetera cum nouis coniungens, solidam et notionum et doctrinarum philosophicarum cognitionem illi propinauit. Hanc auxit deinde Ephraimvs Gerhardvs, subtilis et ingeniosus doctor, tum naturalis iuris cum philosophia reliqua, tum ciuilis etiam, paullo post Altdorffium, et deinde ad alteram vitam euocatus. Historias enarrantem audiuit illustrem et dignitate et meritis virum, B. C. Strvvivm, itemque Barthol. Reichardvm, bibliothecae tum praefectum, amoenissimo ingenio et excellenti historiarum et iuris publici notitia virum. Dedit etiam operam non perfunctoriam placidissimi ingenii et vere philosophici, doctrinae autem summae, viro Gottl. Stollio,

per litterariae hiſtoriae, in qua regnat, campos et amoena vireta auditores ſuos iam tum ducenti, et MARTINO SCHMEIZELIO, terrarum deſcriptionem et inſignium artem tradenti. Quae ab his acceperat magiſtris BRVNQVELLVS, ea ad princeps inſtitutum ſuum, hoc eſt, ad vniuerſi iuris diſciplinam tum percipiendam melius, tum elegantius exornandam, retulit omnia. Huic enim, felici et ſalutari Germaniae fato, ſe totum tradiderat, et praeter GERHARDVM modo laudatum, celeberrimos tum Anteceſſores, SLEVOGTIOS, WILDVOGELIOS, FRISIOS, SCHROETEROS, vita functos omnes, audiebat; praeter caeteros autem grauem annis, honoribus, meritis, atque illuſtrem virum, GVILIELMVM HIERONYMVM BRVKNERVM, quem teſtem primò diligentiae ſuae atque doctrinae, mox dignitatis auctorem, et ſocerum denique ha-

habuit. Ab his cum percepiſſet iuris diſciplinam BRVNQVELLVS, ſatiari tamen ſitis ipſius non potuit, ſed triennio integro Ienae exacto Lipſiam ſe contulit, non mercium magis aliarum, quam humanitatis, elegantiarum, doctrinae omnis emporium, ibique LVDERI MENKENII, FRID. PHILIPPI, excellentiſſimorum hominum, quorum floret diuque florebit memoria, itemque CAR. OTTON. RECHENBERGII, qui nunc, praeter reliqua maxima decora ſua atque nomina, primus Anteceſſor, et ordinarius facultatis iuridicae praeſes eſt; horum igitur ingeniis et doctrinis facultatem, quam ſibi Ienae comparauerat, ita auxit, vt in patriam reuerſus explicare illam et ad opem periclitantibus ferendam magno cum ſucceſſu adhibere inciperet. Scilicet hoc ſibi theatrum futurum, putabat BRVNQVELLVS, hoc ſtadium, in quo decurreret. Sed vi-

visum erat Deo in illustriori longe statione collocare virum rebus maximis parem, eiusque consilii sui expediendi hanc quasi viam tenuit. HENRICVS CASPAR *ab* VSLAR. iuuenis tum et genere et ingenio florentissimus, in Academiam Ienensem mittebatur anno saeculi septimo decimo. Illi cum quaereretur comes idoneus, inueniri non potuit nostro praestantior. Hanc igitur occasionem nactus non recoluit tantum iuris studia, sed ipse quoque docendis priuatim aliis vires suas expertus est, et auxit egregie. Quo facto consilium cepit dignitatis academicae petendae atque consequendae. Neque ea in re difficultatis quidquam fuit; cum is esset BRVNQVELLVS, quem cupidissime ornaret illustris ICtorum ordo, et magnum inde sibi ornamentum conciliatum iri praesagiret. Cursoriam, quam vocant, lectionem in *L.* 17. *C. de pact.* ha-

habuit a. d. XVIIII. Sept. cIↄIↄccxviii. publice autem renunciatus doctor est a. d. VI. Febr. cIↄIↄccxx, a quo inde tempore coetus priuatos iuuenum doctrinae ipsius cupidorum, disputationes item publicas eo successu habuit, ut tribus interiectis annis tam spectata virtus praemio insigni digna iudicaretur, et ipse curiae prouincialis Saxonicae aduocatus ordinarius, tum post aliquanto Professor iuris extraordinarius a serenissimis Ienensis academiae nutritoribus esse iuberetur. Hic vero campum nactus amplissimum, dotes ingenii ac doctrinae thesauros hinc auxit praeclare, cum rebus in foro gerendis quotidie operam daret, hinc cum aliis feliciter communicauit. Itaque anno saeculi vigesimo octauo scabinorum, quos vocant, collegio, rebus litibus iudicandis, adscriptus, et biennio post ordinaria iuris professione, et loco inter curiae

pro-

prouincialis Saxonicae adſeſſores auctus eſt, quibus ornamentis acceſſit anno trigeſimo tertio illud, ut a ſereniſſimis, Saxoniae Ducibus, Gothano atque Iſenacenſi, conſiliarii aulici dignitas ipſi conferretur. Quo plauſu ipſum inter haec non iuuentus tantum academica exceperit, qua in re error non numquam aliquis intercedere poteſt; ſed quam probatus etiam ſapientibus viris et longo uſu rerum prudentibus fuerit BRVNQVELLVS, tum alia plurima documenta exſtant, tum vnum maximum atque certiſſimum, quod cum Potentiſſimus Rex noſter, huic Academiae dari vellet virum et docendi iuris et dicendi peritiſſimum, qui auctoritatem conciliare nouae ſcholae, et allicere cupidam legum iuuentutem poſſet; hunc ipſum commendarunt proceres illuſtriſſimi ſapientiſſimique. Quae res Auguſto menſe ſuperioris anni perfecta

cta

ēta ita feliciter nobis ceſſerat, vt veniret ad nos Kalendis Martii, quo die quanta alacritate veſtra, ciues, exceptus, quantum modeſtia veſtra delectatus fuerit, recordamini; vt gubernacula etiam Academiae nouae a. d. VIIII. Aprilis ſuſciperet; vt humanitate ſua et ſapientia omnes ſibi, tum collegas, tum ciues Academiae mirifice deuinciret; vt luculentum numerum eorum nobis iuuenum alliceret, qui vel a generis dignitate, vel ab ingeniorum praeſtantia flos Germaniae ſuo iure appellari poſſunt; vt nihil non felicis ſucceſſus in poſterum a ſpectata viri prudentia, doctrina, gratia, omnes merito exſpectarent. Heu! recrudeſcit dolor! Sed conſtanter, quae ſuperſunt, peragamus: quamquam difficile eſt ſine lacrumis nominare emendatiſſimi moris, et piam ad exemplum matronam SIBYLLAM CATHARINAM, viri, quem ante iam lau-

laudauimus, illuſtris, GVIL. HIERON. BRVKNERI, Anteceſſoris primarii Ienenſis, et conſiliarii aulae ſereniſſimorum Saxoniae Ducum, filiam. Hanc enim ſibi BRVNQVELLVS, virgo quae eſſet parentum ſuorum et ſua virtute commendatiſſima, expetiuerat coniugem, et obtinuit a. d. XXV. Aug. cIↃIↃCCXX. Hanc fidiſſimam vitae ſociam ab eo tempore habuit, in eius commoditate, et placidiſſimis moribus, poſt labores moleſtiasque ſuauiter acquieuit; ex hac liberos ſuſcepit patriarum auitarumque virtutum, quod auguramur, heredes, IOANNEM HIERONYMVM SALOMONEM, CHRISTINAM DOROTHEAM, GVILIELMVM SALOMONEM, et IOANNEM ADOLPHVM. Hanc adflictiſſimam nunc turbam, et fauore omnium digniſſimam, tanto minus vel hominum beneuolentia, vel diuino adeo auxilio carituram ſperamus, quo enixius ela-

elaborauit, dum potuit, quem lugent maritus atque pater, vt plurimae vel viduae mulieres, vel orbi parentibus liberi, in ipſo paratum haberent praeſidium, et ipſo tutore vel curatore incolumitatem ſuam retinerent; quo ſtudioſius integerrime atque ſapientiſſime reſpondendo, iuſtiſſimisque ferendis ſententiis, opem oppreſſis quamplurimis tulit, atque adflictos ſubleuauit. Qua quidem in re, hoc eſt in iure caſte atque ſapienter dicendo, et reliquis publicorum priuatorumque munerum laboribus adeo ſibi non pepercit, vt iam a ſatis longo tempore ſuccumbere interdum laboribus nimis grauiter incumbentibus machina corporis videretur, et ſollemnibus fere morbis quotannis laboraret. Itaque ſunt inter nos, qui commemorantem audierunt, hanc ſibi inter praecipuas cauſſas fuiſſe migrationis in hanc Academiam ſuſcipiendae, vt per hanc occaſionem laboris aliqua parte leuatus reſpirare aliquantum, et

nouam quaſi uitam paullo minus laborioſam poſſet ingredi. Affectum ſane corpus Iena ipſum extuliſſe, et illa gratulatio indicat, qua auditus eſt laetari, quod egredi domo poſſet, non ſupinus exportaretur; et bona medicamentorum copia, quam huc ſecum attulit, quaque primo tempore vſus eſt. Sed, quod modo dicebamus, plane ſibi aliisque reſtitutus videbatur, et vigorem omnem priſtinum recepiſſe, ipſa etiam adflictiſſima nunc coniuge admirante ſubitam in melius mutationem. Verum enim vero ſub finem menſis Maii febre correptus eſt tertiana cum bilioſo vomitu et doloribus colicis. Ea porro febris poſt paroxyſmos aliquot in continuam tranſiit, vehementem, cum purpura rubra pariter et alba, euaneſcentibus ſubinde, nulla, de qua conſtat, occaſione data, exanthematibus. Inter haec anxietates ſummae exagitabant praecordia, non ſine metu ſuffocationis; vl-

timis

timis diebus ſpaſmi accedebant; ſenſuum hinc retuſa acies, hinc conuulſiones, et vndecimo morbi die mors placidiſſima, cui fruſtra intercedere praeſtantium medicorum cura conata eſt. Senſerat ipſe nihil ſibi humanae opis, temporis autem parum ſupereſſe. Itaque ad ſpem alterius vitae erigi ſe caeleſti epulo, domi per S. R. ſacrorum apud nos antiſtitem PRAETORIVM adminiſtrato, voluit, atque aliis de rebus, quae poſt mortem ſuam vellet fieri, conſtituit; animamque immortalitatis ſemper adpetentem parenti animarum atque ſeruatori vnico reddidit, vno ante impletum annum ſecundum atque quadrageſimum die, hoc eſt a. d. XXI. Maii, CIↃIↃCCXXXV, hora tertia pomeridiana. Mortales exuuiae a. d. XXIII. Maii in templi academici cryptam ſunt illatae. Funeris honos a. d. XV. Iun. defuncto hora II. regio iuſſu, eo apparatu, quem dignitas viri in acade-

 mico

mico magiſtratu defuncti poſtulat, habitus eſt: quem habendum ciuibus academiae Programmate funebri nomine GOTTL. SAM. TREVERI publicato publice indixit vir celeberrimus, IO. MATTH. GESNERVS, cuius verba non alia de cauſſa noſtra fecimus, quam quia coniunctiſſime cum defuncto noſtro vixit, adeoque optime de eo teſtari poterit, in cuius honorem quoque panegyricum publice dixit eodem die XV. Iunii, quo demonſtrauit, BRVNQVELLVM noſtrum ICtum bonum, bonum ciuem, bonum denique litteratae ciuitatis rectorem fuiſſe. De eius eruditione teſtantur varia ſcripta, quae ſub Diſſertationum, Proluſionum, Librorum vel Praefationum titulo publici iuris fecit, quorum iam indicem dabimus.

I. DISSERTATIONES.

1) *De criminum abolitione*, praeſide EPHR. GERHARDO, Ienae 1714.
2) Inauguralis *de Codice Theodoſiano, eiusque in Codice Iuſtinianeo vſu*, praeſide GVIL. HIERON.

RON. BRVKNERO, Ienae 1719.

3) *De conditione: si non nupserit, vltimis voluntatibus adiecta*, Ienae 1722.

4) *De processu arresti ad effectum sistendi*, Ienae 1725.

5) *De processu inhibitiuo in foris Saxonicis*, Ienae 1726.

6) *De adquisitione dominii ex lege, seu, quae fit ipso iure*, Ienae 1729.

7) *De diuerso patroni ecclesiastici et laici iure*, Ienae 1730.

8 *De variis iuris patronatus adquirendi modis*, Ienae 1731.

9) Inauguralis *de ratione dicti testium*, Ienae 1732.

10) Inauguralis *de vsu fructu mariti in rebus vxoris, moto super illius bonis concursu creditorum, cessante*, Ienae 1732.

11) Inauguralis *de iure patronorum honorifico primario, nimirum iure repraesentandi*, Ienae 1733.

12) Inauguralis *de pictura famosa, et de specie iuris Germanici, pacto nimirum, quo maiores nostri sub pictura famosa*, bey ſtraffe des ſchandgemaehldes, *sese obligarunt, occasione Recessus imperii de anno* 1577. *tit.* 35. §. 7. Ienae 1733. Recuſa ibidem 1734.

13) Inauguralis *de feudo Keminatae, vulgo Kemnad*, Ienae 1734.

14) Inauguralis *de vtilibus patronorum iuribus, ex corrupto ecclesiae significatu natis, parum vel plane non vtilibus*, Ienae 1734.

II. PROLVSIONES et PROGRAMMATA.

1) *Eroeffnete Gedancken von dem Deutſchen Stadt- und Land-recht, und deſſelben nothwendigen*

excolirung, Ienae 1720, 8.

2) *Eroeffnete Gedancken von dem allgemeinen Staats-rechte, und dessen hoechstnuzlichen excolirung, Ienae* 1721, 8.

3 Prolusio academica *de vtilitate ex diligenti comparatione omnium eiusdem inscriptionis in Digestis capitum capienda, deque huius artificii inuentoribus atque promotoribus*, Ienae 1724.

4) *De sectis et controuersiis iuris Iustinianei interpretum, quos glossatores adpellamus*, Ienae 1725.

5) *De retractationibus veterum ICtorum, quorum fragmenta in Digestis supersunt*, Ienae 1726. recus. Lipsiae 1738.

6) *De ICtis erciscendis siue miscellionibus, quorum fragmenta in Digestis supersunt*, Ienae 1728.

7) *De praecipuis solidioris iuris prudentiae impedimentis*, Ienae 1728.

8) *De variis veterum legibus suis sanctitatem auctoritatemque conciliandi modis*, Ienae 1729.

9) *De sollemnibus in executione, sententiarum capitalium a Romanis adhibitis*, Ienae 1733.

10) *De pictura honesta et vtili*, Ienae 1733.

11) Programma, *quo priuilegium Saxonicum* de non adpellando *etiam querelam nullitatis, supplicationem, similiaque remedia ad summa Imperii tribunalia excludere ostenditur*, Ienae 1734.

12) *De vsu linguae Germanicae veteris in studio iuris feudalis Longobardici*, Ienae 1734.

13) *De iuribus patronorum vtilibus spuriis*, Ienae 1734.

14) *De Digestis secundum indicem* Iacobi Labitti *aliorumque κατὰ πλάτος et verbotenus excudendis*, Gottingae 1735.

15) Pro-

15) Prolusio, *qua in pugna iuris Germanici et Romani illud huic, in primis in caussarum illustrium decisionibus praeferendum esse, nisi huius receptio probetur, ostenditur*, Gottingae 1735.

III. PRAEFATIO.

INNOCENTII CIRONII Obseruationum iuris canonici libri V. cum Dissertatione praeliminari *de vtilitate ex historia atque antiquitatibus sacris in iuris prudentiae ecclesiasticae studio capiunda*, Ienae 1726, 4.

IIII. LIBRI.

1) *Historia iuris Romano-Germanici, a primis reip. Romanae atque Germanicae initiis ad nostra vsque tempora ex suis fontibus deducta, et in vsum auditorii adornata. Accessit dissertatio praeliminaris de linguarum, philosophiae, antiquitatum, et historiarum studio cum iuris prudentia iungendo*, Ienae 1727, 8. recusa Amstelodami 1730, 8. Mai. atque iterum ibid. 1738. ead. form. De qua tertia editione lectorem monemus, animaduersiones, quae eidem accesserunt, conscriptas iam esse circa initium anni 1733. neque post id tempus beatum auctorem exemplo suo aliquid adscripsisse, quod luce publica dignum, nos monuit V. C. CHRIST. GOTTL. BVDERVS.

2) *Isagoge in vniuersam iuris prudentiam*, Ienae in forma, quam vocant, maiori octaua typis mandari coepta. Optamus nos itidem cum humanissimo GESNERO, exsistere alium aliquem Appellem, qui capiti pulchro reliqua membra subiiciat.

Denique in animo noſter habuit eadem methodo, conſcribere *Hiſtoriam iuris canonici*, ut et *Elementa iurisprudentiae criminalis*, quibus tamen mortuo auctore carere cogimur. Attamen prioris libri detrimentum aliquo modo reſarcire poterit V. C. MASTRICHTII *Hiſtoria iuris canonici*, cuius exemplum ab ipſo Maſtrichtio inſigniter locupletatum poſſidet ludi Mindenſis in Weſtphalia Rector meritiſſimus, BRVNEMANNVS: poſterioris autem celeberrimi atque ICtiſſimi viri, IO. SAM. FRID. BOEHMERI *Elementa iurisprudentiae criminalis*, hoc ipſo anno Halae in forma octaua recuſa. Tu interim L. B. vale, atque noſtris bene de rep. litteraria merendi conatibus et in poſterum faue. Dabam Amſtelodami a. d. XXIIII. Aug. CIϽIϽCCXXXVIII.

BENEVOLO

LECTORI

S. P. D.

AVCTOR.

Ex eo tempore, quo animum ad iuris prudentiam tam discendam, quam docendam adplicui, atque illam eorum, quos sacratissimus imperator Iustinianus nobis reliquit, librorum συναγωγὴν euoluere coepi, magis magisque sensi, hanc suauissimam, vtilissimam, atque commodissimam, quaeque ad iurisprudentiae nostrae dignitatem proxime accedit, iuris interpretandi esse viam, si cum legum studio, praeter adcuratam ratiocinandi artem, historiarum atque antiquitatum notitiam coniungamus, atque legibus tam Romanis quam Germanicis ex ipsa status contemplatione lucem quandam affundamus, simul in earum originem, incrementa atque vicissitudines diligenter inquiramus. Cum enim sapientissimi etiam le-

gislatores, non ſimul et ſemel, quid aequum, quid iniquum, quid ciuitati vtile, quid noxium ſit, videant, et progreſſu temporis accidat, vt morum, perſonarum ac rerum mutatio, aut legum priorum emendationem, aut alias plane leges deſideret, quid legum ſtudioſo vtilius eſſe poterit, quam illarum origines, progreſſum et viciſſitudines perſcrutari, antiquas a recentioribus diſtinguere, et a quo, quando, qua de cauſſa lex lata ſit, probe inquirere? Ipſe ſacratiſſimus imperator IVSTINIANVS hiſtoriam teſtamentorum, fideicommiſſorum, codicillorum, aliorumque negotiorum in quatuor Inſtitutionum libris exponit, et *vt nihil antiquitatis penitus ignoretur*, monet *a*); taceo BALDVINVM, HANNIVM, EISENHARTVM, SCHVLTINGIVM, BARBEYRACIVM, viros non tantum ſingulari iuris cognitione, ſed et hiſtoriarum atque antiquitatum ſcientia poſteritati commendatiſſimos, qui inſignem hiſtoriarum in iuris prudentia vſum, harumque ſcientiarum neceſſariam coniunctionem peculiaribus ſcriptis docuerunt, atque probarunt. Eam enim FRANCISCVS BALDVINVS, quo nemo maiore diligentia, quantam iuris prudentiae Ro-

a) *Pr. Inſt. de teſtam. ordin.*

Romanae cultoribus adferat vtilitatem historiarum cum ſtudio iuris coniunctio, docuit, iuris prudentiae cum hiſtoria Romana et hiſtoriae cum iurisprudentia Romana perpetuam coniunctionem agnoſcit *a*), vt duas vnius veluti corporis partes indiuiſas eſſe putet, tamque indiuiſas, vt qui eas diuidant, vtramque corrumpere videantur; et, iure iis reſponderi poſſe, dicit, quod olim Caſcelius reſpondit mercatori, nauem cum ſocio communem diuidere deſideranti. Nec minus BARNABAS BRISSONIVS Romanae iuris prudentiae omnisque antiquitatis peritiſſimus, ac in tritura forenſi ſimul exercitatiſſimus ICtus, *magnam*, ait, *deſiderat omnino iurisprudentia rerum veterum memoriam, nec niſi ab eo, qui totius antiquitatis animo perceptam cognitionem habeat, digne, ac meretur, explicari poteſt b*). Quae cum ita ſint, non tantum ipſe, tum in editis ſcriptis, tum etiam in recitationibus meis iuridicis, hiſtoriam cum iuris ſtudio coniunxi, ſed et cupidae legum iuuentuti, vt coniunctiſſimas haſce diſciplinas non a ſe inuicem ſepararet, ſemper auctor ſuaſorque extiti, imo, quo eo magis illorum, qui opera mea qualicumque

in

a) In praefat. *Iurispr. Mucianae* praemiſſa.
b) In *epiſt. nuncupat. ad Libr.* I. *Antiqu. Rom.*

in iuris ſtudio hucuſque vſi fuerunt, vtilitatem pro virili mea parte promouerem, in peculiaribus collegiis hiſtoriam iuris Romano-Germanici, a primis vrbis initiis ad noſtra vſque tempora ex ſuis fontibus deductam, breuiſſimisque, quantum licuit, poſitionibus incluſam, in calamum dictaui, ſimulque, communicatis praecipuis et rariſſimis ſcriptis, fontes iuris prudentiae noſtrae limpidiſſimos auditoribus meis aperui, et quo, quaenam ſint legitimae ſcientiae ſubſidia, ſcirent, diſſertationem *de linguarum, philoſophiae, antiquitatum et hiſtoriarum ſtudio cum iuris prudentia iungendo* praemiſi. Et inde mihi ſubnata eſt haec hiſtoriae iuris Rom. Germanici delineatio, quam iam, ex fontibus ſuis erutam, et in vſum potiſſimum auditorii mei adornatam, publicae luci expono. Supereſt, vt paucis, quid in ea praeſtiterim, nunc indicem. Diuiſa eſt haec hiſtoria iuris Romano-Germanici in quatuor partes. In prima parte hiſtoriam iuris Anteiuſtinianei, nimirum legum Regiarum, XII. tabularum, iuris conſuetudinarii et formularii, legum, plebiſcitorum, edictorum Praetorum ac Aedilium, Senatusconſultorum, Reſponſorum ICtorum, Edicti Perpetui, Conſtitutionum imperialium,

nec non Gregoriani, Hermogeniani et Theodoſiani Codicum ex intimis antiquitatum tenebris euolui, ſimulque fontes, vnde illam hauſerim, indicaui, et textui ſubieci; in ſecunda parte hiſtoriam iuris Iuſtinianei, librorumque ad ius illud pertinentium, paullo exactius conſideratam, quam vulgo fieri ſolet, recenſui, ſimulque iuris Iuſtinianei virtutes, naeuos, ſubſidia, nec non varias, et quidem rariores Corporis iuris Iuſtinianei editiones indicaui; tertiam partem in duo diuiſi membra, quorum primum iuris Iuſtinianei fata in Oriente exponit, ſimulque accuratam conſtitutionum et librorum tam impreſſorum quam MSCtorum, ad ius Graecum pertinentium, recenſionem, nec non iuſtum de vſu et auctoritate iuris Graeci exhibet iudicium; alterum membrum iuris Iuſtinianei fata et viciſſitudines in Occidente ſiſtit, veras reſtaurati illius iuris in ſcholis Italiae occaſiones atque cauſſas aperit, diuerſam quinque ſcholarum, Irnerianae nimirum, Accurſianae, Bartolinae, Cuiacianae et Ramiſticae docendi ſcribendique methodum oſtendit, Decretiſtarum et Legiſtarum lites recenſet, et denique quando, ex qua cauſſa, quomodo et in quantum ius Iuſtinianeum in foris Germaniae receptum ſit, ſolide monſtrat,

digni-

dignitatemque iuris Iuſtinianei, contra diſſentientes et obtrectatores defendit; in quarta denique parte legum Germanicarum tam publicarum, quam priuatarum ſeriem et hiſtoriam a primis rei publicae Germanicae initiis ad noſtra vſque tempora narraui; et ſic toti operi finem impoſui. Fruere itaque hoc labore, *beneuole lector*, eumque aequo fer animo, et iuris Canonici atque eccleſiaſtici hiſtoriam, eadem methodo conſcriptam, nec non iuris prudentiam criminalem breui, ſi Deo viſum fuerit, expecta. Vale! Ex acad. Salana ipſis *Kal. Octobris ann.* cIɔ Iɔ cc xxvi.



PRAE-



AVCTORIS
PRAEFATIO NOVA.

SEcunda nunc, et quidem repetitae praelectionis historiae meae iuris Romano-Germanici in publicam lucem prodit editio; postquam enim, exemplaribus primae editionis, quae cIↄ Iↄ CC XXVI. hic loci prodiit, breui diuenditis, de noua eius editione bibliopolae Amstelodamenses agere mecum coeperunt, omnes meas curas atque cogitationes ad id direxi, vt emendatior auctiorque haec noua prodiret editio; possem equidem breuiter indicare, quid noua hac editione accesserit, sed accessiones haud exiguas esse, *beneuolus lector* ipse deprehendet, si singula huius libri capita, prout nunc oculis eius subiiciuntur, perlustrare atque cum illis in priori editione conferre velit. Quanto plus autem laboris atque curae impendi, vt nihil praetermitterem, quod ad augendam, ornandam atque emendandam hancce edi-

tio-

tionem aliquid afferre, arbitratus ſum; tanto magis ſpero, immo penitus confido, quin illa fauorem eorum, qui maſculam Iurisprudentiam ſectantur et fontes riuulis praeferre malunt, ſibi conciliet. Vale, beneuole lector, meisque ſtudiis fauere perge. Dabam *Ienae ipſis Kalendis Decembr.* cIↄ Iↄ cc xxviiii.



D I S-



DISSERTATIO PRAELIMINARIS

DE

LINGVARVM, PHILOSOPHIAE, ANTIQVITATVM, ET HISTORIARVM STVDIO CVM IVRISPRVDENTIA IVNGENDO.

§. I.

MAximam literarum, quæ ab elegantia & humanitate nomen habent, in omni ſcientiarum genere eſſe vtilitatem, omnes, qui non ex ſolo lucro diſciplinarum dignitatem æſtimant, ſed ad ſolidam rerum cognitionem adſpirant, intelligunt. *a*)

a) v. *Iacobi Perizonii* de vſu atque vtilitate græcæ romanæque linguæ, eloquentiæ, hiſtoriæ, antiquitatis in grauioribus diſciplinis oratio Lugduni 1693. dicta; *Arnoldi Drackenborchi* de vtilitate & fructu, qui ex humanioribus diſciplinis in omne hominum & doctrinarum genus redundat, Traiecti 1716. recitata, *Ioann. Georg. Grauii* Oratio: *Pro litteris*, dicta, quæ inter eius orationes, Delphis 1721. 8. editas, primo loco conſpicitur; *Alberti Schultens* Orat. pro humanitatis ſtudiis Franeq. 1720. & *Petri Burmanni* Oratio: *In humanitatis Studia*, Lugd. Batau. 1720. recitata, de cuius orationis fatis *Noua litteraria Germanica* eiusdem anni pag. 314. 376. 443. 823. & 826. legi poſſunt, nec non *Ioan. Henrici Kromayeri* Collegæ noſtri honoratiſſimi diſſertatio de literarum elegantiorum cultura in academia diligenter continuanda Ienæ 1717. publice ventilata.

§. II.

Hanc tamen vtilitatem in ſtudio iurisprudentiæ

 prope

prope infinitam esse, in id omnes, qui solidam ac masculam sectantur iurisprudentiam, conspirant. *

* v. *Nicolai Henelii* Discursus: Quomodo futurus ICtus variarum linguarum, scientiarum & artium doctrina recte sit instituendus, Berolini 1661. 12. edit. *Ioann. Werlhofs:* De arctissimo Jurisprudentiæ & ciuilium studiorum nexu, oratio Helmst. 1696. recit. *Menso Isingk.* De vinculo inter litteras humaniores & Iurisprudentiam Grœningæ 1699. dicta. *Iani Vincentii Grauinæ* de iurisprudentia oratio Romæ habita; *Laurentii Andreæ Hambergeri* de vtilitate ex humanioribus litteris in iurisprudentiæ studio capienda commentatio Ienæ 1714. cum *Grauina* origines iuris ciuilis interpretaturus esset, edita, & *Ephraim Gerhardi* de necessaria iurisprudentiæ cum philosophia & humaniori literatura coniunctione prolusio academica Altdorfi 1717. in publicum emissa, *Jac. Carmonii* diss. de Scientiis, quæ iurisprudentiæ studium potissimum adiuuant & exornant Rostoch. 1720. hab. & *Carl Christian Schramm:* De usu & necessitate humaniorum litterarum in Jurisprudentia Viteb. 1727. 8.

§. III.

Tanta enim est literis elegantioribus cum iurisprudentia affinitas, vt sine earum cognitione iurisconsultum neminem vnquam perfectum euasisse existimem *a*).

a) v. *Parladorius* in epist. ad filios: De ratione iuris discendi, in fine Lib. II. Rer. Quotid. *Ioannes Mercerius* Lib. I. Opin. c. 4. & *Val. Guil. Förster* de iuris interpret. Lib. 1.

§. IV.

Refero autem ad elegantiores literas iuris cultori scitu necessarias, exactam omnis philosophiæ tum rationalis, tum moralis cognitionem *a*, linguæ latinæ iuxta ac græcæ *b*), nec non antiquitatum & historiæ iuris romani notitiam *c*).

a) Unde recte *Quinctilianus* XII. Instit. Orat. 2. *Omnis iuris quæstio, ait, verborum proprietate, aut æqui disputatione, aut voluntatis coniectura continetur. Quorum pars ad* RATIONALEM, *pars ad* MORALEM PHILO-

SO-

SOPHIAM *redundat.* *b*) Belle *Ouidius* de harum linguarum cultura L. II. *De arte amandi* vers. 121. ait:
Nec leuis ingenuas pectus coluisse per artes
Cura sit, & linguas edidicisse duas.

c) v. *Hier. Eleni:* Quibus studiis intendere debeat, qui bonam operam Jurisprudentiæ nauare volet, oratio, quæ Lib. I. Diatribarum Si Exercit. ad ius ciuile Antuerp. 1575. edit. reperitur.

§. V.

Cum enim ius romanum non modo ex moribus Romanorum, sed e melioribus aliarum gentium institutis coactum sit, ac compositum, ut communis ratio moratiorum gentium esse videatur *a*): philosophiæ scientia iuris cultori tam necessaria est, ut qui a iurisprudentia romana eam diuelli posse existimet, idem petere, vt nauis cum socio diuidatur, mihi videatur *b*).

a) Hinc *Cicero* L. I. De Orat. Unum Legum XII. TT. libellum omnium Philosophorum bibliothecis anteponendum, & alibi: Jurisprudentiam non a Prætoris Edicto, ut plerique sua ætate faciebant, neque e Legibus XII. TT. sed penitus ex intima philosophia petendam esse, censet. v. *Merillius* L. I. obs. c. 1. *Freberus I.* Parerg. 1. *Burgius* Elect. c. 1. & *Petrus Petitus* IV. Miscell. Obs. c. 1. *b*) v. *Vberti Folietæ* de philosophiæ & iuris ciuilis inter se comparatione liber Romæ 1555. editus *Ludouicus Malquytius* de vera non simulata ICtorum philosophia, Paris. 1626. & Halæ 1727. 4. cura Illustr. *Gundlingii* recus. *Ernstius* & *Brandius* de vera & simulata iurisconsultorum philosophia, *Ioachimus Hopperus* de vera iurisprudentia, ut & *Euerardi Ottonis* de vera non simulata ICtorum philosophia oratio Traiecti 1722. habita.

§. VI.

In primis autem veterum philosophorum placita refert cognoscere, cum multa philosophiæ Platonicæ, Epicureæ *a*), Peripateticæ & Stoicæ præ ceteris vestigia in iure nostro impressa sint, quibus ratio constare non potest, nisi ad auctores suos referantur *b*).

a) Licet ad Epicuri etiam sectam multi Romæ adolauerint: inter ICtos tamen paucissimi fuerunt huius sectæ addicti, unde *Cicero* VII. ad fam. epist. 12. quam maximè Trebatio ICto hanc sectam dissuadet. Unicus Alphenus Epicureus fuisse videtur, dum Epicureorum dogma in L. 76. D. de Iudic. de atomis proponit. *b*) Optimè hoc *Guilielmus Douiatius* & *Marquardus Freberus* intellexerunt; unde prior, *in Enarrationibus in responsa ICtorum naturalia*; posterior vero, *in Decisionibus Areopagiticis*, quas una cum Malquytio *Gundlingius* Halæ 1727. 4. prælo iterum subiecit, ex horum Philosophorum placitis responsa prudentum luculenter exposuerunt, multisque iuris controversiis lucem affuderunt.

§. VII.

Peccare quidem illos, qui in ius Romanum multa ex Stoicorum placitis fluxisse statuunt, *Paganinus Gaudentius a*) contendit, verum a Stoicis ICtos romanos fere esse imbutos *Iacobus Cuiacius*, *b*) *Edmundus Merillius*, *c*) *M. Aurelius Galuanus*, *d*) *Ioan. Schilter e*) aliique probe animaduerterunt.

a) in libro, de philosophia apud Romanos initio & progressu cap. 43. recensionem huius libri in Obseruat. Hall. Tom. VII. obs. 9. inuenies. *b*) Lib. 26. obs. cap. 40. *c*) lib, 1. obseruationum. *d*) in dissertat. de usufructu cap. 1. *e*) in manuductione philosophiæ moralis ad iurisprudentiam.

§. VIII.

Quare cum cura euoluendi sunt illustris *Ioan. Philipp. Sleuogtius*, *a*) *Iustus Henning. Bohmerus*, *b*) *Euerard Otto*, *c*) *Cornelius van Eck*, *d*) *Io. Samuel Hering*, *e*) qui ex professo, ICtos Romanos Stoicos fuisse, lucubrationibus suis docuerunt.

a) in oratione de philosophia ICtorum 1681. habita, & in programmate de philosophia *Papiniani*. *b*) in programmate de Philosophia ICtorum Stoica an. 1701. publice proposito *c*) in oratione de Stoica veterum ICtorum philosophia Duisburgi 1714. recitata. *d*) in oratione academica de religione & pietate veterum Iurisconsultorum Traiecti 1717. pronunciata. *e*) in ora-

oratione de Stoica veterum Romanorum iurisprudentia in Stetinensi Gymnasio publice habita, quæ scripta cura *Gottlieb Sleuogtii D.* Ienæ a. 1724. in 8. coniunctim prodiere. add. Clar. *Heumanni* Acta Philosoph. Part. VIII. p. 164.

§. IX.

Præter philosophiam latina lingua, genuina scilicet non infucata, cuius imaginem sat viuis coloribus exprimunt iureconsultorum veterum fragmenta, in digestis adhuc reliqua, iuris romani cultori scitu maxime necessaria est. *a*)

a) Sine huius linguæ exactâ cognitione veteres ICtos, qui polite scripserunt, intelligere non possumus. conf. *Vberti Folietæ*, De linguæ Latinæ vsu & præstantia Lib. III. Romæ 1574. ed. & Hamburgi 1727. 8. recusi; accessit *Moshemii* de Linguæ Latinæ cultu & necessitate, dissertatio, *Gerardi Outhouii* oratio: De necessitate studii Linguarum earumque scientiarum huc pertinentium Amstel. 1725. 4. edit. p. 53. sequ. & *Ferandus Adduensis* L. I. Explic. iur. ad L. 4. de Iust. & iure.

§. X.

Nam qua ratione quis verborum ad ius romanum pertinentium, quod pene idem est, ac intima disciplinæ haurire, significationes excutiet, vimque ac potestatem legum sibi cognitam reddet? nisi in origines latini sermonis diligenter inquisiuerit. *a*)

a) De necessitate studii Etymologici vid. *Cicero* I. Acad. Quæst. c. 8. *Quinctilianus* Lib. I. Instit. Orat. 6. v.c. f. & XII. 2. Optime eius in iure vim Antistius Labeo intellexit, vnde *Gellius* XIII. c. 11. testatur, eum, licet inter principes suæ ætatis excelluerit, inferiores tamen & quasi iurisprudentiæ pedissequas artes non ideo neglexisse, quinimo latinarum vocum origines rationesque percalluisse, & hac scientia ad enodandos plerosque iuris laqueos eum vsum fuisse, conf. *Rad. Fornerius* II. Rer. Quot. c. 20. *Val. Guil. Förster* I. Lect. Succis. c. 11. *Scipio Gentilis* Lib. sing. originum, *Menagius* Amœnit. Iur. Ciu. c. 39. *Petrus Duirsema* II. Coniect. 2. Illustris viri *Christiani Gottfridi Hoffmanni* de inuestigandis in iure verborum significationibus in-

uitatio solemnis, quæ præcognitis eius generalibus iurisprudentiæ subiecta reperitur.

§. XI.

Quomodo iuris romani cultor elegantes & figuratos ICtorum romanorum loquendi modos, *a*) adagia *b*), ut & locutiones vetustiores *c*), frequenter in Digestis occurrentes, intelliget? nisi vim ac proprietatem latini idiomatis sibi cognitam reddiderit.

a) De figura loquendi, quæ ἀνανταπόδοτον dicitur v. *Petrus Duirsema* L. 1. Coniect. 2. at *Petri Toullieu* ICti diss. De Anantapod. in iure occurrentibus. de aliis figuris Faber I. Semestr. 23. Kirchmaier in Elog. & eleg. vet. ICtorum c. 11. & in amœnit. ac Veneribus per tot. & *Euerard. Otto* in Papin. c. 6. *b*) de adagiis ICtorum vid. *Erasm. Roterodamus* & *Scipio Gentilis* I. Parerg. c. 20. *c*) de vetustioribus loquendi modis conf. *Cuiacius* XXIV. obs. c. 23. *Duarenus* I. Disput. anniuers. c. 12. *Scipio Gentilis* I. Parerg. c. 27. 30. 33. 37. & *Euer. Otto* loc. cit.

§. XII.

Scio ego quidem quamplurimos esse v. g. *Laurentium Vallam* & *Franciscum Floridum Sabinum*; nec non auctorem colloquiorum menstruorum *a*), qui latinitatem Digestorum, nihil de reliquis corporis iuris voluminibus dicam, cum nemo sit, qui barbariem illorum non agnoscat, albis dentibus derident, & Iureconsultorum definitiones vocabulorumque interpretationes carpunt: rectius tamen mihi sensisse, ac dignitati iurisprudentiæ romanæ egregie consultum iuisse videntur *Andreas Alciatus* & *I. C. P. I. A.* quem multi *Nicolaum Vallam*; alii *Iacobum Capellum* fuisse existimant, quod prior in apologia contra *Laurentium Vallam*, posterior autem in defensione *b*) veterum ICtorum, latinitatem illorum defenderint, quod etiam amplissimus *Cornelius Bynckershoeckius* in obseruationibus suis iuris ciuilis variis in locis *c*) præstitit.

a) Nimirum W. E, *Tenzelium* In denen Monatblichen Unterredungen a. 1626. p. 173. *b*) Parisiis 1583. in 8. edita. *c*) in primis libro 1. cap. ult. Laurentii Vallæ

&

& Sabini criminationibus etiam *Gregorius Haloander* refpondere voluit. v. præf. Digeft. in fin. fed, morte præuentus, nihil edidit: Nec minus *Martinus Antonius Delrio* Anti-Sabinum, quo ICtorum fcripta a Sabini calumniis defenduntur; edere voluit, uti ipfe in præf. *Interpretationibus ex mifcellaneorum fcriptoribus collectis*, præmiffa, fatetur, vtrum vero hic Anti-Sabinus lucem adfpexerit? nefcio.

§. XIII.

Quare maxima laus debetur viro doctiffimo *Carolo Andreæ Duckero*, quod a nobis memorata de latinitate veterum ICtorum opufcula iunctim edere, a) fuisque doctiffimis animaduerfionibus locupletare voluerit.

a) prodierunt illa opufcula Lugduni Batau. an. 1711, in 8.

§. XIV.

Præter fcripta autem a *Duckero* coniunctim edita iuris cultor cum fructu euoluet *Georgii Cafparis Kirchmaieri elogia & elegantias latinitatis ICtorum veterum ad digefta* a); eiusdem *latinitatem legalem vel præter meritum vel merito fufpectam, ex pandectis iuris erutam, indicatam & recognitam* b); eiusdem *amœnitates atque veneres latinitatis in dictionibus & formulis ex pandectarum iuris voluminibus repræfentatas* c); *Georgii Danielis Morhofii* de latinitate in digeftis epiftolam d), nec non *Guilielmi Hieronymi Brückneri: De Latinitate Corporis juris, an pura fatisque probata fit?* programma e).

a) quæ prodierunt Vitebergæ a. 1684. in 4to. b) ibidem 1687. 4to. c) ibidem 1688. 4to. d) quæ inter academicas Hamburgi 1699. 4. editas pag. 606. reperitur. e) Ienæ 1719. edit.

§. XV.

Linguam etiam græcam maximum iurisprudentiæ romanæ præfidium effe & munimentum, multi iam pridem, & recte quidem docuerunt, tum quod ius

romanum nouissimum, scilicet Nouellæ Imperatorum, plerumque græce sit conscriptum & editum; tum quod constitutiones græcorum principum, & interpretes græci, quibus tamen accuratiorem iuris romani cognitionem debemus, sine huius linguæ cognitione intelligi nequeant *a*).

a) v. *Anton. Augustinus* II. Emend. c. 1. *Scipio Gentilis I.* Parerg. 6. *Val. Guil. Förster. I.* de interpret. iur. c. 2. *Merillius* L. III. O. c. 33. *Euer. Otto* de Ædil. Colon. c. 6. §. 3. & *Outhou.* in orat. cit. p. 30.

§. XVI.

Quis enim latinorum sacratissimi Imperatoris *Iustiniani* quatuor institutionum libros tam accurate interpretatus est, quam *Theophilus?* quis puriora iuris romani principia *a*) protulit, quam *Harmenopulus?* quibus ducibus, si studiosa legum iuuentus vteretur, atque illud *Horatii b*) sequeretur:

- - - Vos exemplaria græca
Nocturna versate manu versate diurna.

ad masculam illam iuris romani cognitionem sine magno labore ac dispendio perduceretur.

a) Græci enim ICti non transcripserunt suos libros ex Pisanis ~, sed habuerunt integriora Digesta ad verbum & κατὰ πόδα ex vero Iustiniani Proto-Typo fideliter translata. *Contius* Lib. I. Disp. 6. *b*) de arte Poët. v. 268.

§. XVII.

Nec, quo huius sententiæ patrocinium deferam, me mouet auctoritas *Ottonis Taboris*, qui in racemationibus criminalibus *a*) de iuris græci reliquiis & interpretibus haud benigne iudicat, huic enim & similibus iniquis rerum æstimatoribus iustam sententiam *Carolus Hannibal Fabrottus b*) & *Nicolaus Hieronymus Gundlingius c*) dixerunt.

a) sub titulo: arborum furtim cæsarum. *b*) in apologia pro Græcis, quæ eius XII. Exercitationibus Parisiis 1639. editis, subiecta reperitur. *c*) in Gundlingianis Part. 2.

§. XVIII.

§. XVIII.

Non ego is ſum, qui negare auſim, Ebreæ etiam linguæ aliquem in iure romano eſſe vſum, cum ius romanum in multis cum iure moſaico conſpiret *a*), quod ex collatione legum moſaicarum & romanarum ab incerto auctore, quem *Iacobus Cuiacius Licinium Rufinum* vocat, *Petrus* vero *Pithœus* primus in lucem protraxit, poſt confectum codicem Theodoſianum inſtituta, patet, accedit, quod *Papinianus*, *Vlpianus* & *Modeſtinus* Semi-Iudæi fuerint, multaque iudaica dicendi genera, quæ *Antonius Auguſtinus* collegit *b*), in pandectis reperiantur.

a) Sub Marco enim Imperatore quam plurimi ex Syria Romam venerunt, eoque & linguam & ius Ebræorum tranſtulerunt, conquerente *Iuuenali* Sat. III. v. 58.

Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Iudaicum ediſcunt, ac ſeruant, & metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

v. *Freherus* I. Parerg. 9. Ianus à Coſta ad Decretal. p. 258. & *Merillius IV.* obſ. c. 7. *b*) libro 4. emendat. & opin. iur. ciu. cap. 8. De vſu linguæ Ebrææ in iure, conf. Molinæus in P. 2. tractatus de vſuris, *Val. Guil. Förſter I.* de interpret. iur. c. 2. & *Bartholinus* de libris legendis p. 254.

§. XIX.

Nec minus ſtudium poëtices cum ſtudio iuris romani coniungendum eſſe reor, tum quod plerique legislatores, quibus ius romanum originem debet, fuere poëtæ, tum quod poëtarum tam latinorum quam græcorum, inprimis *Homeri*, apud veteres ICtos maxima fuerit auctoritas, frequensque in libris illorum allegatio. *a*)

a) v. *Scipio Gentilis* Lib. 2. Parergorum, *Val. Guil. Förſter I.* de Interpr. 7. *Petrus Fermatus* Tholoſanus in diſſertatione de auctoritate Homeri apud ICtos, M. *Ioann. Henr. Schlegel*, *de Poëtarum ſigillatimque Homeri auctoritate apud ICtos*, diſſ. Viteb. 1717. ventil. & *Cornelius Eckius* in duabus, de ſtudio poëtices coniungendo cum ſtu-

ſtudio iuris romani, orationibus, quæ principiis eius iuris romani præmiſſæ reperiuntur.

§. XX.

Nec ab ICto Critices ſtudium *a*) negligendum eſſe cenſeo, quo de variis veterum ſcribendi generibus iudicare, veras a falſis ſcripturis diſtinguere, & ſic obſcuris ac deprauatis Legibus, adiiciendo, detrahendo & mutando *b*), lucem quandam accendere poſſit.

a) De arte Critices in genere *Scioppius* de arte Critica Amſtel. 1662. *Franc. Robortellus* de arte Critica, quod ſcriptum T. 11. Theſ. Græu. eſt inſertum, *Ioann. Clericus* in arte Critica Amſtel. 1712. & Lipſ. 1713. Heumann in Parerg. Crit. Ienæ 1712. *Honorius de S. Maria* dans les reflexions ſur les regles & ſur l'uſage de la Critique Pariſ. 1713. & Celeb. *Walchius* in Hiſt. Critic. latinæ lingu. Lipſ. 1716. & 1728. *b*) v. *Quinctilianus X.* Inſt. orat. 4.

§. XXI.

Duo autem extrema ICtus, arti Criticæ deditus, vitare debet, inconſultam nimirum in corrigendo audaciam, qualis fuit quorundam ICtorum Gallorum, & præ reliquis *Antonii Fabri* Præſidis Sabaudici temeritas; *a*) & cœcam atque ſuperſtitioſam MSStorum librorum venerationem, quæ Accurſianorum fuit ſtoliditas *b*).

a) De nimia Critices intemperie vid. *Hugo Donellus* L. XIV. Comment. n. 2. Ciu. c. 20. Lib. XVI. cap. 15. *Delrio* ad L. 18. C. de Transact. & *Ulr. Huber.* de rat. iur. docendi & diſc. p. m. 78. *b*) conf. *Bynckershoeckii* præfat. obſeruat. præmiſſa, & *Heineccii* præf. quam nouæ harum obſeru. edit. præmiſit, nec non *Hermann Noordkerk.* obſeru. cap. 1.

§. XXII.

Licet autem ars emendandi leges regulis & præceptis, monente Ampliſſ. *Bynckershoeckio a*), difficillime comprehendatur, atque ingeniorum quorundam felicitas plus ſæpius in hac arte, quam optima præcepta præſtent: tamen non omnem ſpem, cer-

tis

tis hanc artem includere posse regulis, esse abiiciendam, iam *Guilielmus Bestius* ICtus in libro: *De ratione emendandi leges b*) docuit.

a) in præf. cit. *b*) Ultraj. 1707. 8. edit.

§. XXIII.

Ab antiquitatum præterea romanarum cognitione ad iurisprudentiam decus ingens ac præsidium peti posse, existimo *a*), cum nemo sit, qui ignoret, ipsum ius romanum antiquitatis partem esse præcipuam *b*), suoque corpore includere totam pene reipublicæ romanæ formam. *c*)

a) Quare *Plinius*, Aristonem ICtum I. epist. 22. laudaturus, nihil in eo magis, quam antiquitatum peritiam admiratur; idem in Antistio Labeone & Alpheno *Gellius XIII.* 12. & VI. 5. celebrat. *b*) unde non immerito *Cicero I.* de orat. 43. ait: *Plurima erit in omni iure ciuili antiquitatis effigies, & prisca verborum vetustas, & actionum genera quædam, quæ maiorum consuetudinem vitamque declarabant.* conf. *Petr. Pithœus* in not. ad Coll. LL. Mos. & Rom. Tit. 16. §. 2. in f. & *Barn. Brissonius IV.* Select. antiqu. c. 14. *c*) v. Illustris *Thomasii* dissertatio Sigonii libris de iudiciis P. R. Lips. 1715. 8. editis, præmissa: De vsu vario studii antiquitatum, in primis in studio iurisprudentiæ romanæ, & consilium *Ioann Georgii Græuii* primo thesauri antiquitatum romanarum volumini præmissum.

§. XXIV.

Non autem per antiquitates romanas intelligimus romanorum rem agrariam, vestiariam, epulas, solennia ludorum, triumphorum & similia, quamvis nec hæc negligi debeant, sed tales, quæ imperii romani varia fata ac vicissitudines, magistratuum, iudiciorum, & processus romani notitiam continent, requirimus.

§. XXV.

Unde *Dionysius Halicarnassensis*, *Dio Cassius*, *Plutarchus*, *Liuius*, *Suetonius*, scriptores historiæ Augustæ, *Ammianus Marcellinus*, & qui res gestas Christia-

Chriſtianorum Imperatorum conſignarunt, fontes illi hiſtoriæ romanæ limpidiſſimi indefeſſo ſtudio adeundi, nec vllo tempore ſeponendi erunt, quia multa obſcuriſſima iuris romani capita, ex horum ſcriptorum libris lucem ſuam accipiunt.

§. XXVI.

Nec ſcriptores recentiores antiquitatum romanarum ſunt negligendi, quippe ex quibus variæ iuris materiæ magnam lucem capiunt; Ita Titulus D. *de ſtatu hominum* ex *Ezechielis Spanhemii* orbe romano *a*); *de iudiciis* ex *Caroli Sigonii* de iudiciis P. R. libris 3. *b*) & *Sibrandi Tetardi Siccamæ* de centumuirali iudicio libro *c*); *ſi ager vectigalis* &c. ex *Petri Burmanni* de vectigalibus populi romani libro *d*) egregie illuſtrantur.

a) *Spanhemii* Orbis romanus ſeu ad conſtitutionem Imperatoris Antonini, de qua Vlpianus L. 17. D. de ſtatu hominum, exercitationes duæ Londini 1702. 4. prodierunt. *b*) qui Bononiæ a. 1574. publicam adſpexerunt lucem, ſæpius dein recuſi. *c*) Francof. an. 1596. 8. editus & Halæ 1725. 4. recuſus. *d*) Traiecti 1694. 12. editus, & Lugd. Bat. 1735. 4. recuſus.

§. XXVII.

Eodem modo titulus D. *de operis ſeruorum* ex *Laurentii Pignorii a*) de ſeruis, & *Titii Popmæ* de operis ſeruorum libris *b*); tit. *de religioſis* ex *Ioan. Kirchmanni c*) & *Iacobi Gutherii d*) ſcriptis; tit. *de vſuris & fœnore* ex *Gerardi Noodtii e*) & *Claudii Salmaſii f*) lucubrationibus lucem accipiunt ſuam.

a) Auguſtæ Vindel. 1613. & Patau. 1656. & 93. in 4to. *b*) Antuerpiæ 1606. 8. & Amſtelod. 1672. in 12. coniunctim editi. *c*) de funeribus Romanorum Hamburgi 1605. 4. *d*) de iure manium Paris. 1615. *e*) de fœnore & vſuris Lugd. Batau. 1698. 4. *f*) de fœnore trapezitico, de vſuris, & de modo vſurarum.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Porro titulus *de ritu nuptiarum* ex *Barnabæ Briſſonii* & *Franciſci Hottomanni* ſcriptis *a*); tit. *de teſtamentis* ex *Chriſtiani Thomaſii* de origine & initiis ſucceſſionis teſtamentariæ apud Romanos, de ſenſu legis Decemuiralis teſtamentariæ diſſertationibus *b*); tit. *de auro & argento ſupellectile &c. legatis* ex *Lazari Baiſii* de vaſculis & re veſtiaria *c*) *Octaui Ferrarii d*) & *Alberti Rubenii e*) ſcriptis, tit. *de aqua & aquæductu &c.* ex *Raphael. Fabretti* diſſertationibus *f*); tit. *de manumiſſionibus* ex *Wilhelmi a Loon* quatuor de manumiſſionibus ſeruorum apud Romanos libris *g*), tit. *ad. L. Iuliam Maieſtatis* ex *Gundlingii h*) & tit. *ad L. Iuliam de adult.* ex *Barnabæ Briſſonii i*) ſcriptis illuſtrantur.

a) Briſſonii & Antonii Hottomanni de veteri nuptiarum ritu, nec non Franc. Hottomanni de ſponſalibus ſcripta coniunctim Lugd. Batau. an. 1641. 12. ſunt edita, quibus *Henrici Brouweri*, de iure Connubiorum Libr. II. eleganti ſtilo conſcripti, & cura *Petri Burmanni* Delph. 1714. 4. recuſi, nec non *Io. Chriſtenii* diſſert. De iure matrimonii, Hardervic. 1651. editæ addi poſſunt. *b*) Halæ 1705. nec non ex *Claudii Salmaſii* de ſubſcrib. & ſubſign. teſtamentis ut & *Ulrici Huberi* de Julii Cæſaris & Auguſti teſtamentis, diſſertationibus. *c*) Paris. 1549. 4. *d*) Patau. 1642. 8. auctior ibid. 1654. 4to. *e*) Antuerpiæ 1665. 4. *f*) de aquæ ductibus veteris Romæ 1680. 4. editis. *g*) Ultraiecti 1685. 12. publicatis. *h*) libro ad L. Maieſtatis Halæ 1721. 4. *i*) Paris. 1557.

§. XXIX.

Quos & ſimiles ſcriptores ſumma induſtria collegerunt *Gaudentius Robertus* in miſcellaneis Italicis eruditis *a*), *Ioann. Georg. Græuius* in Theſauro Antiquitatum Romanarum *b*) & *Albertus Henricus* de *Salengre* in nouo Theſauro Antiquitatum Romanarum *c*); lexicon *d*) autem antiquitatum romanarum ſumma cum diligentia ex illis *Samuel Pitiſcus* confecit.

a) Parmæ 4. Tomis an. 1690. in 4to editis. *b*) quem ab a. 1694. vſque ad 99. XII. voluminibus in fol. edidit. *c*) Figuris æneis illuſtrato & 3. voluminibus in fol.

fol. Hagæ 1719. edito. *d*) quod Leouardiæ a 1713. II. Tom. in fol. publicam lucem adſpexit.

§. XXX.

Vix errauero, ſi ex nummis etiam, lapidibus, ceterisque veterum romanorum monumentis multas iuris romani controuerſias, in primis res hiſtoricas concernentes, extricari poſſe, contendam. Vnde ſcriptores, qui de re nummaria veterum egerunt *a*), nec non *Iani Gruteri b*), *Thomæ Reineſii c*), *Raphael. Fabretti d*), *Iacobi Sponii e*) & *Guilielmi Fleetwodi f*) inſcriptionum veterum corpora cum cura euolui debent *g*).

a) Quos recenſent *Carolus Patinus* in hiſtoria numiſmatum c. 24. *Phil. Labbeus* in Bibl. nummaria, Dn. *Struuius* in biblioth. numism. antiqu. Ienæ 1693. 12. edita, & *Ioan. Albert. Fabricius* in bibliographia antiquaria cap. 16. quibus *Rinckii* de veteris numiſmatis potentia & qualitate lucubratio Lipſ. 1701. edita, addi poteſt. *b*) corpus inſcriptionum ex recenſione & cum annotationibus *Io. Georg. Grauii* cum fig. fol. Amſtel. 1707. prodiit. *c*) Syntagma inſcriptionum antiquarum Lipſ. 1682, f. *d*) inſcriptionum antiquarum explicatio cum emendat. *Gruteri* Romæ 1702. *e*) qui Miſcellanea eruditæ antiquitatis ſiue ſupplementa Gruteriana Lugd. 1679. & 1683. f. edidit. *f*) Inſcriptionum antiquarum Sylloge in duas partes diſtributa Londini 1691. 8. *g*) v. Prologus: *De uſu & excellentia ſtudiorum antiquitatis, inprimisque marmorum*, Antiquitatibus ſacris & ciuilibus Romanorum explicatis per M. A. V. N. Hagæ Comit. 1626. f. & *Sam. Pitiſci* præf. Lexico Antiquitatum Romanarum præfixa.

§. XXXI.

Notitiam magiſtratuum romanorum iuris cultori maxime eſſe neceſſariam, multamque iuri romano, potiſſimum vltimis libri primi D. titulis, materiæ de iurisdictione, negotiis bonæ fidei & ſtricti iuris, Edictisque prætorum & ædilium afferre lucem, nemo eſt, qui dubitat.

§. XXXII.

Ad illorum autem notitiam pernoſcendam faciunt *Pom-*

Pomponius ICtus *a*), *Lucius Feneſtella b*), *Pomponius Lætus c*) de magiſtratibus Romanorum, & ſcriptores, qui Tomo I. Theſauri Græuiani continentur; *Felix Contelorius* de præfecto vrbis *d*), *Iacobi Perizonii* de cenſoribus diſſertatio *e*) & *Gundlingii* obſeruatio *f*); de Ædilibus *Ioan. Auguſti Olearii* diſſertatio *g*), nec non *Euerardi Ottonis* de Ædilibus Coloniarum & municipiorum liber *h*), *Paulus Buſius* de officio iudicis *i*); quibus Notitia dignitatum tum Orientis tum Occidentis *k*), *Iacobus Gutherius* de officiis domus auguſtæ *l*), ut & M. *Auguſtini Campiani*, De officio & poteſtate Magiſtratuum Romanorum Libri duo addi poſſunt *m*).

a) in L. 2. D. de O. I. *b*) ſeu potius *Andreas Dominicus Floccus*. *c*) qui una cum *Feneſtellæ* libro ſæpius editus, & apud *Simonem Leeuwium* in fragmentis veterum ICtorum etiam reperitur. *d*) Romæ 1631. f. Præfectos vrbis Romæ & Conſtantin. *Almelouenius* Faſtis Conſularibus, Amſtelod. 1705. editis ſubiecit. *e*) Lugd. Batau. 1667. 4. *f*) in Gundlingianis part. 16. n. 1. *g*) Lipſiæ 1692. *h*) Francofurti 1713. 8. *i*) Franeckeræ 1603. 4. *k*) quæ cum commentariis Guidi Pancirolli Lugd. 1608. f. prodiit. *l*) Paris. 1628. 8. *m*) Geneu. 1725. 4.

§. XXXIII.

Cum autem multum ad iuris romani ſcientiam accurata temporum atque interuallorum diſtinctio conferat, Faſti Conſulares erunt euoluendi, quippe qui ordinem & ſucceſſionem conſtitutionum imperialium mirifice illuſtrant, huc pertinent Faſti Idatiani a *Philippo Labbeo* primum editi, ac Theſauri Græuiani T. XI. inſerti, *Bartholomæi Marliani* Annales Conſulum, Dictatorum, Cenſorumque romanorum *a*), *Stephani Vinandi Pighii* Annales Magiſtratuum & Prouinciarum S. P. Q. R. *b*) *Caroli Sigonii* Faſti Conſulares *c*). *Onuphrii Panuinii* Faſti & Triumphi Romanorum *d*). Huberti Goltzii Faſti Magiſtratuum & Triumphorum Romanorum *e*). *Henrici Noriſii* Faſti Conſulares *f*). *Antonii Pagi* diſſertatio hypatica ſeu

de

de consulibus cæsareis *g*). *Theodori Iansonii Almelouenii* Fasti Consulares *h*), & *Petri Relandi* Fasti Consulares *i*).

a) Romæ 1560. f. *b*) Antuerp. 1615. f. *c*) Venet. 1556. f. *d*) Venet. 1557. f. *e*) Brugæ 1566. f. *f*) ad calcem libri de anno & epochis Syro-Macedonum Lipsiæ 1696. 4. *g*) Lugdun. 1682. 4. *h*) Accedunt præfecti vrbis Romæ & Constantinopolis Amstelod. 1705. 8. *i*) Accessit *Henrici Brenckmanni* epistola de consulibus, quorum in D. fit mentio Traiecti a. 1715. 8.

§. XXXIV.

Consulendi etiam sunt scriptores, qui secundum seriem temporum & ordinem chronologicum leges romanas enumerarunt *a*), ut *Ioan. Wolfgang Freymonius* in symphonia iuris vtriusque chronologica *b*) cum continuatoribus *Antonio Contio*, *Oberto Gipbanio*, & *Marquardo Frebero*, idem institutum *Franciscus Broeus* in chronologia historica totius iuris *c*) seruauit.

a) conf. *Henrici Hahnii*, De usu Chronologiæ in iure oratio, quam Clariss. *Wielingius* Jurispr. restitutæ P. II. p. 123. subiecit. *b*) Francofurti 1584. f. *c*) Parisiis 1622. 4.

§. XXXV.

Optandum sane esset, ut & chronologiam Prætorum ex scriptoribus romanis quis erueret *a*), Cuius laboris initium *Stephanus Vinandus Pighius b*), fecit, magnam enim materia de interdictis, restitutionibus in integrum, bonorum possessione, aliaque iuris prætorii remedia lucem exinde acciperent *c*).

a) Citatur equidem in Bibliotheca Du Boisiana, *Stephani Perræi* opusculum, *Edicta Prætoria ex libris ꝛ congruo ordine desumta, continens*, Paris. 1554. 4. Sed illud mihi inspicere non licuit. *b*) in Annalibus magistratuum romanorum modo citatis. *c*) v. *Conradi Lancellotti* de officio Prætoris liber Coloniæ 1578. in 8. editus, *M. Antonii Coccii Sabellici* de prætoris officio liber, & *Petri Fabri* de Magistratibus romano-

rum

rum commentarius, qui cum primo semestrium libro Lugd. 1570. 4. publicam adspexit lucem.

§. XXXVI.

Non minorem vtilitatem habet, exploratum habere, quis cujuslibet legis romanæ sit auctor, qua ætate vixerit, quod eius ingenium, & quæ methodus docendi fuerit, cum multa, quæ sibi in iure romano contraria videntur, inde conciliari ac inter se componi possint *a*). Unde Pomponii ICti enchiridion *b*) eiusque interpretes, nec non veterum ICtorum biographi *Bernardus Rutilius*, *Ioannes Bertrandus* & *Guilielmus Grotius* *c*), & qui speciales ICtorum vitas delinearunt, cum attentione sunt perlustrandi.

a) Recte itaque *Petrus Perrenonius* II. Animadu. c. 23. ait: *Æquum est profecto & utile scire, quo tempore vixerint iuris nostri auctores: cum minime par sit eorum incognitam iacere memoriam, qui publico adeo profecerunt, & nobis, quantum in illis fuit, pro labore, otium, pro vigiliis somnium & securitatem, occupationibus vacationem conciliarunt, & minime id sit infructuosum, sed inprimis conducat ad iuris nostri explicationem*, idem II. c. 6. in f. & *Henricus Brenckmann.* in diss. De Legum inscription. §. 22. *b*) cuius sceleton. L. 2. D. de O. I. nobis exhibet. *c*) qui coniunctim cura *Ioan. Christophori Franckii* Halæ 1718. in 4. prodierunt.

§. XXXVII.

Nec iudiciorum romanorum tam publicorum quam privatorum, popularium & extraordinariorum historia negligenda est, quam *Carolus Sigonius* in tribus de iudiciis populi Romani libris expositam edidit *a*), in compendio vero *Ioannes Gottlieb Heineccius* exhibuit *b*), cum difficilis admodum illorum sit explicatio monente *Iacobo Cuiacio* *c*), & a doctissimis sæpius viris illa confundi soleant, uti illustris *Thomasius* *d*) bene obseruauit.

a) Bononiæ 1574. *b*) in syntagm. antiq. Roman. ad methodum institut. sub tit. de actionibus & publicis iudiciis. *c*) L. 8. obseru. c. 38. *d*) in dissertat. de abigeatu §. 7. & seq.

§. XXXVIII.

Nec minus iuris romani cultor in modum procedendi, in iudiciis tam publicis quam privatis a Romanis seruatum, inquirere debet, quippe qui varias iuris materias v. g. de in ius vocando, edendo, interrogationibus in iure faciendis, accusationibus, inscriptionibus, appellationibus &c. intellectu reddit faciliores; ad quem cognoscendum ex veteribus *Ciceronis* orationes & de legibus libri tres, *Senecae* controuersiarum libri quinque, & *Quinctiliani* declamationes apprime faciunt.

§. XXXIX.

Ex recentioribus vero modum procedendi apud Romanos vsitatum *Petrus Aerodius a)*, *Franciscus Polletus b)*, *Franciscus Robortellus c)*, *Iacobus Raevardus d)*, *Georg. Obrechtus e)*, *Christophorus Cellarius* iunior *f)* & *Ioan. Rudolphus Iselius g)* sistunt.

a) in libro de publicorum iudiciorum ordine, & in rerum ab omni antiquitate iudicatarum pandectis Paris. 1567. 12. *b*) in historia fori romani, quae cura *Philippi Broidaei* lucem Duaci 1572. 12. adspexit. *c*) in libro de iudiciis & omni consuetudine causas agendi apud Romanos *Gaudentii Roberti* T. I. Miscell. Italic. &. T. III. Thesauri Graeuiani inserto. *d*) in protribunalibus saepius una cum aliis operibus editis. *e*) in adumbratione processus in foro romano, & in specimine processus antiqui de rei vindicatione. *f*) in diss. de processu iuris romani praeside *S. Stryckio* Halae 1708. ventilata. *g*) in brevi romanorum iudiciorum historia Basileae a. 1722. edita.

§. XL.

Imo modus tractandi negotia ciuilia extra iudicium receptus, negligi non debet, quia multa iuris romani capita v. g. de legitimatione, adoptione, adquisitione dominii & possessionis, de testamenti factione & contractibus maximam inde illustrationem accipiunt *a*).

a) Quicquid autem de coniunctione antiquitatum Romanarum cum iure Romano dixi, illud etiam ad antiquitates & iura Germanica esse extendendum, Clar. D. *Jo. Georg. Cramerus* in Comment. Academ. de con-

coniungendo iuris & antiquitatum Germanicarum studio optime monuit. Lipf. 1729. 4.

§. XLI.

Nihil autem iucundius, nihil utilius iuris cultori esse poterit, quam historiam eius iuris nosse, quod in dies euoluimus, quoque ad causas diiudicandas & dirimendas in foris nostris utimur, adeo enim multa in corpore iuris romani sunt capita, in quae, nisi lumen inferatur historiae, neminis intellectus penetrare queat *a*).

a) Recte itaque *Franc. Balduinus* Lib. II. de Instit. Histor. ait: *Cum historia coniungenda est iurisprudentia, quae coniunctio tam est necessaria, quam unius corporis indiuisae partes aut membra diuelli neque possunt, neque debent.* & alibi: *Nondum satis statuere potui, plusne iuris historia ex iurisprudentiae libris, an Iurisprudentia ex historicis monumentis accipiat.* conf. *idem* in omnibus fere praef. suis libris praemissis, *Pagan. Gaudentius* in *Orat.* De eruditione cum doctrina coniungenda, quae in Instar Academ. Florentiae 1639. 4. edit. p. 9. reperitur, *Val. Guil. Förster I.* de interpr. iur. c. 5. *Hier. Eleni* Orat. 1. quae lib. 1. Diatrib. Iur. Ciu. reperitur & *Matth. Wesenbecius* in Orat. De historiae praestantia Viteb. 1589. recit.

§. XLII.

Cum itaque primi, post restitutam & in usum reuocatam romanam iurisprudentiam, ICti historiae iuris scientia plane essent destituti, in foedissimos errores ceciderunt, qui vix derisum effugere possunt; legem enim Falcidiam a falce, obseruante *Ægidio Menagio a*), deriuarunt, stipulationem post Alexandri demum & Vlpiani tempora inuentam, Vlpiani tempore Christum nondum fuisse natum *Accursius* ad legem 5. D. *de fer.* Iustinianum ideo, quod vixerit ante Christum natum, aera christiana vsum non esse, ad Novellam XLVII. c. 1. somniarunt.

a) in amoenit. iur. ciu. p. 285.

§. XLIII.

Eodem modo ad L. 42. D. de A. E. & V. ubi

Paulus ICtus dicit: *annon dolo faciat, qui iure perpetuò utitur*, indicans hisce actionem ex edicto perpetuo descendentem, actionem ex emto, quæ perpetua est, intelligi putant, pariter *Accursius*, cum non intelligeret sensum L. 1. D. de C. E. & V. §. *sed an &c.* vbi de controuersia Sabinianorum cum Proculeianis agitur, illud suum *Male*, quod solenne illi fuit, in illis, quæ parum assecutus est, addidit *a*); sed non hominum ea vitia, verum ætatis fuisse, cum *Iosepho Nerio b*), *Ferando Adduensi c*) & *Bynckersboeckio d*) lubenter agnoscimus.

a) Plures Glossatorum errores historicos *Alb. Gentilis*, de Iuris interpret. Dial. V. & *Euer. Otto* in Papin. c. III. recensent. *b*) II. Analect. 30. *c*) 1. Explic. Iur. ad L. 4. de I. & I. *d*) in præf. obs. præm.

§. XLIV.

Quantam autem iurisprudentiæ romanæ cultori adferat vtilitatem historiarum cum studio iurisprudentiæ coniunctio, nemo melius quam *Franciscus Balduinus* in eleganti, *de institutione historiæ & eius cum iurisprudentia coniunctione*, libello *a*) docuit, cuius dein vestigia *Eisenhart b*), *Antonius Schultingius c*), & *Ioannes Barbeyracius d*) presserunt.

a) Paris. 1561. edito & Argentorati 1608. 12. nec non Halæ 1726. 8. cura *Gundlingii* recuso. *b*) de coniungenda iurisprudentia cum historia schediasma, quod eius tractatui de fide historica Helmstad. 1702. 8. edito, est additum. *c*) in oratione, de iurisprudentia historica 1712. recitata. *d*) de coniungendis Iurisprudentiæ & historiarum studiis, quæ cura Clar. *Buderi* cum aliis eiusdem argumenti scriptis Ienæ 1724. 8. recusa fuit.

§. XLV.

Commode historia iuris romani diuidi potest in generalem & specialem, illa universi iuris origines, progressus & vicissitudines a primis vrbis initiis ad nostra vsque tempora recenset, hæc vero partis alicuius iuris romani v. g. plebiscitorum, aut senatus consultorum origines & fata exponit.

§. XLVI.

§. XLVI.

Cum historia iuris romani tam generali quam speciali arctissimam cognationem habet historia legum, seu historia iuris specialissima, quæ scilicet cuiuslibet iuris romani capitis origines & mutationes recenset, quæ tamen maximo cum studiosorum damno negligi solet *a*). Vnde magnas laudes viro clarissimo *Ioan. Gottlieb. Heineccio* debemus, quod hunc defectum supplere, & antiquitatum iuris romani syntagma ad methodum institutionum edere *b*) voluerit, in quo antecessorem illustrem *Thomasium* habuit, quippe qui in dissertationibus, ad XIII. priores libri primi Institutionum titulos editis, origines & progressus cuiuslibet materiæ ex antiquitatibus romanis egregie eruit.

a) conf. *Iacob. Gothofredus* in præf. diss. ad L. Quisquis C. ad L. Iul. Maj. & *Heineccius* in præf. Comment. ad L. Iuliam & Papiam præm. *b*) Halæ 1719. 8uo.

§. XLVII.

Historiam iuris romani & veteres & recentiores ICti delinearunt, inter veteres solus memorandus est *S. Pomponius*, qui sub Antonino Pio, non vero Alexandro Seuero, floruit; nam etsi *Lampridius* in editis libris Pomponium inter Alexandri familiares refert *a*): a culpa tamen Lampridium veteres membranæ absoluunt, in quibus Pomponius inter consiliarios Alexandri non numeratur, quod *Casaubonus* ad Lampridii locum citatum & *Io. Bertrandus b*) obseruarunt, nuperrime autem *Bernardus Henricus Reinoldus* ICtus ex professo ostendit *c*).

a) in vita huius Cæsaris cap. 68. *b*) in vita huius ICti. *c*) in oratione de S. Pomponio Herbornæ 1710. habita. Vtrum vero duo ejusdem nominis fuerint ICti. v. *Euer. Otto* in præf. T. I. Thesauri Iur. Ciu. præm. & D. *Wieling* P. I. Iurispr. restitutæ p. 89.

§. XLVIII.

Præter scripta *Pomponii*, quæ in indice ICtorum, iussu imperatoris Iustiniani pandectis præfixo, referun-

 tur,

tur, librum etiam singularem, Enchiridion dictum, reliquit *a*), in quo magistratuum & ICtorum successionem & quasi iuris ciuilis prosapiam ab vrbe condita ad Hadriani vsque tempora breui stilo deduxit.

a) vti ex inscriptione L. 2. D. de O. I. & L. 239. de V. S. patet.

§. XLIX.

Et quamvis non raro in L. 2. D. de O. I. scriptoris diligentiam, inprimis autem historiarum cognitionem, desideres: Pomponio tamen hanc legem ex eo abiudicari non posse, nec eam fabulas & deliria Triboniani continere, vti *Francisco Hottomanno a*) & *Ludouico Charondæ b*) placuit, cum viris doctissimis *Bynckershoeckio c*) & *Reinoldo d*) existimo.

a) in Anti-Triboniano cap. 12. *b*) L. 1. Antiqu. rom. *c*) in præfat. ad prætermissa L. 2. D. de O. I. *d*) in orat. cit.

§. L.

Hanc itaque legem 2. D. de *Origin. iur.* cum multa de magistratibus Romanorum & successione prudentum habeat eximia, quæ alibi non inueniuntur, ac historiæ romani iuris quasi fundus sit, multi ex professo commentariis suis illustrarunt, vel in compendiis & commentariis ad Digesta incidenter exposuerunt.

§. LI.

Separatim L. 2. D. de O. I. scriptis & commentariis suis ornarunt *Antonius Garro*, *Franciscus Balduinus*, *M. Antonius Muretus*, *Iacobus Cuiacius*, *Petrus Faber*, *Ventura Cæcus*, *Thomas Papilio*, *Thomas Lindemann*, *Ioannes Lauterbachius*, *Ioannes Sitbmannus*, *Werner Theodorus Martini*, quorum tamen labores nimia breuitate laborant.

§. LII.

Meliorem operam præstiterunt *Georgius Eberlin a*), *Christoph*.

Christoph. Adam Rupertus b), *Gerhard. Cocceius c)*, *Simon Leeuwenius d)*, *Gerhard. Muclenius e)* & *Cornelius Bynckershoeckius f)*.

a) in commentario Vitebergæ 1672. 4to edito. b) in animaduerſionibus ad h. l. Norimbergæ 1661. in 12. c) in commentariis hiſtorico-politico-juridicis Groningæ 1660. in 12. editis. d) qui legem hanc cum ſuis & variorum notis edidit Lugd. Batau. 1672. 8. e) in exercitationibus ad hanc legem Traiecti 1691. in 8uo editis, & 1723. in 4to recuſis. f) in prætermiſſis ad L. 2. de O. I. Lugd. Batau. 1719. in 4to vna cum aliis opuſculis in publicum emiſſis.

§. LIII.

Incidenter L. 2. de O. I. commentatores ad digeſta veluti *Ioann. Coraſius*, *Georgius Franzkius*, *Georg. Beyerus*, *Cornelius Eckius*, *Nicolaus Hieronymus Gundlingius*, *Ioann. Gottlieb. Heineccius* aliique expoſuerunt.

§. LIV.

Sicuti autem hæc lex intellectum hiſtoriæ iuris anteiuſtinianei clariorem reddit, ita conſtitutiones Imperatoris Iuſtiniani ad confirmandum ius ſuum, nouiter conditum, editæ, notitiam hiſtoriæ iuris Iuſtinianei ſubminiſtrant; quare a iuris romani cultore cum attentione perlegenda ſunt, prooemium inſtitutionum, tres Digeſtorum præfationes, conſtitutiones de Codice confirmando, & de veteri iure enucleando *a*).

a) v. *Christfriedi Wächtleri* de veteri iure enucleando ad *Nicetam Spilium* Διάσπασμα Argent. 1684.

§. LV.

Ex recentioribus, qui hiſtoriam iuris romani delinearunt, memorandi ſunt *Aymarus Riuallius*, *Martinus Libergius*, *Dauid Chytræus*, *Valentin Wilhelm Förſter*, *Henricus Rhala*, *Daniel Kayſer*, *Simon Leeuwenius*, *Iacobus Gothofredus*, *Samuel Reyher*, & anonymus quidam *a*); ſed omnes hi aut parum accurati, aut nimis breues ſunt.

a) in Differtat. de origine & progreſſu Iuris Ciuilis Ul-traiecti 1721. 8. edita.

§. LVI.

Pleniorem itaque & accuratiorem iuris romani hiſtoriam *Pierre Taiſand a)*, *Ioannes Douiatius b)*, *Georg. Schubartus c)*, *Chriſtian. Thomaſius d)*, *Ioannes Vincentius Gravina e)*, *Claudius Ioſephus* de *Ferriere f)*, *Chriſtian. Godfried Hoffmann* g) & Dn. *Burcardus Gotthelf Struuius h)* ſiſtunt.

a) dans l'hiſtoire du droit romain Paris. 1678. 12. b) in hiſtoria iuris ciuilis Romanorum Pariſ. 1678. 12. c) in iurisprudentiæ rom. exercitationibus Ienæ 1696. 8. d) in delineatione hiſtoriæ iuris ciuilis. e) de ortu & progreſſu iuris ciuilis Neapoli 1701. 8. & 1714. 4. & Lipſiæ 1717. 4. f) dans l'hiſtoire du droit romain Paris. 1718. 12. g) in hiſtoria iuris romano-Iuſtinianei Lipſ. 1718. 4. h) in hiſtoria iuris romani Ienæ 1718. 4.

§. LVII.

Sicuti autem perfecta iuris romani hiſtoria tradi non poteſt, niſi & hiſtoriæ iuris Græci habeatur ratio, ſcriptores, qui huius iuris hiſtoriam delinearunt, etiam ſunt euoluendi.

§. LVIII.

Ad hiſtoriam itaque iuris romano-græci pernoſcendam faciunt *Ioſephi Mariæ Suareſii* Eiſcopi Vaſonenſis notitia Baſilicorum ad *Vrbanum VIII.* pontificem *a)* conſcripta, a *Carolo Hannibale Fabrotto* Tomo I. Baſilicorum præmiſſa *b)* & a celeberrimo viro *Ioanne Alberto Fabricio* Volumini XII. Bibliothecæ græcæ *c)* inſerta notisque illuſtrata; *Iacobus Gothofredus d)*, *Marquard Freherus e)*, *Chriſtfried Wächtler f)* & Dn. *Struuius g)*.

a) Romæ 1637. b) edit. Pariſ. de an. 1647. c) pag. 467. d) in manuale iuris cap. 5. & 6. e) in præfat. quam iuri Græco anno 1596. in f. edito præmiſit. f) in litteris ad I. M. B. Actis Erudit. A. 1715. p. 505. inſertis. g) in hiſtoria iuris cap. 4.

§. LIX.

§. LIX.

Nondum impressa iuris Græci volumina recensent *Petrus Lambecius a)*, *Daniel Nesselius b)* & *Scipio Maffei* in epistola ad apostolum *Zennum* tomo sexto diarii Veneti eruditorum Italiæ inserta *c)*.

a) L. 6. & 8. comment. de Biblioth. Vindeb. *b)* Parte 2. catalogi Bibliothec. Vindebon. *c)* pag. 479.

§. LX.

Præterea iuris romano-germanici cultori scitu admodum necessaria est historia iuris Germanici tam vniuersalis quam particularis; Recessuum imperii historiam *Ericus Mauricius a)* & *Io. Werlhofen b)* exhibent, iurium vero particularium germanicorum historiam *Hermannus Conringius c)*, *Conradus Sincerus d)*, *Christian. Godfried Hoffmann e)*, *auctor* huius libri: **in eröffneten Gedancken von dem Teutschen Stadt- und Land-Recht** *f)* & Dn. *Struuius g)* sistunt.

a) in dissertatione de Recessibus Imperii, quæ in eius operibus pag. 123. reperitur. *b)* in iuris publici enucleati speciminibus Helmst. 1695. & 1706. 4. *c)* in tractatu de origine iuris germanici Helmst. 1665. 4. *d)* seu potius *Georg. Kulpisius* in dissertatione epistolica: de Germanicarum LL. veterum ac romani iuris in republica nostra origine auctoritateque præsenti 1682. edita, a *Christiano Thomasio* notis illustrata & vsui moderno D. subiecta. *e)* in specimine coniecturarum politicarum: de origine & natura LL. germanicarum Lips. 1715. 4. *f)* Ienæ 1720. 8. *g)* in historia iuris Germanici cum aliorum iurium historia coniunctim Ienæ 1718. 4. edita.

§. LXI.

Iuris præterea Saxonici historiam *Matth. Colerus a)*, *Io. Gryphiander b)*, *Christoph. Schreiter c)* & *Mart. Færster d)* exposuerunt.

a) in oratione de origine, progressu, & vtilitate iuris Saxonici Ienæ an. 1579. recitata. *b)* de Weichbildis Saxonicis Argent. 1666. 4. *c)* in dissertat. Lipsiensi

de origine iuris Saxonici communis & electoralis 1710. habita. *d*) in dissertatione de speculo Saxonico sub præsidio Rinckii Altorfi 1718. ventilata.

§. LXII.

Ultimo denique iuris romani cultori comparationem notitiæ auctorum iuridicorum commendo, ad quam parandam *Martinus Lippenius* in Bibliotheca Iuridica *a*), Dn. *Struuius* in Bibliotheca iuridica *b*), L B. *de Lyncker* in instructorio forensi *c*), *Georg. Beyer* in tribus centuriis auctorum iuridicorum *d*) & *Dionysius Simon e*) faciunt.

a) Francof. 1607. in fol. edita & aucta a *Gottlieb Struuio* cum præfatione *Guilielmi Hieronymi Bruckneri* soceri nostri venerandi Frf. 1720. in f. prodiit. *b*) Ienæ 1703. 8. edita & sæpius recusa. *c*) Ienæ 1698. in f. *d*) Lipf. 1703. 8. editis. *e*) dans la nouvelle Bibliotheque historique & chronologique des principaux auteurs & interpretes du droit civil. Canonique, & particulier de plusieurs etats & provinces. Paris 1673. 12. 2. Vol.

§. LXIII.

Qui itaque hisce ad Iurisprudentiam accedit ducibus, non rabula, sed verus ICtus euadet, &, ut verbis *Manilii a*) utar:

Hic etiam legum tabulas, & condita iura
Nouerit, atque notis levibus pendentia verba,
Et licitum didicit, vetitum quæ pœna sequatur,
Perpetuus populi priuato in limine Prætor.

a) In libr. Astronomic.

PART.



PART. I.

HISTORIÆ IVRIS ANTE-IVSTINIANEI.

CAP. I.

DE LEGIBVS REGIIS.

§. I.

INitio ciuitatis romanæ populus sine iure certo viuebat, omniaque manu a regibus, nulla ex lege, neque formula, sed prout iustum & æquum illis videbatur, gubernabantur *a*).

a) v. *Dion. Halicarn. IV.* c. 1. *Iustinus* I. c. 1. *Tacitus* L. 3. Annal. c. 26. *Pomponius* L. 2. §. 1. de orig. iur. & ad eum *Bynkershoeckius* in prætermissis.

§. II.

Aucta deinde civitate *Romulus*, qui primus Romanorum rex dicitur, quasdam in comitiis curiatis suffragio populi leges tulit, quibus potissimum ius naturæ extulit, iuraque matrimonii, parentum & patronorum stabiliuit *a*).

a) v. *Dion. Halicarn.* L. 2. & *Aurelius Victor.* De viris illustr. p. m. 714.

§. III.

Primo enim modum nubendi per confarreationem, quo certis verbis & testibus decem præsentibus, & solenni facto sacrificio, in quo panis quoque farreus adhibebatur, vxor conveniebat in manum mariti, introduxit. *a*).

a) v. *Halicarn.* II. 26. *Tacitus* IV. Annal. 16. ibique *Gronou.* in not. p. m. 271. seq. *Cicero* pro Flacco c. 34. *Vlpianus in fragm.* IX. 1. & XI. 13. *Barnab. Brisson.* & *Franc. Hot-*

Hottomannus de ritu nuptiarum, illuſtris *Thomaſius* in differt. ad tit. I. de nupt. *Ioan. Gottlieb. Heineccius* in Syntagm. antiquit. ſub tit. de Nuptiis. *Petrus Marcellinus Corradinus* in Veteri Latio c. X. & XI. & *Chriſtian Vlricus Grupe* in Tract. de vxore Romana Hanou. 1726. 8. edit.

§. IV.

Deinde plures leges maritales tulit, magnamque prærogatiuam maritis præ vxoribus conceſſit; maritus enim vxoris iudex erat, de delictis eius cum cognatis cognoſcebat, & in adulterio deprehenſam vxorem necare poterat.

a) v. *Dionyſ. Halicarn.* L. 2. *Gellius* L. 10. Noct. attic. c. 23. & *Thomaſius* in diſſertatione *de origine & progreſſu pœnæ adulterarum apud Romanos* cap. 1.

§. V.

Ampliſſimam præterea vrbis conditor *Romulus* patri in liberos dedit poteſtatem, vt recte Imperator: a) *Nulli enim alii ſunt homines, qui talem in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus*, dixerit, nec obſtat, quod *Vlpianus* b) patriam poteſtatem moribus receptam dicat, non enim nouum eſt, quæ veteribus primum legibus introducta ſunt, moribus adſcribi c).

a) in §. 2. l. de patria pot. b) in L. 8. D. de his, qui ſunt ſui vel alieni iur. c) vid. *Anton. Schulting.* ad tit. 4. §. 8. collat. LL. Moſaic. & roman. & *Maeſters* in diſſ. ad L. 9. D. de L. Pompej. de Parricid. Traject. 1722. vent. pag. 11.

§. VI.

Complectebatur autem ius patriæ poteſtatis ius vitæ & necis, ius ter venumdandi liberos, & denique ius adquirendi per illos, quod ſolide *Philippus Dattius* a), *Gerhardus Noodtius* b), *Cornelius Bynckershoeckius* c), *Abraham à Kerckraad* d) & *Abraham Wieling* e) expoſuerunt.

a) de venditione liberorum. b) in Iulio Paulo ſive de par-

partus expositione & nece apud veteres. c) de iure occidendi, vendendi & exponendi liberos apud veteres Romanos, nec non in scriptis eristicis super hac materia a celeberrimo *Noodtio* & *Bynkershoeckio* publice editis. d) in differt. de iure patrio. Vltrajecti 1708. in 8. e) in Differt. 1. De Iure antiquo vitæ ac necis parentum in liberos. Amstelod. 1723.

§. VII.

Nec minus iuris patronatus auctor fuit; voluit enim, vt patricii parentum munere fungerentur ergá plebeios a); vnde & patroni vocabantur, plebeii vero patricios colerent, omnemque reuerentiam illis exhiberent, vnde & clientes dicti, quasi colentes; egregie autem patronorum & clientum officia *Dionys. Halicarnassensis* b) & *Desiderius Heraldus* c) exposuerunt, quod *Romuli* institutum ICtis Romæ originem dedisse recte *Fridericus Brummer* e), *Joann. Gottlieb Heineccius* e) & alii monuerunt.

a) Hinc Romulum hanc legem dedisse: PATRONVS, SI CLIENTI FRAVDEM FECERIT, DITI SACER ESTO, *Seruius* ad Virgil. VI. Æneid. v. 609. adnotauit. v. *Rad. Fornerius VI.* Rer. Quotid. 15. b) L. 2. c) L. 2. rerum iudicatarum auctor. cap. 4. & 5. d) in commentar. ad L. Cinciam. e) in syntagm. antiqu. sub tit. de Iure N. G. & ciuili §. 29.

§. VIII.

Sed caue, omnes leges, quæ *Romulo* a Legum regiarum collectoribus adscribuntur, genuinas esse credas; multas enim, inprimis quas *Franciscus Balduinus* ex tabula, quam ei *Bartholomæus Marlianus* exhibuerat, quæque in huius Topographia vrbis Romæ a) inuenitur, recensuit b), ex historiarum monumentis in speciem veri esse confictas, eruditi c), ex eo quod tam nitide sint conscriptæ, ut seculo pene aureo scriptæ videantur, animaduerterunt.

a) pag. 26. b) singulari opusculo *Balduinus Romuli* leges collegit & exposuit. c) vid. *Georg. Schubart* de

fatis

fatis iurisprud. roman. exercitat. 1. pag. 64. & celeberrimi *Walchii* hiſtor. critica Latinæ linguæ p. 27.

§. IX.

Numæ Pompilius rex prudentiſſimus, omnisque diuini ac humani iuris peritus, non ſolum anteceſſoris ſui leges firmauit, ſed etiam ipſe multas de homicidio, contractibus, finibus, atque terminis, teſtibus *Dion. Halicarn. a*) *Gellio b*) & *Plinio c*) promulgavit.

a) L. 2. *b*) L. 4. c. 3. *c*) L. 14. hiſtor. natur. cap. 12.

§. X.

Maximam autem huius *Numæ* leges conuenientiam cum legibus Moſaicis habere videntur, unde etiam *Clemens Alexandrinus a*) *Numam*, moſaica nixum doctrina, legem dediſſe Romanis, ne vllam Deo imaginem tribuerent, dixit, quod argumentum copioſe *Guilielm. Muelenius b*) perſequitur.

a) apud *Euſebium* L. 9. præpar. c. 3. dicit etiam *Alexandrinus* Numam Pythagoricum fuiſſe, ſed falſo, cum, multis ante Pythagoram eum annis vixiſſe, ex *Liuio I.* 18. *Cicerone II.* De Orat. & IV. Tuſc. Quæſt. *Solino* c. XVI. Polyh. conſtet. vid. *Gronouius* in not. ad Gellium XVII. 21. *b*) ad Tit. D. de I. & I. & *de orig. iur.* pag. 354.

§. XI.

Præterea religionibus & iure diuino populum deuinxit, pontificem maximum ſacris præpoſuit, quæque ad ritus & cærimonias pertinent, octo libris complexus eſt *a*)

a) *Halicarnaſs.* L. 2. *Liuius* L. 1. c. 20. *Tacitus* L. 3. Annal. c. 26. Qui ex SCto combuſti ſunt, vti *Liuius XL.* 20. *Plinius XIII.* Hiſtor. Nat. 13. *Plutarchus* in Numa & *Val. Maximus* Lib. 1. c. 1. referunt.

§. XII.

Sicuti vero Pontificis Maximi ſumma tum circa leges tum circa iudicia apud Romanos fuit poteſtas, ita

ita ſciendum eſt, cum omnes lites ſacras iudicaſſe, leges de rebus ſacris tuliſſe, formulasque actionum ſollennes compoſuiſſe, de quo Pontificatu Romanorum maximo præclara *Iacobus Gutherius a)*, *Ioan. Andreas Boſius b)*, *Ezechiel Spanbemius c)*, *Antonius van Dale d)*, *Montfauconius e)* & *Noriſius f)* protulerunt.

a) de veteri iure pontificio Pariſ. 1612. 4to. b) in diſſertationibus contra *Ioannem Pacidium* ſeu *Iacobum Gothofredum*, *de pontificatu maximo Imperatorum Chriſtianorum* Ienæ 1656. editis. c) de vſu numismatum pag. 691. d) differtat. 2. ad antiquitates ex marmoribus explicandas. e) Tom. II. Antiquit. Schemat. illuſtr. p. 20. f) in Cenotaph. Piſan. Diſſ. 1. c. 5. & Diſſ. 2. c. 7.

§. XIII.

Referunt quoque L. 2. D. *de mortuo inferendo Antonius Auguſtinus a)* & cum eo doctiores plerique inter Numæ leges, nec absque ratione, cum multas leges funerarias ab hoc rege latas eſſe ſciamus.

a) de LL. & SCtis pag. 130. add. *Zachar. Huber.* L. III. Diſſ. Philol. & Iurid. 7.

§. XIV.

Tullus Hoſtilius, *Ancus Martius a)* & *Tarquinius Priſcus* paucas tulerunt leges, quas *Dion. Halicarnaſſ. b)* & *Liuius c)* recenſent. Maiorem vero ad ius ciuile *Seruius Tullius* operam contulit; leges enim anteceſſorum vetuſtate neglectas non ſolum in vſum reuocauit, ſed & de contractibus, delictis, item de fœnore, nexis, & ære alieno leges, quibus ipſi reges, teſte *Tacito d)* & *Halicarnaſſenſi e)*, obtemperarent, rogauit.

a) Vtrum hic Rex iuris fetialium primus auctor ſit? v. a. *Ioannem Ienſium* in ferculo litterar. p. 57. ubi ex profeſſo de fetialibus P. Romani agit. b) L. 3. c) L. 1. c. 26. 28. & 32. d) L. 3. annal. c. 26. e) L. 4.

§. XV.

§. XV.

Tarquinius Superbus novas leges non promulgauit, ſed potius anteceſſorum ſuorum ſuſtulit, traditumque a prioribus regibus morem ſoluit, vnde odium populi romani in ſe concitauit, & ob ſtuprum *Lucretiæ L. Tarquinii Collatini* cognati ſui vxori A. V. C. 244. illatum Roma eiectus, regiumque nomen proſcriptum fuit *a*).

a) *Liuius* L. 1. cap. 57. ad 60.

§. XVI.

Vocabantur autem leges regum romanorum regiæ, item curiatæ, centuriatæ, ex eo, quod populus, a *Romulo* in triginta partes ſeu curias, a *Seruio* vero *Tullio* in 192. centurias diuiſus, de legibus ferendis ſub regibus conueniret, easque probaret *a*).

a) vid. *Halicarn.* Lib. 1. & 4. *Guilielmus Muelenius* ad tit. de orig. iur. p. 349. *Sam. Pitiſcus* in Lexico voce *Comitia* & *Gronou.* in not. ad *Gellium* L. XV. c. 27.

§. XVII.

Has leges regias *Publius Papirius*, ſeu ut alii *a*) malunt, *Papiſius*, qui tamen perperam a *Pomponio b*) ſextus appellatur, collegit, quæ collectio ab eodem *Pomponio c*) ius ciuile Papirianum vocatur; ad quod *Granium Flaccum d*) commentarium ſcripſiſſe *Paulus* ICtus in L. 144. de V. S. auctor eſt, cuiusque fragmentum bene longum apud *Macrobium* extat *e*).

a) ut *Petrus Faber* L. 1. ſemeſtr. cap. 11. & *Iac. Rævardus* de auctor. prudentum cap. 1. *Papiſii* enim in *Papirios* poſtea mutati ſunt v. *Cicero* L. IX. ad Pætum epiſt. 21. De Papiriis ICtis v. *Curtius I.* Conject. 25. *b*) in L. 2. §. 2. de orig. iur. Clar. *Heineccius* prænomen *Caii* Publio in Elem. Iur. Ciu. ſecun-

ſecundum τ' ad Tit. de Orig. Iur. §. 31. præfert. c. XI. quod tamen non Iuris Papiriani portionem, ſed ex Granii Flacci libro deſcriptum eſſe Vir. Cl. *Petrus Weſſeling*. L. I. Var. Obſeru. c. 4. non ſine ratione ſtatuit. c. loc. cit. d) cuius meminit *Macrobius* Lib. I. Saturnal. c. 16. familiam vero eius *Ludovicus Carrio* L. I. Emendat. c. 4. deſcribit. e) L. III. Saturn.

§. XVIII.

Vixit autem & ſcripſit *Publius Papirius*, ut ex *Dionyſio Halicarnaſſenſi* liquet, temporibus *Tarquinii Superbi Demarathi Corinthii* nepotis, nec eſt, quod *Pomponium*, qui in L. 2. §. 2. D. de orig. iur. *Papirium* temporibus *Tarquinii Superbi Demarathi Corinthii* filii vixiſſe dicit, erroris accuſemus, errorem enim in ſcriptura eſſe, & legendum: *Superbus Demarathi Corinthii* FILIUS h. e. ex regula geminationis *filii filius* bene *Cornelius Bynckersboeckius* a) admonuit.

a) in prætermiſſis ad L. 2. §. 2. D. de orig. iur.

§. XIX.

Legum regiarum fragmenta poſt renatas literas *Antonius Auguſtinus* a), *Iuſtus Lipſius* b), *Ioan. Guilielm. Fœrſter* c), *Pardulphus Prateius* d), *Paulus Merula* e), *Anton. Clarus Sylvius* f), *Andreas Cirinus* g) aliique collegerunt; eaſdem leges *Fridericus Sylburgius* antiquitatibus *Dionyſii Halicarnaſſenſis* ſubiecit, ad quarum calcem in editione Wecheliana, Lipſienſi & Oxonienſi conſpiciuntur.

a) de LL. & SCtis Romæ 1584. 4. ad quem *Fulvius Urſinus* notas conſcripſit, quæ T. 2. Theſauri Græviani reperiuntur. b) de LL. regiis & decemuiralibus Antuerp. 1601. 4. c) in hiſtor. iur. rom. d) in iurisprud. veteri Lugd. 1569. 8. e) L. 2. de LL. f) Pariſ. 1603. 4. g) in libro de vrbe Roma eiusque conditore Romulo Panormi 1665. fol. edito & theſauro Salengreano inſerto.

C A P. I I.

DE STATV LEGVM ROMANARVM POST EIECTOS REGES VSQVE AD PROMVLGATIONEM LEGVM XII. TABVLARVM.

§. I.

Eiectis regibus A. V. C. 244. legum etiam regiarum auctoritas exoleuit, populusque Romanus per sexaginta fere annos incerto iure egit, omniaque manu a consulibus, teste *Pomponio a)*, fuerunt gubernata.

a) in L. 2. §. 3. de O. I. add. *Cicero* II. de Leg. **Regio imperio duo sunto, iique praeeundo, iudicando, consulendo, Praetores, Iudices, Consules appellanto.**

§. II.

Exoleuerunt vero omnes leges regiae, non illae solummodo, quae ad mores regios, regnique pertinebant statum, vti quidem *Georgius Eberlinus a)* existimat, nam si quae in vsu manserunt, eae non tanquam leges regiae, sed tanquam mores patrii obseruabantur *b)*, unde & *Ulpianus c)* patriam potestatem recte moribus acceptam dicit.

a) ad *Pomponium* de O. I. c. 4. n. 15. b) vid. *Thomasius* in naevis iurisprud. anteiust. p. 134. c) in L. 8. D. de his, qui sunt sui vel alieni iur.

§. III.

Occurrit etiam in §. 3. L. 2. de O. I. ἀναχρονισμὸς *Pomponii*; nam non viginti sed sexaginta fere anni a legibus regiis sublatis ad promulgatas leges XII. Tabularum intercesserunt, ad quem tollendum varia Doctores adtulerunt, sed mihi viri amplissimi *Cornelii Bynckershoeckii* arridet coniectura, qui *a)* in libris

libris ſcriptum fuiſſe *Viginti annis*, quod ſexaginta non viginti annis exponi debebat, exiſtimat.

a) in prætermiſſis ad *Pomponii* l. c.

§. IV.

Non tamen leges regiæ lege illa Tribunitia, quam *Brutus* adhuc Tribunus Celerum de imperio conſulari ad populum tulit, vti quidam ſentiunt, ſed deſuetudine exoleuerunt, verba enim Pomponii in §. 3. *lege Tribunicia* ad eiectionem regum non legum regiarum abrogationem eſſe trahenda, & legendum: *Exactis deinde Regibus lege Tribunicia, omnes leges hæ exoleuerunt*, doctiores *a*) iam dudum animaduerterunt.

a) *Conr. Rittersbuſius* ad LL. XII. Tab. p. 9. & Dn. *Thomaſius* in nævis iurisprud. anteiuſtin. pag. 33.

§. V.

Et cum diſſidia ea tempeſtate inter ſenatum & plebem fuerint maxima, partim de ſumma in republica poteſtate, quam Conſules poſt eiectos reges ad ſe traxerant, partim de annonæ caritate, ære alieno populo remittendo, & de diuidendis cum plebe agris, miſera quoque iurisprudentiæ romanæ fuit facies, pauciſſimæque leges latæ. *a*)

a) v. *Halicarn.* L. IV. ad 8. & *Liuius* Lib. II.

§. VI.

Sunt autem leges, quæ in hac periodo latæ, *Iunia* de imperio conſulari, *Valeria* de prouocatione a conſulibus ad populum *a*), *Sacratæ* de poteſtate Tribunitia *b*), *Publilia* vt plebeii magiſtratus tributis comitiis fierent *c*), *Terentilla* de quinque viris ſcribendis, qui de imperio conſulari leges ferrent *d*), *Caſſia* de agris diuidundis. *e*)

a) *Dion. Halicarn.* L. V. & *Pomponius* §. 16. *b*) *Liu.* L. II. c. 32. Cur autem hæ leges Sacratæ dictæ? vid. apud *Rad. Fornerium* VI. Rer. Quotid. 15. *c*) *Liu.* L. II. c. 56. *d*) L. III. c. 9. *e*) *Halicarn.* L. II. *Liu.* II. c. 41. & *Val. Maximus* V. 7. ibique *Torrenius* in not.

C 2 §. VII.

§. VII.

Ex hisce tamen recensitis legibus non magna in iurisprudentiam romanam redundat vtilitas, cum publicum magis Romanorum concernant statum, quam conditionem priuatorum.

§. VIII.

Post varia, de introducendo in rempublicam romanam iure certo, dissidia, A. V. C. 300. *Sp. Tarpeio* & *A. Aeternino* Coss. suasu *Romilii* tres legati *Sp. Posthumius Albus*, *A. Manlius*, & *Sulpicius Camerinus* in Graeciam, vt Graecorum mores & instituta noscerent, ac describerent, sunt missi. *a*)

a) *Dion. Halicarn.* Lib. X. *Liuius* L. III. & *Plinius* VIII. epist. fin. ibi: *Habe ante oculos hanc esse terram, quae nobis miserit iura, quae leges non inuitis, sed petentibus dederit.* Ridiculam fabulam de hac legatione *Roberti Marantae* ex speculo huius aureo p. 3. n. 2. *Henr. Habnius* in orat. De vsu chronologiae in iure §. 31. recenset.

§. IX.

Sed hic rursus inter scriptores antiquos ab vna & *Pomponium* ab altera parte non conuenit, nam illi tres, hic vero *a*) decem viros in Graeciam ad petendas leges missos esse memorat, quare viri doctissimi ad componendum hoc dissidium varia attulerunt; *Clarus* enim *Syluius b*) tres ex decem missos fuisse existimat, *Cuiacius* contra Pomponium compendio studuisse dicit *c*), sed mihi iterum *Bynckershoeckii* sententia placet, qui traiectis verbis Pomponium ab errore liberare studet *d*), & ita legit: *Placuit publica auctoritate peterentur leges a Graecis ciuitatibus, & decem constitui viros, per quos ciuitas fundaretur legibus.*

a) §. 4. *b*) in commentario ad LL. XII. Tabul. *c*) in notis ad Pomponium. *d*) in praetermissis ad eundem. conf. *Rad. Fornerius* II. Rer. Quotid. 15.

§. X.

§. X.

Videtur etiam maximam ſtatus romani imperfectionem ſapere, quod leges a Græcis fuerint petitæ, quem defectum etiam illuſtris *Thomaſius a)* notat, verum, cum legislatoriam poteſtatem neque plebi patricii, neque patriciis plebs permittendam iudicaret, vix autem, rempublicam diutius ſine lege ſinere, conſultum eſſet, mitius de Romanis, leges peregrinas petentibus, ſentiendum eſſe, cenſeo *b)*.

a) in næuis pag. 159. *b)* Non tantum Decemuiros leges Græcorum deſcripſiſſe, ſed etiam Prætores, Conſules, Imperatores illorum prudentiam æmulatos fuisſe, *Rad. Fornerius* I. Rer. Quot. 15. variis exemplis monſtrat.

C A P. I I I.

DE STATV LEGVM ROMANARVM SVB DECEMVIRIS, ET DE CONDITIONE LEGVM DVODECIM TABVLARVM.

§. I.

Reuerſis poſt biennium e Græcia legatis, decemuiri A. V. C. 302. iuris communis condendi gratia, ſunt creati, qui partim ex Græcorum iure, partim ex patriis inſtitutis decem tabulas compilarunt, populoque publice propoſuerunt. *a)*

a) *Dion. Halicarn.* L. X. *Gellius* L. XX. c. 1. & *Liuius* L. III. c. 33. add. *Georg. Goetzii* diſſ. *De Decemuiratu Romanorum*, Ienæ 1670. habita.

§. II.

Caue tamen, ſolas Athenienſium leges in has X. tabulas relatas eſſe, exiſtimes, nam quamvis *Solonis* leges ſolas commemorent ſcriptores quamplurimi *a)*,

attamen Lacedæmoniorum, nec non aliorum legislatorum, *Draconis* nimirum, *Zaleuci*, & *Charondæ* leges non excludendas esse, ex *Symmacho b*) & *Gellio c*) constat.

a) hinc *Cicero* pro *Flacco: Adsunt Athenienses, unde humanitas doctrinaque, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur*, add. *Tacitus* III. Annal. 27. & *Plinius* VIII. epist. fin. æquitatem legum Atheniensium etiam *Phædrus* I. *Fabul* 2. commendat. *b*) epistol. 12. L. 3. *c*) qui L. XX. c. 1. duodecim tabulas inquisitis exploratisque multarum vrbium legibus scriptas esse testatur. conf. *Edmundus Merillius* L. 2. obs. iur. c. 10.

§. III.

Inde est, quod ius Romanum sit vel scriptum, vel non scriptum *a*), quodue illud in multis cum iure Græco conspiret; quare ex veteribus *Plutarchus b*) & *Diodorus Siculus c*), ex recentioribus vero *Ioannes Meursius d*), *Pardulphus Prateius e*), *Conradus Rittershusius f*), *Samuel Petitus g*), *Claudius Salmasius* & *Desiderius Heraldus h*), qui ad iuris Græci antiqui notitiam parandam egregie faciunt, consulendi sunt.

a) Licet enim Romani iam ab ipso Romulo & moribus & legibus regerentur: tamen ab hoc tempore, quo Romani leges à Græcis petierunt, Jus Romanum in scriptum & non scriptum distinctum fuisse, ex Gaii Lib. I. Instit. Tit. I. & §. 10. I. de Iure N. G. & Ciu. patet. v. *Ferandus Adduensis* L. I. explicat. iur. ad L. 6. §. 1. de I. & I. *b*) in Solone. *c*) in Bibliotheca historica. *d*) in Solone seu de eius vita & legibus Hafniæ 1632. 4. in Themide Attica Traiecti 1685. 4. vt & in miscellaneis, quæ cura *Puffendorffii* Amstelod. 1661. 4. prodierunt. *e*) in iurisprud. veteri Lugd. 1559. 8. recensionem huius libri T. I. obs. Hall. p. 82. inuenies. *f*) in collatione actionum Atticarum & Romanarum commentario ad Instit. subiuncta. *g*) in comment. ad LL. Atticas Paris. 1635. f. *h*) in scriptis eristicis ad Ius Atticum spectantibus, quæ recensentur a *Beyero* spec. 2. auct. iurid. & Dn. *Struvio*

vio in prolegom. ad hist. iur. p. 45. Quæ & similia scripta, in *Iacobi Gronouii* Græcarum Antiquit. Thesauro, qui XII. Tom. in f. ab a. 1697. ad 1702. Lugd. Batau. prodiit, reperiuntur, v. Clar. *Fabricii* Bibliogr. Antiqu. p. 36.

§. IV.

Præter ius Græcum, multa etiam ex legum regiarum reliquiis & institutis patriis in leges XII. Tabularum migrarunt; quod ex veteribus *Dionysius Halicarnassensis a*), *Festus b*), *Liuius c*) & *Vlpianus d*) aperte testantur; ex recentioribus vero *Iacobus Cuiacius e*), *Guilielmus Maranus f*), & *Georg. Eberlin g*) probarunt.

a) L. 2. & 10. *b*) de verborum significatione voce *reus, nuptias, plorare*. *c*) Lib. VI. c. 1. *d*) in fragment. tit. 10. §. 1. *e*) L. III. obs. c. 40. *f*) ad L. 2. de O. I. p. 107. *g*) de orig. iur. c. 4.

§. V.

Cum vero decemuiri & Græci sermonis plane essent ignari & prudentia legislatoria parum instructi, *Hermodoro* exule Ephesino partim interprete, partim tabularum conficiendarum auctore, fuerunt vsi *a*); vnde etiam in illius honorem statua fuit erecta *b*).

a) L. 2. §. 4. de orig. iur. *Thomasius* in nævis pag. 165. *b*) *Cicero* L. V. Tuscul. quæst. *Plinius* L. XXXIV. histor. natur. c. 3. *Diog. Laërtius* in vita Heracliti.

§. VI.

Quo autem decemuiri eo magis imperium suum stabilirent, deesse quasdam leges populo persuaserunt, ac duas adhuc tabulas decem prioribus propria auctoritate adiecerunt, quæ tamen abrogato decemuirorum imperio a consulibus demum vim legum acceperunt, vnde leges XII. Tabularum sunt ortæ *a*).

a) *Dion. Halicarn.* L. X. *Liuius* L. III. *Macrobius* L. I. Saturn. c. 13. & *Pomponius* in L. 2. §. 4. de orig. iur.

§. VII.

Hæ leges primum roboreis, deinde eboreis & postremum æneis tabulis *a*) sunt incisæ; vnde *Ouidius* canit *b*):

- - - *Nec verba minantia fixo.*
Ære ligabantur, *c*)

& pro rostris illustri loco in foro ante Curiam Hostiliam, vt a populo apertius possent perspici, propositæ fuerunt *d*).

a) *Pomponius* §. 4. has tabulas fuisse eboreas statuit, cui tamen *Dionys. Halicarn.* L. III. & X. *Liuius* L. III. & quicquid in antiquitate superest contradicit, æneasque fuisse dicit, vnde optime facimus, si cum *Cuiacio* & *Bynckershoeckio* ad dictum §. 4. tempora distinguamus, & primum hasce tabulas roboreas, deinde eboreas & postremum æneas fuisse statuamus. *b*) Lib. I. Metam. v. 19. *c*) De more incidendi leges in æs, vid. *Guil. Fornerius* I. Select. 24. *d*) vid. *Diodorus Siculus* L. XX. Biblioth. Histor. & *Val. Maximus* IX. 5. ibique *Torrenius* in not. nec non Prolusio nostra: *De variis veterum Legibus suis sanctitatem auctoritatemque conciliandi modis* Ienæ 1729. edita.

§. VIII.

Licet autem quidam breuitatem, alii obscuritatem *a*), alii denique iniquitatem *b*), in hisce legibus desiderent, fuerunt tamen illæ, teste *Liuio c*), fons omnis subsecuti publici priuatique iuris Romani, iuxta illud:

Flumina magna vides paruis de fontibus orta.

Vnde etiam omnium philosophorum Bibliothecis, omniumque aliarum ciuitatum legibus *Cicero d*) illas anteponendas censet.

a) v. *Sexti Cæcilii* ICti & *Fauorini* philosophi apud *Gellium* L. V. c. 15. Lib. XVI. c. 10. & L. XX. c. 1. de harum legum obscuritate disputationes conf. *Mercerius* II. opin. c. 3. *b*) v. *Quinctilianus* L. III. Instit. orat. c. 6. & *Tertullianus* in apologet. cap. 4. sed legatur amplissimus *Bynckershoeckius* L. I. obseru. iur. r.

vbi

vbi ab iniquitate has leges quoad concessam debitorum sectionem tam solide liberauit, vt omnium fere eruditorum applausum meruerit. add. Excerpta ex litteris *Christfried Wächtleri* IC. ad I. B. M. in Actis Erud. a. 1710. p. 73. *c*) Lib. III. c. 34. vel & *Tacitus* III. Ann. c. 27. ait: *Finis aequi iuris.* *d*) L. I. de oratore. sed vid. *Petri Petiti.* Miscellan. IV. cap. 5.

§. IX.

Vnde etiam *lex* per eminentiam de XII. Tabulis in iure nostro dicitur, & *legitimum*, quicquid ex illa lege descendit, v. g. *legitima cognatio* v. Tit. XVI. Collat. Leg. Mos. & Roman. *legitima Tutela* v. Tit. I. de legit. agn. tut, *legitima conuentio* v. L. 6. & 7. D. de Pact. *legitima poena* L. 7. §. 1. De condict. furtiu. *aqua legitima* i. e. *pluuia eiusque arcendae actio legitima* L. 22. de Aqu. vel A. P. *a*)

a) v. *Ianus* a *Costa* ad Tit. I. de legit. agn. tut. *Merillius* V. c. 10. Quam significationem, qui ignorant, in interpretandis legibus misere labuntur. *Mercerius* II. Opin. 3. at *Franc. Bosquetus* in not. ad Innocent. III. Epistol. p. m. 214.

§. X.

Continebant hae leges XII. Tabularum ius priuatum, publicum, & sacrum. Ad ius priuatum octo priores tabulae pertinebant, ad ius publicum tabula nona, ad sacrum decima tabula, vndecima in fraudem legis erat adiecta, vnde etiam contumeliae caussa Osca, quod ex Faliscorum iure ciuili, quos Romani Oscos vocabant, esset petita, fuit dicta *a*), duodecima denique priorum tabularum quasi erat supplementum, vnde *Ausonius* canit:

Ius triplex, tabulae quod ter sanxere quaternae
Sacrum, priuatum, & populi commune quod vsquam, est.

a) *Theodorus Marcilius* in interpretam. LL. XII. Tabularum pag. 9.

§. XI.

Sicuti autem Decemuiri ab in ius vocatione suam le-

legem sunt orsi, quem ordinem etiam *Saluius Iulianus* in edicto perpetuo, & *Gaius* in commentariis ad Leges XII. Tabularum *a*) seruarunt, ita ex prima tabula Tituli Digestorum: *De in ius vocando b*), *si quis in ius vocatus &c.* originem suam trahunt.

a) vti ex inscriptione L. 18. 20. & 22. *de in ius vocat.* L. 6. *si quis cautionibus &c.* & L. 233 de V. S. patet. *b*) ex hac tabula, & quidem ex verbis NIT, ANTESTAMINO: IGITUR EN CAPITO. SI CALVITUR PEDEMVE STRVIT MANVM ENDO IACITO Doctores violentam in ius vocationem etiam in caussis ciuilibus obtinuisse, probare conantur, sed violentam hanc in caussis ciuilibus in ius vocationem ex legibus XII. Tab. probari non posse, solide Dn. *Gundlingius in Gundlingian.* Part. 25. n. 2. monstrauit. simulque ad argumenta dissentientium respondit. conf. Beati I. P. *Sleuogtii* diss. *De in ius vocatione antiqua & hodierna.*

§. XII.

Tabula secunda actum fuit I. de die iudicii obeundo, legitimisque vademonii deferendi caussis *a*), II. de furto variisque eius speciebus nocturno scilicet & diurno, manifesto & non manifesto, concepto & oblato, prohibito & non exhibito *b*) III. de prohibita vsucapione rei furtiuæ §. 2. I. de *vsucap.* IV. de arboribus furtim cæsis L. 2. & 4. D. h. t. & *Paulus* L. 5. sent. tit. 20. §. 6. *c*).

a) v. Tit. D. *Si quis cautionibus in iud. sist. factis non obtemper.* *b*) v. §. 4. I. de *obligation. quæ ex del. nasc. Tatii Alpini* epistola ad *Wolfgangum Hungarum* conscripta & editioni Institutionum *Io. Wateri* subiecta, & *Wielingi* schediasma de furto per lancem & licium concepto Marpurgi 1717. & *auctor. Anonymus*, qui occasione illius schediasm. Conjecturalem disquisitionem Helmstad. 1721. 4. edidit. qua legem XII. Tabb. de furto per lancem & licium concepto explicat, à deprauatione Triboniani & ceterorum interpretum vindicat, cumque diuinis legibus illud confert. quibus addi possunt *Ioannes Water* L. II. obs. iur. cap. 1. *Petr. Pithœus.* I. Aduers. c. 2. *Jos. Aueranius* I. Interpr. c. 26. &

& *Heineccius* in Syntagm. antiq. ad Tit. *de oblig. quae ex del. nasc.* c) v. *Merillius* IV. 33. & libro III. ex Cuiacio p. m. 321. & *Rad. Fornerius* IV. 26.

§. XIII.

In Tabula tertia I. pœna dupli in dolosum depositarium fuit statuta, quam tamen pœnam Prætor postea mitigauit, actionemque in simplum tantum, excepto deposito miserabili, dedit. L. 1. §. 1. D. *depositi* a). II. Hosti seu peregrino vsucapiendi facultas fuit denegata, quæ tamen posterioribus temporibus, imprimis post constitutionem *Antonini Caracallæ* cum multis peregrinis communicata b); Præterea III. multa de rebus creditis, sectione nimirum obæratorum debitorum & vsuris in hac tabula disposita legimus c).

a) v. *Paulus* II. Sent. 11. §. 12. & a. *Collatorem Legum Mosaic.* tit. X. §. 7. nec non *Gundlingiana* P. II. p. 179. b) vid. *Ezechiel Spanhemius* in orbe Rom. Exercit. 2. c. 13. c) v. *Tacitus* VI. Ann. 16. ibique *Gronou.* in not. *Cornelius Bynckershoeckius* L. I. obseru. iur. 1. *Claudius Salmasius* de vsuris, & modo vsurarum, *Gerbard Noodt* de fœnore & vsuris.

§. XIV.

Tabula quarta sancitum fuit de iure patrio & de trina venditione liberorum, vnde originem trina illa imaginaria venditio, a ritu, quem prudentes adhibuerunt, emancipatio dicta, habuit a), deque partu legitimo decimo mense post mortem patris nato b), hinc vulgaris illa de postumis instituendis apud veteres nata videtur formula: *Qui post mortem meam in decem mensibus proximis natus erit.*

a) v. *Gaius* Lib. I. Instit. Tit. 6. & *Vlpianus* in Fragm. tit. 10. §. 1. ibique *Anton. Schulting.* in not. b) v. L. 3. §. 9. 11. 12. D. *de suis & legit. hered. Gellius* L. III. c. 16. & L. V. c. 5. *Merillius* V. Obs. c. 30. & *Gundlingiana* P. IIX. p. 229.

§. XV.

Tabula quinta dispositum erat I. de tutela testamentaria & legitima a) nec non cura furiosorum & pro-

prodigorum, quamuis verosimile sit, eam iam ante leges XII. Tabularum obtinuisse, & deinde in hasce leges migrasse, cum moribus eiusmodi curatio apud *Paulum b*) tribuatur, II. de successione testamentaria & legitima *c*) & III. de obligationibus hæreditariis ipso iure inter hæredes diuidundis *d*).

a) v. L. 1. *de testam. tut.* L. 1. *de legit. tut. Vlpianus* in fragm. tit. 12. §. 2. *b*) Lib. III. recept. Sent. tit. 4. conf. L. 1. D. *de curat. fur. Cicero* L. III. *Tuscul. quæst.* & L. II. de inuent. add. *Guil. Fornerius* II. Select. 5. *c*) L. 9. §. 2. D. *de lib. & postum. Vlpianus* in fragm. tit. 26. §. 1. ibique *Schulting. Thomasius* de sensu legis Decemuiralis testamentariæ & *Bynckershoeckius* Lib. II. obs. 1. & 2. *d*) L. 25. §. 13. *fam. ercisc.* L. 6. C. eod. & L. vlt. *de hæredit. action.* conf. Prolusio nostra: De *ICtis erciscundis siue Miscellionibus.* §. 6.

§. XVI.

Tabula sexta actum fuit I. de iure dominii eiusque adquirendi modis, sicuti autem res, quæ in dominio priuatorum, erant vel mancipi vel nec mancipi, ita etiam diuersi a Romanis introducti erant alienandi modi, iuris nimirum gentium & iuris ciuilis *a*), II. de vxore sine iusta causa a marito non dimittenda *b*), de actione de tigno iuncto in duplum *c*).

a) de quibus vid. *Vlpianus* Tit. IX. *Heineccius* in syntagm. antiquit. ad Tit. 1. Lib. II. de *rer. diu.* & *Cornelius Bynckershoeckius* in tract. de rebus mancipi & nec mancipi, qui inter opuscula eius Lugd. Batau. 1719. 4. edita, reperitur. *b*) L. 43. D. ad L. Iul. de adult. *Cicero* Philipp. II. conf. *Zacharias Huber* II. Diss. Iurid. 3. *c*) §. 29. I. *de rer. diu.* vnde etiam hæc actio *antiqua* in L. 23. §. 6. D. de R. V. dicitur.

§. XVII.

Tabula septima de variis criminibus fuit actum, nimirum I. de noxa animalium *a*), II. de damno iniuria casuque dato *b*), III. de incantamentis frugum, IV. de incendio *c*), V. de iniuriis tam leuioribus

tibus quam grauioribus, verbalibus & realibus *d*); VI. de tutoris dolo furtoque *e*), VII. de falsis testimoniis *f*) & VIII. de parricidio *g*).

a) L. 1. D. *si quadrupes paup. fec. dic.* *b*) L. 1. D. ad L. *Aquil.* *c*) *Paulus* L. V. Sent. tit. 3. & 20. *d*) Collat. LL. Mosaic. & Rom. II. 5. *Paulus* L. V. Sent. tit. 4. §. 6. & §. 7. I. *de iniur.* *e*) v. tit. I. & D. *de suspect. tut.* & *de tutel. & rat. distrab. &c.* *f*) §. 6. I. *testam. ordin.* & *Gellius* L. XV. c. 13. *g*) v. *Cicero* I. ad Herennium c. 13. *Bynckershoeck.* I. Obs. 4. licet alii, anno DC. post V. C. demum pœnam in parricidas fuisse statutam, existiment, vt *Nicol. de Meesters* in diss. ad L. 9. de L. Pompeia de Parric. Trai. 1722. habit. add. *Ioann. Franc. Ramoz.* ICti Salmantic. *Tribonianus* siue *Errores Triboniani de pœna parricidii in §. 6. I. de publicis iudic.* Lugd. Batau. 1728. edit.

§. XVIII.

Tabula octaua sancitum fuit I. de iure prædiorum tam rusticorum quam vrbanorum *a*), II. de finibus agrorum finiumque regundorum iudicio *b*), III. de arboribus cædendis *c*) & glande legenda, & denique IV. de aqua pluuia vicino nocente arcenda *d*).

a) v. L. 8. D. *de seruit. præd. rustic.* L. 58. *de iur. dot. Cuiac.* I. obs. c. 4. & *Brissonius* L. I. Antiqu. c. 1. *b*) L. f. D. *fin. regund.* & *Cicero* Lib. II. de LL. *Nec ex Mamilia lege singuli: sed ex* XII. *Tabularum tres arbitri fines regemus.* vid. *Alciatus* de præscriptione V. pedum & *Zach. Huber.* II. Disput. p. 370. *c*) L. 1. §. 8. & L. 2. D. h. t. v. *Merillius* ex Cuiacio p. 321. & *Heinecc.* ad π sub Tit. De *arb. cæd.* *d*) L. 22. D. h. t. & L. 5. *ne quid in loc. public.* L. 21. pr. *De statu lib.*

§. XIX.

Tabula nona ad ius publicum spectabat, cautumque, ne ius exorbitans & singulare statuatur *a*), ne quis nisi maximo comitatu, i. e. iussu populi damnetur, vtque quæstores constituerentur, qui de rebus

bus capitalibus quærerent *b*). Ne quis cœtus nocturnos in vrbe ageret, aut hostem concitaret, aut ciuem hosti sub pœna capitis traderet *c*).

a) Vnde *Cicero pro Domo* de hoc iure singulari ait: *Nihil est crudelius, nihil perniciosius, nihil quod minus hæc ciuitas ferre possit.* Cum itaque Senatus principesque Romani sæpius alicui tale priuilegium odiosum irrogarent, vt pœna damnatorum in X. dies differretur, SCto cautum fuit *Sueton.* in Tiber. c. 74. & *Tacit.* III. Annal. c. 51. quem terminum *Theodosius* deinceps ad XXX. dies in L. 20. C. de pœn. extendit. v. *Sirmondus* in notis ad Sidon. p. 17. *b*) L. 2. §. 23. de O. I. & *Festus* voce *Quæstores.* *c*) L. 3. D. ad L. *Iul. Maiest.* add. Obs. Hall. in addit. ad Tom. X. p. 72.

§. XX.

Tabula decima & vndecima ius sacrum continuere, duodecima fuit cautum de pignoribus *a*), de re litigiosa sub pœna dupli non alienanda *b*), de malæ fidei possessore *c*) & de noxali actione *d*).

a) v. L. 238. §. 2. de V. S. *b*) L. f. D. de *litig.* *c*) L. 19. de vsur. & fruct. *d*) L. 2. §. 1. de nox. act.

§. XXI.

Dicitur autem Ius, quod Legibus XII. Tabularum continetur, *antiquum*, *vetus*, *Iurisprudentia antiqua.* Ita *lex antiqua* in L. 1. §. 1. de Nox. act. *Ius vetus* in L. 1. de hered. pet. *hereditas vetus* in L. 1. §. 8. ad SCt. Trebell. *actio antiqua* in L. 23. §. 6. de rei vind. & *Lex vetus* in L. 1. de orig. iur. occurrit *a*).

a) v. Clar. *Schulting* in Iurisprud. Anteiustin. p. 597.

§. XXII.

Hæ leges XII. Tabularum A. V. C. 368. Gallico incendio vna cum ipsa vrbe conflagrarunt, postea tamen teste *Liuio a*) fuerunt restitutæ, &, ne iterum amitterentur, a pueris vt carmen necessarium, narrante *Cicerone b*), addisci debuerunt.

a) L. VI. c. 1. *b*) L. II. de Legibus c. 4. & 21. *Petrus* tamen *Perrenonius* I. Animadu. 27. Ciceronem non

de

de LL. XII. Tabb. ſed de XII. vnciis, quæ aſſem conficiunt, intelligit, Romanosque à pueritia calculis operam dediſſe, & aſſem in varias partes deducere didiciſſe, exiſtimat, huncque *Horatium* de arte Poët. p. 325. trahit.

Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in parteis centum deducere.

ſed Ciceronem de LL. XII. Tabb. loqui, contextus docet.

§. XXIII.

Licet autem ſua adhuc ætate illas perduraſſe *Diodorus Siculus a*), qui Auguſti ætate vixit, ſcribat, idemque *Cyprianus* teſtetur *b*), imo ipſo Iuſtinianeo æuo in commentariis ſcilicet *Gaii* ICti, quibus integrum Legum XII. Tabularum textum inſertum fuiſſe, ex fragmentis, in Digeſtis reliquis, patet, extiterint, ad noſtram tamen ætatem integræ illæ non peruenerunt.

a) L. XII. Biblioth. Hiſtor. *b*) L. II. epiſt. 2. ad *Donatum.*

§. XXIV.

Ex veteribus ICtis ad Leges XII. Tabularum *Sextus Ælius a*), L. *Acilius b*), *M. Portius Cato*, *Seruius Sulpitius c*) *T. Gaius*, qui integrum Legum XII. Tabularum ſenſum commentariis ſuis inſeruit, & *Antiſtius Labeo d*) commentati ſunt.

a) in Tripartitis, in quibus Legem XII. Tabularum præpoſuit, illique interpretationem & actionem adiecit vid. §. 38. L. 2. *de orig. iur.* *b*) Ita enim *Cicero* II. de Legibus ait: *Quid leſſum XII. TT. appellarent, veteres earum interpretes L. Ælius & L. Acilius non ſatis ſe intelligere, dixerunt.* *c*) quod ex L. 237. ſi cum eius inſcriptione confertur, colligitur. *d*) vid. *Gellius* L. I. c. 12. Lib. V. c. 15. & Lib. XX. cap. 1.

§. XXV.

Ex recentioribus ICtis illas reſtituerunt, notisque & commentariis ſuis illuſtrarunt *Antonius Auguſtinus*

nus a); *Franciscus Balduinus b*), *Iacobus Raeuardus c*), *Aimarus Riuallius d*), *Basinstochius e*), *Theodorus Marcilius f*), *Conradus Rittershusius g*) *Ricardus Vitus h*), *Crispinus i*), *Ianus Vincentius Grauina k*) & qui omnibus palmam praeripuit *Iacobus Gothofredus*, quippe qui Leges XII. Tabularum ordini suo restituit, historiam, probationem, notas & Glossarium adiecit *l*).

a) de LL. & SCtis Romae 1584. 4. *b*) Basileae 1557. 8. *c*) in oper. suis Tom. I. *d*) in histor. iur. Moguntiae 1539. 8. edita. *e*) Atrebat. 1597. *f*) in interpretam. LL. XII. TT. Paris. 1603. 12. *g*) in comment. LL. XII. Tabul. *h*) in notis ad LL. XII. Tabb. Atrebati 1598. 8. *i*) cuius annotationes ad L. XII. TT. in notis ad Petronium edit. Burmann. p. 515. citantur. *k*) L. II. orig. iur. ciu. *l*) haec collectio in quatuor fontibus iuris ciuilis, Geneuae 1653. 4. editis, reperitur.

§. XXVI.

Occurrunt alia adhuc apud scriptores Romanos Legum XII. Tabularum fragmenta, à recentioribus Doctoribus non memorata, nec inter fragmenta harum legum relata *a*); sed falso saepius tam à veteribus, quam recentioribus Decemuiris tribui, quae ab illis nec statuta, nec in XII. Tabulas relata sunt, *Ioannes Mercerius b*) monuit, exemplisque illustrauit.

a) v. *Gellius XX.* 1. *Cicero* de Leg. III. *Alciatus* I. Parerg. 17. *Cuiacius* IX. Obs. c. 37. *Guil. Fornerius* I. Select. 6. *Rad. Fornerius* III. Rer. Quotid. 10. *Mercerius* II. Opin. 25. *Iustus Fontaninus* in Antiquit. Hortae L. I. c. 1. p. 38. *b*) Lib. I. Opin. & Obs. c. 17.

§. XXVII.

Nec silentio praetereundi sunt illi, qui veram legum XII. Tabularum lectionem repraesentare conati sunt, vt *Ioannes Funccius a*), *Balthasar Branchu b*) aliique; egregium denique auxilium in exponen-

ponendis intelligendisque Legum XII. Tabularum verbis *Claudius Dausquius* & *Cellarius c*), nec non *Norisius d*) præstant.

a) in tractatu de pueritia Latinæ linguæ Marpurgi 1721. edito. *b*) in obseruationibus ad ius Romanum, quæ Lugd. Bat. 1721. 8. prodierunt cap. 10. vbi etiam quædam aduersus *Funccium*, peculiari schediasmate ab hoc deinceps excepta, monuit. *c*) in orthographia. *d*) in Cenotaphiis Pisanis.

CAP. IV.

DE INTERPRETATIONE PRVDENTVM ET DISPVTATIONE FORI.

§. I.

CVm autem leges XII. Tabb. nimis breues & obscuræ essent; paullo post illarum publicationem orta est interpretatio prudentum, & disputatio fori, Romanique magis ICtorum opinionibus, quam scriptis legibus causas controuersas deciderunt *a*.)

a) vid. §. 5. L. 2. *de orig. iur.* quem locum corruptum *Bynckershoeckius* in *prætermissis* restituit.

§. II.

Interpretari autem leges ICti solebant partim libris scriptis, partim editis responsis, partim disputatione fori, de qua hoc capite nobis agendum erit.

§. III.

Ad fori itaque disputationem quod attinet, solebant viri iuris peritia maxime conspicui graues perplexasque iuris quæstiones aliis ICtis proponere, rationesque suas eum in finem allegare, quo viderent, quid prudentibus & peritioribus magis probaretur, quoque communem decisionem inuenirent *a*).

D *a*) De-

a) De hisce fori disputationibus *Cicero* in Topic. ad Trebatium ait: *Hoc differendi genus attingit vestras quoque in respondendo disputationes*, & *Ascon. Paedianus*, in *Verr.* III: *Maleficia*, ait, *sponte non disputatione ICtorum fugienda sunt.*

§. IV.

Ita *Augustus* ob quaestionem: *Vtrum codicillorum vsus esset introducendus?* ICtos interque eos Trebatium conuocauit *a*). Eodem modo *Paulus* ICtus *b*) *quum de quodam quaereretur, an recte exhaeredatus videretur, Scaeuolam respondisse non videri, & in disputando responsi sui rationem eundem Scaeuolam adiecisse*, ait.

a) v. §. 1. I. de Codic. *b*) L. 19. D. de lib. & postumis aliud exemplum in L. 17. D. *de iure patron.* occurrit.

§. V.

Plures eiusmodi fori disputationes apud *Ciceronem a*), in L. 78. §. pen. D. *de iure dotium*, L. f. *pro legat.* L. 32. *de obligat. & act.* & L. f. §. 26. *de muner. & bonor.* occurrunt.

a) Lib. I. de oratore & L. I. de fin. add. *Gottlied Slevogtii* programma: De disputatione fori Ienae 1724. edit.

§. VI.

Huiusmodi disputationum libros *Venuleius* VII, *Scaeuola* I, *Vlpianus* X, *Tryphoninus* vero XXI. reliquerunt, ex quibus multae leges in Digestorum corpus sunt relatae *a*).

a) *Iacobi Labitti* index ICtorum p. 137. 171. & 229. edit. *Gundling.* in quibus saepius verba: *dixi, dicebam, placuit, putarunt, post magnas varietates obtinuit* & similia occurrunt. v. *Petrus Perrenonius* II. Animadu. c. 11.

§. VII.

Non tamen prudentes in eruendo genuino legis sensu substiterunt, sed legislatores magis *a*), quam interpretes egerunt, vnique legi quid addiderunt, alteri

alteri vero ademerunt, inde eſt, quod interpretatio prudentum apud Romanos ſingularem iuris ſpeciem conſtituerit.

a) Elegans huius rei teſtimonium eſt apud *Ciceronem* pro Muræna c. 12. ibi: *Quum permulta præclare legibus eſſent conſtituta, ea ICtorum ingeniis pleraque corrupta ac deprauata ſunt.* &c.

§. VIII.

Non autem quælibet ICtorum interpretationes vim legis ſtatim habebant, ſed eæ, quæ paullatim, vtilitate ſuadente, a populo probatæ, vel in foro vexatæ erant, tandem quaſi *κυρίαι δόξαι*, ſiue; vt *Cicero* interpretatur, ratæ ac firmæ ſententiæ in mos & ius commune tranſibant *a*), atque RECEPTA SENTENTIA, RECEPTVM IVS, RECEPTVS MOS, dicebantur *b*).

a) Et hoc ſenſu prudentes iura condere, componere, conſtituere in Lib. 29. de lib. & poſtum. & L. 3. de conjung. cum emancip. lib. dicuntur. v. *Rad. Fornerius* V. Rer. Quotid. 3. *b*) v. L. 215. de V. O. d. f. pro legat. L. 32. de O. & A.

§. IV.

Ex hac iuris ſpecie plura iuris capita prodierunt, nimirum ſubſtitutio pupillaris *a*), querela inofficioſi teſtamenti *b*); quamuis *Iacobus Cuiacius c*) & *Ioannes Gottlieb Heineccius d*) lege Glicia hanc querelam introductam eſſe, contendant.

a) L. 2. D. *de vulgari & pupill.* *b*) v. *Franc. Hottomannus* in diſſert. *de quarta legitima* cap. 1. *Ianus Vinc. Grauina* in orig. iur. ciu. p. 649. & *Cornelius Bynckersboeckius* L. II. obſ. 21. & L. XVII. obſ. 17. *d*) in antiquit. ad inſtit. L. II. p. 515. Qui tamen Vir doctiſſ. in nou. edit. nec non in Elem. Iur. Ciu. ſecundum ordinem ꝑ ſub Tit. *De inoffic. Teſtam.* in *Hottomanni & Bynckersboeckii* ſententiam conceſſit.

§. X.

Eandem originem habuiſſe videntur adquiſitio per arrogationem *a*), legitima patronorum tutela *b*), codicillorum vſus, prohibitio donationis inter virum

& vxorem *c*), differentia inter exhæredationem filiorum & filiarum *d*), ſtipulatio Aquiliana, regula Catoniana, actio rei vxoriæ, quarta legitimæ *e*) aliaque iuris capita quamplurima *f*).

a) vid. Tit. l. h. *b*) *Vlpianus* in fragm. tit. 11. §. 3. & L. 3. pr. & §. 1. D. de legit. tut. *c*) v. L. 1. de don. inter V. & U. *d*) pr. I. de exher. lib. *e*) v. *Contius* I. Subſec. lect. 3. & *Ioann. Water*. I. Obſ. 11. & *Rad. Fornerius* V. Rer. Quotid. c. 3. *f*) *Grauina* in orig. iur. ciu. §. 43. Aliud adhuc exemplum vid. apud V. C. *Euer. Ottonem* in not. ad. §. 41. Inſt. de Rer. Diuiſ.

§. XI.

Hæc iuris Romani ſpecies vocatur ius ciuile in §. 5. & 12. L. 2. D. *de orig. iur.* pr. l. *de vſucapion.* §. 3. l. *de teſtament. ordin.* §. 3. l. *de exhæredat. liber.* §. 25. *de legatis* §. 9. *de hæredit. quæ ab inteſt. defer.* §. 1. *de bonor. poſſeſſ.* L. 7. D. *de bon. damnat.* & apud *Paulum* L. IV. ſentent. Tit. 8. §. 3.

§. XII.

Vocatur etiam ius conſuetudinarium, vnde *Theophilus a*) inter leges ſcriptas & auctoritatem prudentum diſtinguit. Dicitur per manus traditum *b*), conſenſu receptum *c*), poſt multas variationes receptum *d*), commentitium *e*), id eſt ex commentatione ſeu interpretatione prudentum ortum.

a) in paraphraſi ad proœm. I. de *offic. iudic.* *b*) in L. 10. π de *iure codicill.* *c*) in pr. I. de *adquiſ. per arrogat.* Hinc *Cicero* de Inuent. L. II. ait: *Conſuetudinis ius eſſe putatur id, quod voluntate omnium ſine lege vetuſta comprobauit.* v. L. 40. de Legib. & *Rad. Fornerius* V. Rer. Quot. 3. *d*) in L. f. *pro legat.* & L. 32. de O. & A. *e*) in L. 20. D. *de pœn.*

§. XIII.

Denique hæc iuris ciuilis ſpecies media ab Imperatore *Iuſtiniano a*) vocatur iuriſprudentia, vnde *Cuiacius*, *Hottomannus*, *Pacius* & *Straucbius*, qui per mediam iuriſprudentiam legem Voconiam intelligunt,

gunt, & *Vldaricus Zasius b*), qui per mediam eam, quæ *Traianum* secuta est, intelligit, errant *c*).

a) in §. 3. l. de *legit. agnat. success.* Licet in omnia alia eant *Perizonius* in diss. de L. Voconia & Clariss. *Heineccius* in Elem. iur. ciu. secundum Instit. pag. 8. & secundum Digesta sub Tit. de Orig. iur. §. 45. & mediam iurisprudentiam ab Hadriano ad Constantinum M. porrigi, statuant. *b*) ad L. 1. D. de legat. 1. n. 3. *c*) vid. M. *Aurelius Galuanus* de vsuf. c. 6. *Baekeln.* de diuers. fam. vet. ICt. & *Euer. Otto* in Papiniano c. III. §. 2.

§. XIV.

Priuato studio hoc ius ciuile *P. Mucius* X. *M. Brutus* VII. *M. Manilius* III. libris collegerunt, *Quintus* vero *Mucius Scæuola* in vnum corpus & XVIII. libros illud redegit, ad quos deinceps *Pomponium* XXIX. libros conscripsisse, ex indice auctorum, Pandectis præfixo, patet.

§. XV.

Per hanc interpretationem prudentum & fori disputationem Romana non multum profecit iurisprudentia; cum enim in interpretandis XII. Tabularum legibus non vna omnium ICtorum fuerit sententia, secundum *Persium*:

Mille hominum species, & rerum discolor vsus
Velle cuique suum est, nec voto viuitur vno.

factum est, vt magna introduceretur iuris incertitudo ac subtilitas *a*), suaque mole Romana laborare inciperet iurisprudentia.

a) Hinc tritum factum esse prouerbium: *Summum ius, summa iniuria*, *Terentius* in Heautont. Act. IV. Scen. 4. v. 47. *Cicero* I. offic. 10. & *Columella* I. de Re rust. c. 7. testantur.

CAP. V.

DE IVRISPRVDENTIA ROMANORVM FORMVLARIA.

§. I.

Eodem tempore prudentes legum actiones, id est formulas, quibus includerentur descendentes ex Legibus XII. Tabularum actiones, quibusque, si quis apud magistratum, vel eum, qui iuris dicendi habebat potestatem, agere vellet, vtendum erat, quo plebi difficiliorem iuris redderent vsum, sibique legislatoriam vindicarent potestatem, excogitarunt *a*).

a) vid. §. 6. L. 2. de *orig. iur. Ioann. Schilteri* de iure formulario Romanorum & Francorum tractatio quae Exercit. eius ad D. p. 27. est inserta: *Ioann. Hieron. Stengeri* diss. De Iure formulario, Lips. 1709. hab. nec non *Ioan. Gottlieb Heineccii* de Iurisprudentia Romanorum formularia oratio Franeckerae 1724. recitata.

§. II.

Consistebant autem legis actiones in certis solennitatibus tam respectu actionis, quam ratione temporis & loci ab iis, qui in iudiciis agere volebant, ad amussim & sub iactura totius causae testantibus *Cicerone a*) & *Quintiliano b*) obseruandis; nonnunquam tamen praetor *c*) vel princeps *d*) eum, qui formula ceciderat, in integrum restituisse videtur.

a) Lib. II. de *inuent.* c. 19. *ita ius ciuile habemus constitutum, vt causa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit.* conf. idem pro *Muraena* & pro *Roscio Comoedo.* *b*) L. III. *instit.* orat. c. 8. & L. VII. c. 3. *c*) docet nos hoc *Seneca* epist. 48. *Quid enim aliud agitis, quum eum, quem interrogatis, scienter in fraudem inducitis, quam vt formula cecidisse videatur, sed quemadmodum illum praetor, sic hos in integrum philosophia restituit.* *d*) De Claudio id testatur *Suetonius.*

tonius c. XIV. *Nec semper præscripta legum secutus*, ait, *duritiem lenitatemue multarum*, *ex bono & æquo perinde vt afficeretur*, *moderatus est. Nam & iis*, *qui apud priuatos iudices plus petendo formula excidissent*, *restituit actiones*. conf. *Barn. Brissonius* IV. Select. antiqu. c. 10.

§. III.

Sicuti autem omnes actiones adeo formulis erant adstrictæ, vt ipsæ formularum nomine venerint *a*), ita respectu actionis in personam hæc erant concepta verba: AIO TE MIHI DARE AVT FACERE OPORTERE; respectu actionis in rem & quidem rei immobilis vindicationis hæc erant concepta verba: FVNDVS, QVI EST IN AGRO, QVI SABINVS VOCATVR, MEVS EST: EVM EGO EX IVRE MEVM ESSE AIO; rei denique mobilis ita instituebatur vindicatio, vt is, qui rem vindicabat, eam manu tenens diceret: HANC EGO REM EX IVRE QVIRITIVM MEAM ESSE AIO *b*).

a) Ita legis Aquiliæ actio *damni dati formula* a Plinio IX. epist. 59. actio de dolo, *formula de dolo malo* a *Cicer.* III. de offic. & I. de fin. dicitur, huc etiam *formula familiæ ercifcundæ* apud *Apulei.* IX. Metam. in fin. *formula hypothecaria*, ad quam Gaius & Martianus scripserunt, *formula Fabiana* apud *Paulum* III. Recept. Sent. tit. 3. & *formula injuriarum* apud *Suetonium* in Vitellio c. 7. pertinent. *b*) v. L. 1. §. 1. D. de *Rei vindic. Obrechti* specimen processus antiqui de rei vindicatione, & Illustr. *Bergeri* diss. De Contrauindicatione.

§. IV.

Non tamen tanta τυπικῶν ῥημάτων erat religio, vt nequaquam variarent; variasse enim interdum sententiarum, edictorum, interdictorumque formulas, rectè *Guilielmus Fornerius a*) obseruauit.

a) Lib. III. Select. c. 17.

§. V.

Nec etiam promiscue omnibus diebus actionem instituere licebat, erant enim alii dies fasti, alii nefasti, alii intercisi *a*); fastus dies vocabatur, quo ius dicere aut iudicium exercere, vel tria illa verba DO, DICO, ADDICO a Prætore, qui iudiciis præerat, fari licitum erat, hinc *Ouidius b*):

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

a) v *Varro* de lingua Lat. Lib. V. c. 4. *Gellius* Lib. V. c. 17. & *Polleti* for. Rom. L. I. c. 8. *b*) I. Fastor. v. 47. conf. *Macrobius* I. Saturn. 16.

§. VI.

Dies nefasti erant, quibus, vel quia feriæ erant, vel quod pontifices seu ominis, seu religionis causa iustitium indixerant, fari non licebat, intercisi autem illi dies dicebantur, quibus tantum per pomeridianum tempus fari licebat *a*), si enim mane sacerdotibus placuerit cædere hostiam, iudicia silebant *b*).

a) dies itaque quibus fari licebat, *Vlpiano* in L. 51. D. *vt in poss. legat.* dies sessionum nominantur. v. *Siccama* de Centumu. iudic. Lib. II. c. 1. *Rad. Fornero* II. Rer. Quotid. 21. & *Sam. Pitiscus* in Lex. Antiq. Rom. voce *dies*. *b*) *Ouidius* I. Fastor. v. 51.

Neu toto perstare die sua iura putaris.
Qui iam fastus erit, mane nefastus erat:
Nam simul exta Deo data sunt licet omnia fari,
Verbaque honoratus libera prætor habet.

§. VII.

Sed caue, ne has legis actiones cum actibus legitimis veluti mancipatione, manumissione, hæreditatis aditione, serui optione, tutoris datione, de quibus in L. 77. de R. I. confundas, nam quamuis negandum non sit, etiam actus legitimos in sensu genera-

neraliori ſub nomine legis actionum venire. L. 4. D. de *adoption.* tamen hi actus legitimi à legis actionibus in eo quam maxime differebant, quod illi etiam extra ius & ſine prætore vel alio magiſtratu, hæ vero nunquam niſi apud magiſtratum expediri poterant *a*).

a) vid. *Schubard* Exercit. 2. §. 6. *Hottomann.* XII. obſ. c. 21. *Marcus Lyclama* in iuris Studioſorum libro ſing. pag. 244. *Guil. Muclenius* ad Tit. *de iuſtit. & iure & de orig. jur. pag.* 375. *Petrus Perrenonius* I. Var. lect. 8. & *Heineccius* in Elem. Iur. Ciu. ſecundum ordinem Pandect. ſub Tit. de Orig. Iur. §. 34. & 35.

§. VIII.

Sicut autem hæ legis actiones a prudentibus erant excogitatæ, ita etiam illas veluti ſingulare peculium quoddam *a*), donec ad prætorem ius dandi legis actiones peruenit, ſeruabant, vnde errant, qui cum *Pomponio b*) omnes legis actiones penes collegium pontificum fuiſſe, exiſtimant, cum aliud nos *Cicero c*) edoceat.

a) Hinc *Petronius* omnem ICtorum ſcientiam in formulis conſtare, his verbis cap. 137. dicere voluit:

Carmina componat, declamet, concrepet omnes
Et peragat cauſſas, ſitque Catone prior,
ICtus paret, non paret, habeto
Atque eſto quicquid Seruius & Labeo.

b) in §. 6. L. 2. de D. 1. *c*) L. 2. de Legibus c. 19. ibi: *Sæpe ex patre audiui pontificem neminem bonum eſſe, niſi qui ius ciuile cognoſſet. Totumne? Quid ita? Quid enim ad pontificem de iure parietum aut aquarum, aut vllo ſimilium? Ergo quod cum religione coniunctum eſt. Id autem quantulum eſt? De ſacris credo, de votis, de feriis, de ſepulchris, & ſiquid eiusmodi eſt.* conf. *Barn. Briſſonius* IV. Select. Antiqu. 16. *Chifletius* diſſ. Apolog. c. 4. *Rad. Fornerius* V. Rer. Quotid. 2. & *Heineccius* in ſyntagm. antiquit. p. 66.

§. IX.

Has legis actiones, repositas in penetralibus Pontificum & prudentum *a*), *Cneus Flauius* Scriba *Appii Claudii*, cui collectionem harum formularum sustulerat, vulgauit, fastosque, vt quando lege agi posset, sciretur, circa forum in albo proposuit *b*), vnde ius Flauianum natum est *c*).

a) Vnde *Liuius* L. IX. c. 45. ait: *In Pontificum penetralibus abditum est ius ciuile, abdita dierum ratio, quibus lege agi poterat.* *b*) v. *Liuius* L. IX. c. 46. *c*) v. §. 7. L. 2. de *orig. iur.* Cicero pro Muræna, & *Gellius* L. VI. c. 9.

§. X.

Sed cum *Cneus Flauius* ingratam patriciis rem fecisset, novas agendi excogitarunt formulas, easque, ne iterum proderentur, notis expresserunt intellectu difficilioribus *a*), verum & has formulas notasque denuo S. *Ælius Pætus Catus* summus iuris peritus circa A. V. C. DCIII. euulgavit, vnde ius Ælianum enatum est *b*).

a) Hinc *Cicero* pro Muræna ait: *Itaque irati illis, quod sunt veriti, ne dierum ratione peruulgata & cognita, sine sua opera lege posset agi, notas quasdam composuerunt, vel omnibus in rebus ipsi interessent.* *b*) v. §. 7. L. 2. de *orig. iur.* & *Norisius* in Cenotaph. Pisan. dissert. 3. c. 9. vbi de gente Ælia agit, mirifice etiam hunc Ælium collaudant *Cicero* in Bruto. XX. *Plinius* XXXIII. Hist. Nat. II. & *Ennius* apud Cicer, I. de Orat. 45.

§. XI.

Huius S. *Ælii*, nec non libri eius, qui *Tripartita* inscriptus est, *Pomponius* §. 38. rursus facit mentionem, qui tamen cum iure Æliano vnus idemque esse videtur *a*), quia in tripartitis præter leges XII. Tabularum earumque interpretationem, etiam legis actiones occurrunt *b*).

a) dissentiunt *Bertrandus* de iurisper. L. II. c. 4. & *Guil.*

Guil. Grotius in vit. ICtor. L. I. c. 3. *b*) nobiscum *Heineccius* in *syntagm. antiqu.* p. 12. aliique sentiunt.

§. XII.

Has legis actiones siue solennes actionum formulas Christiani imperatores *Constantinus a*), *Theodosius* & *Valentinianus* sustulerunt *b*), ne vero in posterum leges notis vel zifris conscriberentur, imperator *Iustinianus* sub poena infamiae vetuit *c*).

a) in L. 1. C de form. & imper. action. sublat. *b*) in L. 2. C. eod. conf. *Ger. Noodt*. L. I. de iurisd. c. 15. *c*) in epist. ad antecess. §. 8. & ad Tribonianum §. 13.

§. XIII.

Fit quidem huius rei mentio in L. 47. §. 1. D. *de negot. gest.* quae desumta est ex *Pauli Sentent. Lib.* I. verum locum illum à Triboniano interpolatum, iurique nouo accommodatum esse, additis hisce: *Quia in extraordinariis iudiciis, vbi conceptio formularum non obseruatur*, haec subtilitas superuacua est, viri praestantissimi *Antonius Faber a*), *Hubertus Gipbanius b*), & *Antonius Schulting c*) recte monuerunt *d*).

a) L. 4. Conject. 7. *b*) in prolegom. ad Libr. VIII. C. *c*) in diss. De recusat. iud. c. 7. §. 4. *d*) fuisse autem solemnes actionum formulas temporibus Pauli adhuc in vsu, ex eo potissimum probatur, quod ipse librum singularem, de conceptione formularum, ex quo L. 20. de except. desumta est, scripserit.

§. XIV.

Formulas actionum, vt & reliquas a Romanis in variis negotiis adhibitas, stupenda plane industria *Barnabas Brissonius* collegit *a*), notarum vero iuridicarum post *Valerium Probum*, *Petrum Diaco*-

num

nium & *Mangonem*, qui cura *Friderici Lindenbrogii* coniunctim prodiere *b*), specimen *Ioannes Nicolai* nuperrime edidit *c*).

a) in libris *de formulis* & *solemnibus populi Romani verbis* qui Francof. 1594. 4 & Lipf. 1731. f. cura *Franc. Caroli Conradi* prodierunt. *b*) Lugd. Batau. 1549. 8. *c*) de figlis veterum Lugd. Batau. 1703. 4. conf *Stephani* differt. Regiomont. *de Tachygraphia eiusque in iure vsu*.

CAP. VI.

DE ALIIS ROMANORVM LEGIBVS.

§. I.

Variae praeterea post Leges XII. Tabularum a populo latae funt leges, a plebe plebiscita, a praetoribus ac aedilibus edicta, a Senatu Senatusconfulta, a ICtis Refponfa, a Principibus Conftitutiones, quae omnia iuris Ciuilis Romani partem conftituunt *a*).

a) v. L. 7. D. de Iuft. & I.

§. II.

Lex in iure romano vocatur, quam populus romanus, fuperiore magiftratu rogante, conftituit *a*), vnde etiam ab *Vlpiano* communis reipublicae fponfio dicitur *b*).

a) v. §. 4. I. de *Iure* N. G. & *Civ*. *b*) in L. 1. D. de *leg*. Sicuti autem folus populus legem faciebat, ita etiam ex. L. Cornelia nemo legibus folui poterat, nifi ex more veteri de ea re ad populum relatum esfet. Dio Lib. XXXVI.

§. III.

Erant autem magiftratus fuperiores, qui leges rogare poterant, quibusque cum populo agendi facultas erat, Reges, vnde *leges regiae*, Dictatores, vnde

de *Lex Æmilia de censura*, Consules, vnde *Leges Ælia Sentia, Fusia Caninia, Papia Poppæa* &c. Tribuni militum, inde *lex Pinaria de ambitu*, & denique prætores, hinc *leges Aurelia iudiciaria, Cæcilia, Cassia, Fusia de comitiis* &c. *a*)

a) conf. *Josephus Averanius* Libr. I. *interpr. iur.* cap. 6.

§. IV.

Referunt etiam scriptores inter personas, quibus ius conuocandi comitia competiit, Interreges & Censores, sed, legum ferendarum causa comitia illos habuisse, nullibi legimus, si itaque legum Censoriarum apud *Ciceronem* & *Plinium*, vt legis Cæciliæ *de fullonibus*, fit mentio, de Censorum subscriptione, vel edictis Censorum non legibus proprie sic dictis illas intelligendas esse, cum *Iosepho Aueranio a*) & illustri *Gundlingio b*) censemus *c*).

a) v. L. I. Interpret. iur. c. 6. *b*) in Gundlingianis part. 16. §. 26. vbi recte aduersus *Nieuportum* Censores ius ferendi leges non habuisse, sed executores & conseruatores tantum legum & SCtorum illos fuisse, monuit. *c*) Eodem modo *lex Censoria* in L. 15. D. de Public. & L. 203. de V. S. non lex proprie sic dicta est, sed conditio, quam Censores in locationibus vectigalium adponebant. v. *Merillius* VI. 12. & *Guil. Fornerius* I. Select. 25. add. *Wächtleri* monita ad has LL. in Act. Erudit. a. 1716. p. 261.

§. V.

Regulariter hæ leges nomen suum a rogatore accipiebant, nonnunquam tamen etiam ex re cognomen sortiebantur, vt lex *Cassia agraria*, Gabinia *tabellaria*, Iulia & Aurelia *iudiciaria*, Papia *decimaria*, Cornelia *sumtuaria*, Iulia *Vicesima*, Iulia *Miscella. a*).

a) v. dissertatio nostra: de conditione, si non nupserit, vltimis voluntatibus addita §. 23.

§. VI.

Adhibebantur autem a Romanis in legum latione sequentes solennitates, 1) Legis scriptio, 2) cum senatu communicatio, 3) promulgatio, 4) suasio & dissuasio, 5) sortitio, 6) intercessio, 7) rogatio, 8) suffra-

suffragiorum latio, 9) eorum diremtio, & 10) legis confirmatio, quæ plenius a *Merula a*) & *Heineccio b*) explicantur.

a) in libro de Legibus. b) in Antiquit. Rom. sub tit. de I. N. G. & Ciu.

§. VII.

Locum autem ferendæ legis interdum prata Flaminia, qui postea Circus Flaminius dictus est, interdum lucum Petilinum, quandoque Capitolium, plerumque autem Forum, aut Campum Martium fuisse, apud Scriptores Romanos a) legimus.

a) Quorum loca *Samuel Pitiscus* in Lexico Antiqu. Rom. voce *lex* annotavit.

§. VIII.

Perlatæ ita leges iureiurando confirmabantur, & deinde in æs incidebantur, unde *Ouidius a*)

- - - Nec verba minantia fixo
Ære ligabantur b),

Et publice populo legendæ proponebantur.

a) L. I. Metamorph. & *Guil. Fornerius* I. Select. 24. nec non Prolusio nostra cap. III. §. 7. cit.

§. IX.

Vetus autem lex interdum nova lege vel in totum a), vel pro parte b) tollebatur, vel contrarium aliquid posteriore lege ei rogabatur c), vel, vt tempora moresque requirebant, aliis cautionibus adjectis augebatur d) vel pœna grauior irrogabatur e).

a) Vnde legis abrogatio est L. 102. de V. S. b) inde legis derogatio l. c. c) Hinc legis obrogatio *Festus*: Obrogare est legis prioris infirmandæ causa aliam legem ferre. conf. *Liuius* IX. 34. d) v. *Rad. Fornerius* I. Rer. Quotid. 17. e) *Cicero* II. de offic. 21. *Nondum centum & decem anni sunt* ait, *cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset: at vero postea tot leges & proximæ quæque duriores*, & *Lactantius* VI. Diu. Inst. 8. *Huic*

legi, inquit, *nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest.* Ad odiosa tamen leges non facile trahi poterant. v. *Macrobius* III. Saturnal. c. 17. & *Riccius* Vindic. Iur. cap. 10.

§. X.

Virtus harum legum erat, dicente *Modestino a*), imperare, vetare, permittere, punire, vel, vt *Quinctilianus* ait *b*): *Lex omnis aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut iubet, aut vetat, aut permittit.*

a) In L. 7. D. de *Legibus*. *b*) Lib. VII. Institit. orat. c. 4.

§. XI.

Ex hisce legibus quædam erant perfectæ, quædam minus perfectæ, illæ vocabantur, quæ, quod aduersus leges factum erat, rescindebant *a*). Minus perfectæ leges erant, quæ id, quod factum erat, non rescindebant, sed pœnam imponebant *b*); præterea leges sanctione *c*) carentes etiam imperfectas dictas fuisse, ex *Liuio*, *Macrobio* & *Vlpiano* constat *d*).

a) Hinc, si aduersus legem Iuliam fundus dotalis alienaretur, nec dominium transferebatur, nec fideiussor datus tenebatur L. 42. D. de *vsurp*. & *vsucap*. & L. 46. D. *de fidei*. conf. §. 13. l. de *Nuptiis*. *b*) v. Imperator. *Theodosii* & *Valentiniani* Nou. 4. & L. 1. §. vlt. de *annal. except. Frideric. Brummer* ad L. Ciniam cap. 3. & *Edmundus Merillius* L. V. obseru. iur. cap. 11. *c*) extrema enim legis pars sanctio appellabatur L. sanctio D. *de pœn*. & §. 10. I. de R. D. *d*) Ita lex Cincia dicitur imperfecta, quia nulla pœna hac lege erat prodita, *Vlpianus* fragm. I. §. 1. & 2. XVI. §. 4. & *Burgius* Elect. c. XVIII.

§. XII.

Quædam ex hisce Legibus publicum Romanorum statum, aliæ negotia priuatorum concernebant. Nos iam potiores, quæ de negotiis priuatorum sunt latæ, recensebimus, exactiorem vero Legum Romanarum qui desiderat catalogum, illum apud *Uldaricum* *Za-*

Zasium a), *Franciscum Hottomannum c)*, *Ludouicum Charundam c)* & *Ianum Vincentium Grauinam d)* inueniet.

a) in catalogo Legum Romanarum Argentor. 1551. 8. edito. b) in indice Legum. c) In Legibus Romanorum restitutis Paris. 1567. 4. d) in origin. iur. ciu. Lib. III.

§. XIII.

Præcipuæ itaque leges Romanæ, quæ in iure nostro occurrunt, hæ sunt: Lex *Ælia Sentia* de manumissione seruorum A. V. C. 756. S. *Ælio Cato* & C. *Sentio Saturnino* Coss. lata a) *Æbutia*, per quam furtorum quæstio cum lance & licio est abrogata b). Lex *Ateria Tarpeia* de æstimatione mulctarum lata c).

a) vid. *Norisius* in Cenotaph. Pisanis Diss. III. cap. fin. vbi numisma Ælii Cati & S. Saturnini sculptum, cum Triumuiri Monetarii essent, reperitur. b) v. *Gellius* L. XVI. c. 10. c) ad quam *Ioannem Kolium* Senatorem Amersfurtensem dissertationem scripsisse, *Gronou.* ad Gellium L. XI. c. 1. refert.

§. XIV.

Bæbia Æmilia a M. *Bæbio* & L. *Æmilio* Coss. A. V.C. 571. de ambitu lata; *Claudia* a *Claudio* Imperatore A. V. C. 800. lata, qua cautum, ne creditores pecuniam, filiis familias datam, referente *Tacito a)*, repeterent, &, cum *Suetonius b)* idem de *Vespasino* narret, ingeniose has diuersas *Taciti* & *Suetonii* sententias *Petrus Faber c)* conciliauit.

a) Lib. II. c. 13. b) in Vespasiano cap. 11. c) Libro I. Semestr. cap. 25.

§. XV.

Claudia de Tutela fœminarum cessitia a). *Cornelia* de Sicariis & veneficis a L. *Cornelio Sulla* dictatore A. V. C. 671. lata b). *Cornelia* de iniuriis ab eodem anno 672. perlata. *Cornelia* de falso, quæ falsificationes testamentorum coercuit, quæque de-

inde

inde variis SCtis ad alia falsa prolata est. *Cornelia* de testamentis eorum, qui in potestate hostium essent, ex qua fictio Legis Corneliæ orta. *Cornel* ? de lusu. *c*)

a) v. L. 3. C. de legit. tut. *Ioann. van der Water* Lib. III. obseru. iur. c. 11. *b*) quæ lex sæpius cum Lege Aquilia confundi solet. v. Tom. II. Exercit Francof. Sect. II. n. 5. *c*) cuius legis in L. 3. D. de *aleat.* fit mentio.

§. XVI.

Fabia de plagiariis a *Q. Fabio Leone & M. Claudio* a. 571. lata. *Furia Caninia* S. Furio Camillo & C. Caninio Gallo Coss. a. 751. lata *a*). *Glicia* de querela inofficiosi testamenti *b*).

a) v. *Ioseph. Nerius* I. Analect. 27. *Colerus* Parerg. c. 33. & *Ephraim Gerhardi* diss. Ienens. de hac lege. *b*) v. inscriptio L. 4. D. de inoffic. testam. quamuis *Franc. Hottomannus* in dissertat. de quarta legitima nullam legem Gliciam agnoscat. v. *Bynckershoeck*. L. II. obs. iur. ciu. cap. 12.

§. XVII.

Hostilia, cuius legis nullo in alio iuris nostri loco, quam in pr. I. *de iis, per quos agere poss.* fit mentio. Vnde vero nomen suum hæc lex habeat, inter Doctores non conuenit. *Antonius* Augustinus fluctuat, vt tamen ab Hostilio Mancino, qui A. V. C. 616. Lepidum Porcinam collegam habuit, eam arcessat, pronior est. *Franciscus Hottomannus* & *Antonius Contius* Hostilio Attilii A. V. C. 583. collegæ tribuunt. *Iosephus* denique *Nerius* illam ab hoste sic appellatam esse sibi persuadet *a*). Sed, licet incerta sit huius legis denominatio, ab hoste tamen illam nomen suum non accepisse, certissimum est, quia gens Hostilia Romanis non fuit incognita *b*), & *actiones Hostilianæ* apud *Ciceronem c*) occurrunt.

a) Lib. I. Analect. 26. *b*) Nummum ad Hostiliam gentem pertinentem *Perizonius* in Dissert. triade. p. 222. & in epist. de numm. Consul. p. 236. exhibet, conf. *Sam. Pitiscus* in Lexic. voce *Gens Hostilia*, *Theodor. Sellius* in Specim. Obseru. Miscell. p. 62. *Euer. Otto* in præf. T. II. Thes. Iur. Ciu. præm. *c*) l. de Orat. 57.

§. XVIII.

In primis autem in corpore iuris ciuilis leges *Iuliæ*, a *Iulio Cæſare* & eius ſucceſſore *Auguſto* latæ, celebrantur; ab illo enim deſcendit *Iulia Agraria* de terminis, *Iulia* de vi publica *a*), *Iulia* repetundarum, cuius capita *Carolus Sigonius b*) collegit, commentario vero *Iacobus Gothofredus c*) illuſtrauit.

a) cuius meminit *Cicero* Philipp. I. c. 9. *b*) L. 2. de iudic. c. 27. *c*) Lib. IX. Tit. 27. ad Cod. Theod. Quæ tamen Leges Iuliæ non raro inter ſe confunduntur, exemplum præbet pr. I. *Quib. alien. licet vel non*, quod a multis ad L. Iuliam & Papiam refertur, cum tamen L. Iuliæ de Adulteriis fragmentum ſit.

§. XIX.

Ad *Auguſti* ſancita pertinent *Iulia* de vi publica & priuata, cuius legis capita *Carolus Sigonius a*) collegit, *Iulia* Maieſtatis, cuius capita ſub tit. D. ad L. *Iul.* Maieſtatis extant *b*), *Iulia* de ambitu *c*); *Iulia* de maritandis ordinibus a. 735. lata, quam *Ramez del Manzano d*), *Franciſcus Balduinus*, *Iacobus Gothofredus* & *Ioann. Gottlieb Heineccius e*) reſtituerunt, & ſcriptis ſuis illuſtrarunt.

a) L. 2. de iudic. c. 33. *b*) v. *Franc. Balduinus* ad LL. Maieſtatis Pariſ. 1563. 8. & *Nicolaus Hieronimus Gundlingius* in ſingularibus ad L. Iuliam Maieſt. Halæ 1721. editis. *c*) v. *Kettwig* de ambitu antiquo & hodierno. *d*) qui teſte *Grauina* in origin. iur. ciu. p. 340. immanes ad hanc legem commentarios edidit. *e*) in Comment. ad L. Iul. & Papiam Poppæam Amſtelod. 1726. 4. edit.

§. XX.

Iulia de adulteriis, ad cuius legis XXIX. capita pereruditum *Barnabas Briſſonius a*) commentarium edidit; *Iulia* de viceſima parte hereditatis ex inſtituto Auguſti in fiſcum inferenda *b*); *Iulia caducaria* de bonis vacantibus, *Iulia* de annona; *Iulia* peculatus & de reſiduis; *Iulia* & *Titia* de tutoribus a præ-

præſidibus prouinciarum dandis; *Iulia* de ceſſione bonorum; & *Iulia Miſcella c*).

a) qui Pariſiis 1557. prodiit. *b*) v. diſſ. Ienenſ. præſide illuſtri *Ioan. Philipp. Sleuogtio* de viceſima hæreditatis habita. *c*) v. tit. C. de indicta viduit. toll. & L. Iul. Miſcell. Nou. 22. cap. 43. & differt. noſtra. De conditione ſi non nupſerit, vltimis voluntatibus addita. Non tamen hæc lex a Iulio Miſcello, vti Latinus Nou. XXII. c. 43. & 44. interpres fabulatur, ſed a mixtis, quas in ſe continebat, rebus, ita dicta fuit. vid Proluſio noſtra: De ICtis Erciſcundis ſiue Miſcellionibus, quorum fragmenta in Digeſtis ſuperſunt, Ienæ 1728. edit. §. 7.

§. XXI.

Iunia Norbana de libertinis M. *Iunio Silano & L. Norbano Balbo* Coſſ. a 771. rogata; *Iunia Petronia a*) a. 819. data; *Iunia Velleia* de hæreditate quaſi poſtumorum *b*); *Lætoria* de cura minorum *c*); *Papia Poppæa* quæ cum Lege Iulia de maritandis ordinibus coincidit *d*); *Pompeia* de Parricidis; *Remmia*, ſeu vt alii eam vocant, *Memmia*, de falſis accuſationibus *e*).

a) v. *Paullus* IV. Sentent. 12. & L. 24. D. de Manumiſſ. cuius legis capita *Rad. Fornerius* II. Rer. Quot. 29. & nuperrime *Hermann. Noordkerk* in diſqu. de L. Petronia Amſtel. 1731. 8. collegit. *b*) v. §. 2. I. de exhered. liber. L. 29. D. de *liber. poſth. hered. inſtit.* & *Lelius Taurellus* ad eam legem. *c*) huius *Plautus* in Pſeudolo SC. 1. act. 3. v. 68. ſub nomine quinceuicenariæ legis facit mentionem v. *Hertogenii* diſſ. Ienenſ. cui tit. *Tribonianus non errans circa Legem Lætoriam.* *d*) Maximam autem Legis Iuliæ & Papiæ Poppææ fuiſſe auctoritatem, ex eo patet, quod ſimpliciter ſæpius nomine legum in iure noſtro veniant v. *Merillius* V. 10. & VIII. 10. *Euer. Otto* in Papin. c. 7. doctiſſ. *Heineccius* in Comm. ad L. Iul. & Papiam L. I. c. 1. §. 4. & *Lipſius* in Excurſ. ad Tacitum apud *Gronou.* p. 737. add. *Kirchmaieri* Lex Papia Poppæa & *Franc. de Amaya* L. II. Obſeru. c. 1. *e*) v. *Ephraim Gerhardi* de criminum abolit. diſſ. c. 1. & *Henrici Brenckmanni* de L. Remmia, quæ

E 2 Tom.

Tom. IV. Thesauri iuris ciuilis inserta reperitur, dissertatio.

§. XXII.

Rhodia de iactu, cuius magna apud Romanos fuit auctoritas, cuiusque historiam & contenta *Iacobus Gothofredus a)*, *Cornelius Bynckershoeckius b) & Petrus van der Schelling c)* nobis exposuerunt. *Scribonia* de vsucapione seruitutum, de qua *Iacobus Ræuardus d)* ex instituto scripsit. Lex *Iunia* Velleia *e)*.

a) cuius ὑπόμνημα de L. Rhodia Geneu. 1654. prodiit. b) in libro singulari ad L. 9. ff. ad L. Rhodiam de iactu Hagæ 1703. 8. edito. c) in diatribe theoretico-practica de Lege Rhodia de iactu Lugd. Batau. 1722. 8. edita add. *Pagan. Gaudentius* Lib. II. Expos. Iurid. p. m. 126. d) scriptum Raeuardi inter cetera eius opera reperitur. conf. Clar. *Ioann. Wateurus* II. Obseruat. c. 18. e) de Legis Velleiæ capitibus nonnullis *Tet leu Langerbeck* annotat. ad LL. difficiliores cap. 41. agit. add. Celeb. *Schulting* in Iurisprud. Anteiust. p. 640.

§. XXIII.

Supersunt & aliæ leges, quas tamen, cum magis statum Romanorum politicum; quam negotia priuatorum respiciant, merito prætermittimus. Ex antiquis de hisce Romanorum legibus Atticus *a)* egit, ex recentioribus vero de illis *Franciscus Philelphi b)*, *Antonius Augustinus c)* & *Paulus Merula d)* ex professo tractarunt.

a) teste *Cornelio Nepote* in eius vita c. 18. scripsit etiam *Cicero* libros de legibus, sed sparsim tantum de Legibus Romanorum egit. b) cuius liber extat typis exscriptus vna cum eiusdem orationibus. c) in libro de LL. & SCtis, qui cum fragmentis eius & Fuluii Vrsini notis Romæ 1583. lucem adspexit. d) in libro de Legibus Romanis, posteaquam separatim plus simplici vice excusus fuit, Tomo II. Thesauri Græuiani est insertus.

§. XXIV.

Singulares leges Romanas peculiari studio collegerunt, commentariisque illustrarunt suis tum ve-

teres,

teres, tum recentiores ICti. E veteribus *ad L. Æliam Sentiam* Domitius Vlpianus & Iulius Paullus, ad L. *Fusiam Caniniam* Paullus, ad L. *Vicesimam* Macer, ad L. *Velleiam* Paullus, ad L. *Iuliam de adulteriis* Vlpianus, *ad Leges*, id est, *Iuliam* & *Papiam Poppæam* Terentius Clemens, Iunius Mauricianus, Vlpius Marcellus, Vlpianus & Paullus, ad L. *Rhodiam* L. Volusius Mæcianus scripserunt. Recentiorum ICtorum scripta ad Leges Romanorum singulares *Euerard Otto a*) studiose collegit & recensuit.

a) In præf. T. I. Thes. Iur. Ciu. præm.

C A P. VII.

DE PLEBISCITIS.

§. I.

Sicuti autem a populo Leges ferebantur, ita plebs plebeio magistratu, i. e. Tribuno plebis interrogante, plebiscita eodem fere ritu, quo ipsæ leges condebantur, constituebat *a*).

a) v. §. 4. l. de iure N. G. & Ciu. L. 2. §. 8. de O. I. & *Gellius* XIII. 20.

§. II.

In eo autem plebiscita a Legibus differebant, quod 1) lex interrogante superiore, plebiscitum plebeio magistratu, 2) illa suffragante vniuerso populo, hoc plebe tantum, 3) illa in Campo Martio, hoc etiam in circo Flaminio, aut in Capitolio, vel maxime in comitio *a*), 4) illa in comitiis centuriatis, hoc in tributis conderetur, & 5) illam populus, hoc autem plebs dissuaderet *b*).

a) Vbi ex Rostris Tribuni ad plebem concionabantur, exempla v. apud *Ciceronem* epist. 1. ad Atticum Lib. I. & ad fam. Lib. VII. epist. 30. *b*) v. Heineccius in Syntagm. Antiq. Roman. pag. 52.

§. III.

Cum enim plebi exosa esset patriciorum ambitio & auctoritas, post varias secessiones partem legislatoriæ potestatis sibi vindicauit, & obtinuit, vt, quod Tribuni plebis ad plebem ferrent, quodue plebs iuberet, ratum esse deberet *a*).

a) v. *Liuius* L. III. cap. 55. & *Christoph. Riccius* Vindic. Iur. cap. 1.

§. IV.

Tres autem legimus apud scriptores factas fuisse secessiones, quarum prima circa A. V. C. 259. accidit, qua, vt plebi sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii latio aduersus consules esset, neue cui patrum eum magistratum capere liceret, inter patricios & plebem teste Liuio *a*) conuenit.

a) Lib. II. cap. 3. add. *Halicarn.* Lib. VI. & L. 2. §. 20. D. de O. I.

§. V.

Vnde caue, ne cum Pomponio *a*) plebem post Leges demum XII. Tabularum sibi iura quædam constituisse, quæ plebiscita vocantur, existimes, cum plebiscita a tempore primæ secessionis, quam longe ante leges XII. Tabularum factam esse ex Halicarnassensi & Liuio constat, cœperint.

a) in §. 8. L. 2. *ff.* de orig. iur. v. *Ioann. Mercerius* II. Opin. 15. vbi Pomponium excusat.

§. VI.

Secunda secessio circa annum V. C. 305. accidit, in qua lex de sanctitate tribunorum & prouocatione magistratuum teste Liuio *a*) & Dionysio *b*) fuit restituta.

a) L. III. c. 52. 53. & 55. *b*) Lib. XI.

§. VII.

Et cum post secundam hanc secessionem in controuerso iure esset, tenerenturne patricii plebiscitis, L. Valerio & M. Horatio Coss. lex, Valeria siue Ho-

Horatia dicta, A. V. C. 304. fuit rogata cautumque, vt, quod tributim plebs iussisset, populum teneret *a*).

a) v. *Liu.* L. III. c. 55. Quod etiam Publius Piso siue Philo medio inter Horatiam & Hortensiam legem tempore lege Publilia a. 414. repetiit, vti *Liuius* L. VIII. refert.

§. VIII.

Sed cum patriciorum ambitione legi huic iterum esset derogatum, post tertiam plebis secessionem, quæ A. V. C. 367. contigit, Q. Hortensius *a*), dictator legem Valeriam renouauit, & repetiit *b*), vnde Pomponius *c*) plebiscitι & legis eandem fuisse vim, sed diuersam constituendi speciem, dicit.

a) De gente Hortensia vid. *Iustus Fontaninus* in Antiquit. Hortæ L. I. cap. 1. *b*) v. *Gellius* XV. 27. *Plinius* XVI. Hist. Nat. 10. & *Augustinus* III. de Ciuit. Dei, vnde merito *Connani* I. Comment. Iur. Ciu. 13. & *Goueani* I. Var. lect. 33. reiicitur sententia, qua non Hortensiæ sed Horatiæ legi id acceptum ferunt. *c*) in §. 8. L. 2. π. de orig. iur.

§. IX.

Non itaque apud Pomponium *a*) pro lege Hortensia substituendum esse L. Horatia censemus, nam Pomponius compendio vsus, de L. Horatia nihil dixit, sufficere ratus, si vltimæ legis, qua plebiscitorum auctoritas, intermortua fere, fuit restituta, mentionem iniiceret *b*).

a) in §. 8. L. 2. de orig. iur. *b*) Eadem ratione Imperator. in §. 4. I. de Iure N. G. & Ciu. Hortensiæ legis tantum fecit mentionem, bene gnarus legislatione Decemuirali apud *Liuium* VII. 17. *Quodcunque postremum populus jusserit, id ius ratumque esto, & Ciceronis* effato L. II. de inuent. c. 49. *Postrema quæque lex grauissima est*, nec non *Modestini* in L. 4. D. de Constit. Princip.

§. X.

Eiusmodi plebiscita fuere Lex Aquilia a L. Aquilio Tribuno plebis lata *a*); Atilia de tutoribus a praetore vrbano vel maiore parte tribunorum dandis, proculdubio a L. Atilio Tribuno plebis lata *b*); Atinia de rerum furtiuarum vsucapione *c*); Aufidia de ambitu ab Aufidio Lurcone Trib. plebis rogata *d*).

a) Ridiculus de origine huius legis error est *Theophili* ad §. 15. I. de L. Aquilia. v. Franc. Balduinus & Gerardus Noodtius ad hanc legem. conf. *Jo. Suarez de Mendoza* ad L. Aquiliam Salmant. 1640. & *Claud. Chiflctius* de Legis Aquiliae secundo capite. *b*) v. *Liu.* L. II. in f. *c*) in §. 2. I. de Vsucap. legitur *Atilia* quam lectionem etiam *Pancirollus* II. Var. lect. c. 277. defendit, sed contra tot textus, nimirum L. 4. §. 6. L. 33. de vsurp. & vsuc. L. 215. de V. S. conf. *Gellius* XIV. c. fin. & XVII. 7. *Riccius* Vindiciar. iur. c. 9. & Hadriani Puluaei liber singularis ad legem Atiniam. Venetiis 1585. editus. *d*) v. Cicero ad Atticum I. epist. 13.

§. XI.

Calpurnia de repetundis a L. Calpurnio Pisone A. V. C. 604. rogata *a*); Cincia de muneribus patronorum M. Cincio A. V. C. 549. sancita *b*); Clodia de auctoritate Censorum restringenda *c*); Cornelia C. Cornelio Tribuno plebis a. 687. lata, qua cautum, vt praetores ex edictis perpetuis ius dicerent, neque per integrum annum quidquam in illis immutarent.

a) v. Cicero de offic. L. III. c. 21. *b*) Quae lex saepius repetita memoratur, & quidem sub Augusto. v. *Dio* L. LIV. sub Claudio v. *Tacitus* II. Annal. sub Nerone v. *Sueton.* c. 17. Traiano v. *Plinius* V. epist. fin. v. *Merillius* VIII. 21. *Burgius* Elect. c. 18. & Frider. *Brummeri* elegans ad hanc legem commentarius, Parisiis 1668. editus & cum aliis Brummerianis cura Georg. *Beyeri* Lipsiae 1712. recusus. *c*) v. *Scipionis* Gentilis de lege Clodia differt. & *Petrus Burgius* Elect. c. 18.

§. XII.

§. XII.

Falcidia de legatis P. Falcidio A. V. C. 714. lata, cuius ipsa legitima verba ex parte in L. 1. 1. ad L. Falcid. supersunt *a*); Furia testamentaria *b*); Gabiniana, Genucia, & Sempronia de vsuris *c*); Plautia siue Plotia de vsucapione rerum vi possessarum M. Plautio Tribuno plebis sancita *d*).

a) Cuius legis capita magna cura collegit Franciscus Balduinus & cum lege Voconia, Iulia, Papia Poppæa, Rhodia, Aquilia Basil. 1559. 8. edidit. conf. *Franc. Husmanni* Paradoxa ad L. Falcidiam Paris. 1584. 4. *b*) v. Vlpianus in fragment. tit. 28. §. 7. *c*) vid. Gerardi Noodtii doctissimus de fœnore & vsuris liber. *d*) cuius Cicero L. VIII. epist. ad fam. 8. & pro Milone cap. 13. meminit. conf. *Merillius* VIII. 3. & *Riccius* Vindic. Iur. c. 10.

§. XIII.

Scatinia siue Scantinia de Venere illicita *a*); Voconia a Q. Voconio Saxa A. V. C. 594. rogata, quam Perizonius peculiari dissertatione *b*) egregie illustrauit; & denique Thoria, cuius fragmenta Carolus Sigonius *c*) exhibuit.

a) vid. Historia Legis Scatiniæ a Clar. *Ioann. Frid. Christio* Halæ 1727. 4. edit. *b*) Dauentriæ vna, cum aliis 1679. in 8. edit. *c*) pag. 638. edit. Thomasian.

§. XIV.

Plebiscitorum indicem *Paullus Manutius*, *Antonius Augustinus*, *Paulus Merula*, *Franciscus Hottomannus* & *Ianus Vincentius Grauina* texuerunt. Ad singularia vero Plebiscita & quidem ex veteribus ad L. *Ciniam* Paullus, ad *Falcidiam* Rutilius Maximus, & Paullus: ex recentioribus ad L. *Aquiliam* Balduinus & Noodtius, ad *Atiniam* Puluæus, ad *Cinciam* Brummerus, ad *Clodiam* Scipio Gentilis, ad *Falcidiam* Balduinus, ad *Scatiniam* Christius, ad *Voconiam* Balduinus & Perizonius scripserunt.

CAP. VIII.

DE PRÆTORIBVS ET ÆDILIBVS, EORVMQVE EDICTIS.

§. I.

CVm circa annum V. C. 387. Plebeii consularis dignitatis facti essent participes *a*), Patricii hoc ægre ferentes, nouum excogitarunt magistratus officium, & a plebe, vt prætor iuris in vrbe dicendi gratia ex patribus crearetur, impetrarunt, ac ita consularem plebis potestatem eneruarunt.

a) v. *Liu.* L. VI. in fin.

§. II.

Aliam quidem *Pomponius a*) institutæ præturæ rationem, nimirum absentiam Consulum propter bellicas occupationes, adfert, quam multi interpretum ieiunam vocant, sed mitius cum ICto agendum esse, & duplicem instituendæ præturæ fuisse causam, æmulationem scilicet & vtilitatem censeo.

a) v. §. 27. L. 2. ff. de orig. iur.

§. III.

Constat autem ex scriptoribus Romanis, Consules olim, quia exercitui præibant, prætores dictos fuisse *a*), vnde Cicero *b*) de Consulibus: *Regio Imperio*, ait, *duo sunto: iique præeundo, iudicando, consulendo, Prætores, iudices, consules appellantur;* vsque dum anno 387. peculiaris iuris in vrbe dicendi gratia magistratus fuit constitutus, cui illud nominis proprium esse cœpit.

a) De quo Prætorum genere capiendus est *Horatius* II. epist. v. 34.

Forte sub hoc tempus castellum euertere Prætor
Iusserat.

Et *Propertius* III. Eleg. 2. v. 41.

Nil tibi sit rauco prætoria classica cornu
Ferre, nec Ausonium cingere Marte nemus.

v. *Fre-*

v. *Freherus* II. Parerg. 1. *b*) Lib. II. de LL. v. Nou. 25. & *Josephus Aueranius* L. I. Interpret. iur. cap. 6.

§. IV.

Cum itaque generale fuerit Prætoris nomen, non nouum est in iure nostro, vt Prætoris appellatio non Prætorem modo proprie sic dictum, sed & Pro-Consulem, Legatum Cæsaris siue Præsidem *a*), Præfectum vrbis *b*), Præfectum Vigilum, Ædilem & Iudicem *c*) significet.

a) exemplum præbet L. 13. §. 1. de Iurisd. vbi pro Prætore siue Legato Cæsaris Prætor ponitur. *b*) L. 35. de iniur. vbi loco Præfecti Vrbis, Prætor nominatur v. G. Noodt I. Probab. 6. *c*) vt in L. 11. de Iurisdict. L. 5. de Re Iud. L. 12. de Iudic. L. 2. §. 1. Si quis in ius voc. L. 1. de Iudic. L. 34. Sol. matrim. v. *Franciscus Duarenus* I. Disput. anniu. c. 1. & *Ludouicus Charonda* I. Pithan. 3.

§. V.

Primus autem Prætor Sp. *Furius Camillus* A. V. C. 389. iuris in vrbe dicendi gratia, vtque iuris custos & disceptator esset, creatus fuit *a*).

a) v. *Liu*. L. VI. cap. fin. & L. VII. c. 1. nec non *Cicero* de L. III. c. 3. & *Lipsius* in Excurs. ad Tacit. apud *Gronouium* p. 718.

§. VI.

Non tamen diu iste honor patriciorum mansit proprius, anno enim V. C. 418. prætor ex plebe Q. *Publilius Philo* teste *Liuio a*) est creatus, & prætura cum plebeiis communicata.

a) Lib. VIII. c. 15.

§. VII.

Sub belli deinde Punici primi tempora, cum magna peregrinorum turba in ciuitatem veniret, alius prætor, qui peregrinis ius diceret teste *Pomponio a*) creatus *b*), qui potestate vrbano minor non erat, edictaque sua proponebat *c*).

a) §. 28. L. 2. de orig. iur. *b*) *Liu*. L. XIX. *Dio Cass*.

L.

L. XXIV. & *Appian.* L. VI. de bello ciu. cap. 20. *c*) in dubium quidem hoc vocant *Hottomannus* & *Rosinus* antiquit. roman. L. VII. c. 11. fed cum *Theophilus* §. 7. de iure N. G. & C praecipuam iuris constituendi potestatem etiam praetori peregrino datam fuisse dixerit, imo *Labeo* libros praetoris peregrini, quorum trigesimus ab *Vlpiano* in L. 9. §. 4. *de dolo malo* laudatur, conscripserit, merito contrariam sententiam, quam etiam ex professo doctissimus *Reinoldus* Varior. c. 37. defendit, amplectimur. conf. doctiss. *Heineccius* in Elem. iur. Ciu. secundum ordinem sub tit. de orig. I. p. 14. vbi sententiam hanc Boëthii testimonio confirmat. conf. *Marqu. Freberus* L. II. Verosimil. c. 17.

§. VIII.

Sequentes autem inter praeturam vrbanam & peregrinam fuisse differentias, interpretes tradunt I. Quod soli ciues romani agere apud praetorem vrbanum potuerint, peregrini non aeque, sed ab hac consuetudine Romanos nonnunquam recessisse, iurisdictionemque vrbanam & peregrinam coniunxisse, ex *Liuio a*) constat. II. Quod apud vrbanum lege ageretur, apud peregrinum non aeque *b*), III. Quod praetor vrbanus in albo edicta sua proposuisset, quibus de rebus eo anno ius dicturus esset, peregrinus vero aut ex edicto vrbano, aut secundum ius gentium ius dixisset, sed hanc differentiam commentitiam esse ex antecedenti §. constat.

a) L. XXIV, c. 44. & XXV. c. 3. *b*) v. *Cicero* pro Flacco c. 21.

§. IX.

Etsi vero par in vtroque praetore potestas erat, tamen peregrinus dignitate vrbano inferior, ita vt etiam vrbanus maior *a*), peregrinus minor dictus fuerit, erat; hinc factum, vt rara inter eos concordia fuerit, alter alterius decreto saepius intercesserit, imo M. *Caelius Rufus* praetor peregrinus referente *Dione Cassio b*) & *Iulio Caesare c*) tribunal suum iuxta sellam

Caii

Caii Trebonii prætoris vrbani collocauerit, omniaque eius officia impediuerit.

a) Hinc etiam Prætor vrbanus proprio cognomento *honoratus* dictus fuit, eiusque ius *honorarium Ouid.* I. Fast. v. 12.

Verbaque honoratus libera Prætor habet.

conf. *Iosepb. Nerius* I. Annal. 32. & *Euer. Otto* in Papiniano p. 193. b) L. XLII. c) L. III. c. 20. de bello ciuili.

§. X.

Crescentibus dein prouinciis & latius patescente Imperio Romano auctus etiam fuit prætorum numerus, vrbanoque & peregrino teste *Liuio a)* & *Pomponio b)*, quatuor additi sunt prætores prouinciales, non solum vt ius in prouinciis dicerent, sed etiam exercitibus cum imperio præessent, vnde distinctio in iure Romano inter edictum vrbicum & prouinciale fuit orta.

a) L. XXXIII. c. 28. b) §. 32. L. 2. de orig. iur.

§. XI.

Maiorem autem prouinciales prætores habuisse iurisdictionem, quam habuit vrbanus, ex eo patet, quod non solum ius in prouinciis sibi demandatis dicerent, sed etiam merum imperium, quod prætores in vrbe non nisi extra ordinem poterant, in illis exercerent, vnde etiam illis sex fasces cum securibus prælati fuerunt *a)*.

a) v. L. 6. §. 8. ff. de offic. præsid. & *Car. Sigon.* de antiq. iure ciu. Rom. I. 20. pag. 227.

§. XII.

Mox causis specialibus etiam dati sunt prætores: *Cornelius* enim *Sulla* duos, non quatuor, vt *Pomponius a)* refert, vt quæstionum publicarum, a se introductarum, quæstores & iudices essent, constituit, quibus *Iulius Cæsar* alios duos addidit, ideoque numerum prætorum ad decem vsque auxit *b)*, & cum *Augustus* sæpius prætorum numerum auxerit & diminue-

minuerit, sedecim hac ætate prætores constitutos fuisse, *Pomponius c*) refert.

a) §. 32. excusari tamen ICtum ex eo facile posse, quod inter ipsos rei Romanæ scriptores de numero prætorum non constet. recte *Iacobus Cuiacius* & *Bynckersboeckius* ad cit. §. censent. *b*) *Dio* Lib. XLII. *c*) §. 22. quem numerum se non excessurum, Tiberius iureiurando pollicitus est. v. *Alex. ab Alexandro* II. Dier. Gen. 15.

§. XIII.

Non tamen hos duos prætores, vt frumento præessent, a *Iulio Cæsare* constitutos esse, recte aduersus *Ianum Vincentium Grauinam a*) & *Ioannem Rosinum b*) *Bernardus Henricus Reinoldus c*) asseruit; nam quamuis *Pomponius*: *Deinde Iulius Cæsar duos prætores & duos ædiles, qui frumento præessent, & a Cerere Cereales, constituit*, dixerit: tamen verba *Pomponii* de solis, ad quos proxime referuntur, Ædilibus capienda esse, quilibet facile perspiciet.

a) in orig. iur. ciu. p. 31. *b*) L. I. Antiquit. Rom. cap. 1. *c*) Variorum cap. 3. add. *Græuii* præf. T. I. Thes. Antiqu. Rom. præm. & *Pitiscus* in Lexico voce, *Prætor Cerealis.*

§. XIV.

Eodem modo *Claudius* Imperator teste *Suetonio a*) duos prætores, qui de fideicommissis cognoscerent, & ius dicerent, quibus tamen vnum detraxit *Titus b*), *Nerua* prætorem fiscalem *c*) & M. *Antonius Philosophus d*) Tutelarem constituit.

a) in Claudio cap. 23. Prætoris fideicommissarii mentio fit apud *Gruterum* in Inscript. & *Vlpianum* fragm. Tit. 25. §. 12. *b*) v. §. 32. L. 2. de orig. iur. *c*) §. 32. eod. *d*) *Iul. Capitolinus* in vita eius c. 10. & *Paullus* V. Sent. 16. §. 2. ANICII AVCHENII BASSI. PRÆTORIS apud *Reinesium* Inscript. VI. 4. fit mentio, alias de hoc Prætore inscriptiones *Castalio* Var. lect. c. XX. & *Pitiscus* voce, *Prætor Tutelaris* collegerunt.

§. XV.

§. XV.

Licet autem in Coloniis & municipiis nec Consules, nec Prætores, sed horum loco Duumuiri fuerint, tamen eadem, aut similia Magistratuum nomina, quibus vrbs Roma splendebat, partim adulandi cupiditate, partim ambitionis sensu Magistratibus suis imposuerunt, ac Duumuiros Prætorum nomine indigitarunt *a*).

a) Sic de Campaniæ Colonia *Cicero* II. Agraria 34. ait. *Nam primum id quod dixi, cum in ceteris Coloniis Duumuiri appellantur, hi se Prætores appellari volebant.* & *Petronius* Campanum Prætorem fingens, se Majestate eius perterritum fuisse cap. 65. dicit. conf. notæ Var. ad h. l. edit. Clar. *Burmanni* & Doctiss. *Euer. Otto* De Ædil. Colon. & Munic. cap. 2. §. 5.

§. XVI.

Maxima autem libera republica Prætoris erat dignitas, & tam in vrbe quam in prouinciis consulatus proxima *a*); vtebatur enim prætor sicut consules prætexta & sella curuli, ei præibant duo lictores cum securibus, præcipuumque eius insigne hasta erat.

a) vnde consulum collega prætor dictus apud *Liuium* VII. & *Gellium* Lib. XIII. c. 15. & absente Consule Consulare munus sustinebat. *Cicero* ad famil. X. 12.

§. XVII.

Versabatur prætoris officium I. circa leges II. Iudicia & III. negotia extraiudicialia; ad primum prætoris munus quod attinet, legislatoria quidem potestate, quippe quæ erat penes populum, non gaudebat *a*), vnde etiam initio magistratus in Leges iurare debebat *b*), interim ius constituebat *c*), legesque ciuiles sub æquitatis obtentu adiuuabat, supplebat & emendabat.

a) In prouincils quidem prætores auctoritate a Senatu accepta leges condiderunt v. *Cicero* II. in Verrem, ast hæ leges potius populi ac Senatus, quam prætoris

ris esse videntur. *b*) *Cicero* de finibus L. II. c. 22. *c*) vnde probe animaduertendum est, aliud esse legem condere, aliud ius constituere, poterat enim prætor ius constituere & abrogare, legem vero condere & abrogare non poterat L. 12. §. 4. de *public. in rem act.* improprie tamen etiam Edictum Prætoris lex dicitur in L. 1. §. 7. vnde Cogn. & apud *Ciceronem* Verr. I. 42. Edictum Prætoris *lex annua* dicitur. & ita Nou. 24. & 25. in præf. vbi *Iustinianus* prætoribus legum potestatem tribuit, sunt intelligendæ. v. *Iosephus Aueran.* L. I. interpret. iur. c. 6. *Ger. Noodt* L. I. de Iurisd. 13. & *Gundlingiana* Part. XX. n. 4.

§. XVIII.

Ita, scriptis in testamento hæredibus bonorum possessionem decernendo, ius ciuile iuuabat, vtilem actionem, quando nulla iure ciuili prodita erat, dando, illud supplebat, *a*) & tandem exceptionem, contra negotia de iure ciuili valida, dando, illud emendabat, & corrigebat.

a) v. L. 2. π. præscript. verb.

§. XIX.

Priusquam vero prætor ius diceret, edicta sua, secundum quæ durante prætura ius dicere vellet, albo inscripta, pro rostris, vt de plano legi, & ab omnibus conspici possent, collocabat *a*), hinc actio prætoria pœnalis albi corrupti L. 7. π. de iurisdict. & aduersarium ad album producere in L. 1. π. de edend. *b*)

a) Hinc *Cicero* II. de fin. 22. ait: *Quid enim mereri velis iam cum tu magistratum inieris & in concionem ascenderis? Est enim tibi edicendum, quid sis obseruaturus in iure dicendo* v. *Rad. Fornerius* V. Rer. Quot. 9. & *Iac. Ræuardus* L. IV. protribun. *b*) dicitur autem album Prætoris a *Dione* L. XLVII. & XLVIII. nec non *Suida* λεύκωμα, murus gypso dealbatus.

§. XX.

Hæc prætoris edicta erant vel generalia, quæ ab initio

initio præturæ, vti diximus, in albo proponebantur, & cum prætura expirabant *a*), vel specialia, quæ, prout res incidebat ad speciales causas, ad similes tamen non extendenda, dirigebantur *b*), erantque vel monitoria, vel consolatoria, vel prohibitoria *c*), vel obiurgatoria.

a) vnde etiam annuæ leges vocantur *Cicer.* Verr. I. c. 42. *b*) v. L. 75. D. *de iud.* & 53. §. 1. *de re iudic.* *c*) de quibus late *Brissonius* de formul. L. III. in princip. egit. conf. L. VII. π. de *iurisdict.* Hæc Prætorum Edicta in Templo & Bibliotheca Trajani seruabantur v. *Gellius* XI. 17.

§. XXI.

Cum vero improbi ac ambitiosi prætores, primum non omnia edictis suis, vt pro arbitrio ius dicere possent, complecterentur, deinde edicta sua non obseruarent, & aliter, quam edixerant decernerent *a*), obuiam huic prætorum licentiæ itum est primum Senatus consulto A. V. C. 586. condito, cuius fragmenta *Stephanus Vinandus Pigbius b*) & *Ezechiel Spanhemius c*) exhibent, deinde lege Cornelia A. V. C. 687. a *Cornelio* Tribuno plebis. C. Pisone & Man. Glabrione Coss. sancita, quibus cautum, vt prætores suis perpetuis edictis ius dicerent *d*).

a) Hæc omnia *Cicero* in Verre reprehendit. *b*) L. II. Annal. *c*) in orbe Roman. p. 97. *d*) v. *Dio* Lib XXXVI. & ex hoc tempore paullo certius cœpit esse ius prætorium, adeo vt iam Ciceronis ætate plerique non a XII. tabulis, sed a prætorum edictis iuris disciplinam auspicarentur. v. *Perizonius* in diss. ad L. Vocon. p. 193.

§. XXII.

Sed caue, prætores ab eo tempore noui aliquid edicere non potuisse, credas, etsi enim eo anno, quo magistratum gerebant, edicta sua non immutare, ab antecessorum tamen edictis pro lubitu, etiam post legem Corneliam, recedere poterant; Ita *Cicero* in edicto suo in quibusdam ab edicto Bibuli recesserat,

 mul-

multaque ab edicto Asiatico Q. Mutii Scæuolæ, vt ipse testatur *a*), mutuatus erat.

a) L. VI. ad Attic. epist. 1. conf. *Ioseph. Aueranius* I. Interpret. iur. c. 6.

§. XXIII.

Quamuis autem prætorum edicta singularem præ se ferre viderentur æquitatem, incertam tamen Romanorum reddiderunt iurisprudentiam, cum nullus prætorum crearetur, qui non aut edicta antecessorum immutaret, aut iis aliquid adderet, vnde etiam *Hadrianus* Imperator de condendo edicto perpetuo consilium cepit.

§. XXIV.

Edicta hæc Prætorum, quibus vniuersum fere ius continebatur, ex veteribus ICtis *Antistius Labeo*, *Massurius Sabinus*, *Saluius Iulianus*, *P. Furius Anthianus*, *Callistratus*, *T. Gaius*, *S. Pomponius*, *Q. Venuleius Saturninus*, *Iulius Paullus* & *Domitius Vlpianus* interpretati sunt; *a*) ex recentioribus *Stephanus Perræus* opusculum, Edicta Prætorum ex Digestis congruo ordine desumta, continens, edidit *b*), sed, quid in eo præstiterit? dum ad manus meas haud peruenit, dicere non possum.

a) v. Index ICtorum * præfixus. *b*) Parisiis 1554. 4.

§. XXV.

Ad iurisdictionem prætoris quod attinet, aut per se, si de iure disceptaretur, idque vel pro tribunali L. 3. §. 8. *π. de bon. poss.* vel de plano L. 4. C. *de dilation.* iudicabat *a*), vnde cognitiones prætoriæ seu extraordinariæ, vel iudicem, si de facto quæstio esset, pedaneum dabat, eique certam iudicandi formulam præscribebat *b*) hunc in modum: *L. Octavius iudex esto si paret fundum Capenatem, quo de agitur ex iure P. Seruilii esse, neque is fundus Q. Catulo petitori restituetur; Contra si paret non Seruilii: Sed Q. Catuli ex iure esse, eum Seruilius Catulo dare, restituereue damnas esto c*).

a) Nonnunquam tamen Prætor, si personæ essent egregiæ, vel si valetudine impedirentur, ad illarum domus

nus ire, ibique, illas vel interrogare, vel iuramentum recipere tenebatur vid. *L.* 15. *de Iurei.* & *Tacitus* II. Annal. 34. *b*) v. *Siccama* de Centumuir. Iudic. cap 2. *Gerard Noodt* de iurisd. & imper L. I. c. 7. & 8. Hinc aliud in Iuris nostri Libris est ius dicere, aliud iudicare, illud erat Prætoris, hoc Iudicis Pedanei, quæ si non obseruantur, ficta à Doctoribus antinomia inter L. 10. de Iurisd. & L. 77 de Iudic. tolli non potest. *c*) v. *Cicero* IV. in Verrem.

§. XXVI.

Qui, si iustam excusationis causam non haberet, in causa, secundum formulam a prætore præscriptam, inuitus cognoscere cogebatur L. 13. §. 2. *de vacat. & excus. mun. a*) a partibus tamen iudex datus recusari poterat *b*).

a) Nec ullo modo ab hac formula recedere & plus partibus adiudicare poterat, nisi formula: *Ex bona fide*, formulæ a Prætore datæ inserta erat, quæ formula tamen negotiis b. fidei tacite inerat. v. *Cicero* III. de Offic. 17. & *Seneca* II de Clem. c. 7. *b*) v. *Anton. Schulting.* diss. de recusatione iudicis & *Iosephus Aueranius* L. I. Interpr. c. 5.

§. XXVII.

Quoties autem pro tribunali prætor cognoscebat, nihil faciebat sine consilio assessorum, qui Romæ ex quinque senatoribus & quinque equitibus, *a*) qui iidem erant cum decemuiris stlitibus iudicandis, quorum *Pomponius b*) meminit, in prouinciis vero ex viginti recuperatoribus ciuibus Romanis constabant *c*).

a) Quorum collegium *Consilium* siue συμβούλιον Act XXV. v. 12. & in §. 4. I. *Qui & ex quib. causs. mnanum. dicitur*, v. *Vlpianus* in fragm. Tit. 1. & *Theophilus* §. 4. I. *Qui & ex quibus causis* &c. add. *P. Pithœus* II. Aduers. c. 19. *b*) §. 29. conf. *G. Noodt*, de iurid. L. I. c. 12. Illorum etiam mentio fit in variis inscriptionibus, ita apud *Zamoscium* I. de Senatu Rom. 15. SCÆVA QUÆSTOR STLITIBVS IVDICANDIS, occurrit; alias inscriptiones *Lipsius* ad Tacit. XII. Ann. c. 27. & *Sam. Pitiscus* in Lex. voce *Flamen Hadrianalis* exhibent, add. *Rad.* *For-*

Fornerius III. Rer. Quotid. 1. *c*) v. *Iacob. Rauarcius* Protribun. c. 18. 19. & 20.

§. XXVIII.

Adhibebat etiam prætor, ſi cauſæ grauitas illud requirere videretur, centumuiros, vnde centumuiralis *b*), cui ipſe prætor vna cum centumuiris præerat *c*); cauſas centumuirales *Cicero d*) accurate recenſet: *Iactare ſe in cauſis centumuiralibus*, ait, *in quibus vſucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluuionum, circumluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum, aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilium iura verſantur.*

a) v. *Val. Maxim.* VII. c. 8. *b*) hinc centumuiralem haſtam cogere apud *Sueton.* in Auguſto cap, 36. *c*) v. *Plinius* L. V. epiſt. vlt. & *Sibrandi Tetardi Siccama* de iudicio centumuirali Lib. duo anno 1595. editi, & anno 1725. Halæ recuſi. *d*) L. I. de orat. cap. 38.

§. XXIX.

Præcipuæ cauſſæ, de quibus ICtorum temporibus Centumuiri cognoſcebant, *de inofficioſo teſtamento & hereditatis petitione* erant *a*). Vnde Scæuola Centumuirale judicium pro querela inofficioſi teſtamenti in L. 13. D. de *inoff. teſtam.* & Paullus pro petitione hereditatis in L. 30. D. *de liber. cauſſa* poſuit. Imo Tribonianus Tit. *de inofficioſo teſtamento*, Titulo *de petitione hereditatis* ſubiecit.

a) Sicuti autem diuerſa Iudicii Centumuiralis erant tribunalia, ita etiam eueniebat, vt diuerſæ eſſent iudicum ſententiæ, vtque teſtamentum pro parte inofficioſum iudicaretur, & pro parte confirmaretur L. 10. *de inoffic. teſtam* L. 76. pr. *de leg.* 2. L. 29. *de exc. rei iudic.* v. *Cuiacius* X. Obſ. c. 20. *Merillius* Lib. I. ex Cuiacio p. 260. & Doctiſſ. *Schultingius* in diſſ. ad *Val. Maxim.* VII. c. 7. De Teſtamentis reſciſſis in princ.

§. XXX.

Tota autem prætoris iurisdictio hiſce tribus verbis,

bis, DO, DICO, ADDICO, continebatur, dabat enim iudicem pedaneum, arbitrum, recuperatores, & bonorum poſſeſſionem *a*), dicebat ius de poſſeſſione aliisque priuatis cauſis, & denique, facta in iure ceſſione vel mancipatione, addicebat.

a) v. *Cicero* VII. ad fam. epiſt. 21. & *Val. Maximus* VII. 7.

§. XXXI.

In extraiudicialibus denique negotiis non minore auctoritate prætor pollebat; ludorum enim curam habebat, literas allatas in ſenatu recitabat *a*), bonis interdicebat *b*), conſules a prouinciis euocandi poteſtatem habebat *c*), ius Senatus habendi ei erat *d*), imo aliquando in prouinciis exercitui præibat *e*).

a) v. *Liu.* L. XXXII. c. 31. *b*) formulam, qua bonis interdicebat prætor, ſeruauit nobis *Paulus* Rec. ſent. L. II. tit. 4. *Quando tibi bona paterna auitaque nequitia tua diſperdis, liberoſque tuos ad egeſtatem perducis: ob eam rem tibi ea re commercioque interdico*, exempla interdictionis apud *Senecam* III. Controu. præf. *Dion. Caſſ.* & *Valer. Maximum* occurrunt. *c*) *Liu.* L. XXII. c. 33. *d*) *Idem* L. XXXII. c. 26. *e*) conf. *Conradi Lancellotti* & *M. Antonii Coccii Sabellici* de officio prætoris libri.

§. XXXII.

Poſteaquam vero pleraque Prætorum munera ad Præfectos vrbis tranſiere, valde etiam prætorum auctoritatem fuiſſe imminutam, nihilque fere quam ludorum curam illis relictum, *ex tit. C. Theodoſ. de prætoribus* conſtat *a*).

a) Hinc *Boëthius* III. de Conſol. ait: *Pratura magna olim poteſtas, nunc inane nomen, & Senatorii cenſus grauis ſarcina*. conf. *Ezechiel. Spanhem.* in orbe Rom. c. 8. & *Guil. Fornerius* I. Select. 21.

§. XXXIII.

Prætorum exemplo Ædiles quoque edicta ſua pro-

ponebant *a*), quæ & ipfa ad ius honorarium pertinebant *b*), tres autem fuiffe Ædilium ordines, quorum alii Plebeii, alii Curules, alii denique Cereales funt dicti, apud fcriptores rerum Romanarum legimus.

a) & quidem, vt videtur, iam *Plauti* ætate v. ille in Captiu. Actu IV. Sc 2. v. 44. *b*) v. §. 7. I. *de Iure N. G. & C.* & §. 2. I. *de diuif. ftip.*

§. XXXIV.

Plebeii Ædiles A. V. C. 310. vt Tribunis ad manus effent, ædiumque ac locorum publicorum curam haberent, funt creati, vnde *Cicero a*): *Sunto Ædiles curatores vrbis, annonæ, ludorumque folennium.*

a) L. III. de Legib. L. un. *De via publ. & fi quid.* & *Euer. Otto* de Ædil. Colon. & Munic. c. 8. 9. & 10.

§. XXXV.

Præterea hoc eis datum fuit, vt Senatus confulta, quæ ante arbitrio Confulum fupprimebantur, vitiabanturque, in æde Ceteris, tefte *Liuio a*), cuftodirent, quod etiam *Zonaras b*) de plebifcitis reliquisque decretis affirmat.

a) Lib. III. c. 55. *b*) T. 2. Annal.

§. XXXVI.

Ædiles Curules A. V. C. 387. ad eneruandam confularem dignitatem cum plebe communicatam ex patribus, & quidem primi *Cn. Quinctius Capitolinus & P. Cornelius Scipio*, referente *Liuio a*), funt lecti, curulesque, quod curuli fella vterentur, dicti *b*).

a) L. VII. in princ. conf. *Pomponius* §. 26. *b*) v. *Gellius* III. 18.

§. XXXVII.

Hi Ædiles Curules præter ludorum, viarum, menfurarum, balneorum, aquæductuum omniumque publicorum & priuatorum operum curam *a*), quam

quam habebant, de rebus venalibus cognofcebant, edictaque proponebant fua, vnde frequens Ædilitii edicti in iure noftro fit mentio *b*).

a) quæ ad officium Ædilium Curulium pertinebant, accurate *Cicero* VII. in Verrem defcribit. apud hofce Ædiles fœminæ copiam fui facientes, nomen & impudicitiam profitebantur & fimul meretricium vectigal foluebant L. 5 §. 3. *de cond. ob turpem cauffam*, *Tacitus* II. Ann. 85. ibique Lipfius. *Merillius* II. 12. *Euer. Otto* in Papin. p. 98. *b*) vid. Tit. ᴨ. *de ædil. edicto* & *Ioann Straucbii* differt. ædilitiæ Et hæc Edicta etiam in prouinciis a Municipalibus Ædilibus, tefte *Theophilo* ad §. 7. I. *de Iure N. G. & C.* obferuabantur.

§. XXXVIII.

Ex hoc edicto Ædilitio quædam in corpus iuris Romani funt relata, vt I. de vitiis rerum venalium, vnde actiones redhibitoria & quanti minoris; II. de eo qui puerum caftrauerit L. 27. §. 28. ᴨ. *ad. L. Aquil.* III. de beftia noxia iuxta viam habita L. 40. §. 1. L. 41. & 42. *de ædil. edicto*, & *Paullus* I. Sentent. Tit. 15. *a*).

a) conf. *Bynckershoeckius* in Obferu. L. IV. cap. 8. Edicta Ædilium Curulium ex veteribus T. Gaius & Iulius Paullus interpretati funt.

§. XXXIX.

Hifce alios duos Ædiles, Cereales ex eo dictos, quod rei frumentariæ & annonæ præeffent, a Iulio Cæfare additos effe, *Pomponius a*) refert.

a) §. 32.

§. XL.

Non folum autem in vrbe fed & Coloniis ac municipiis ædiles fuiffe conftitutos, fimulque hos fecundum Edicta Ædilium Vrbanorum iudicaffe, egregie *Euerard. Otto a*) & *Petrus Weffeling* monftrarunt.

a) in Tractat. de Ædilibus Coloniarum & municipiorum Francof. 1713. & Lipf. 1732. in 8. edito. *b*) L. 1. Obf.

ponebant *a*), quæ & ipsa ad ius honorarium pertinebant *b*), tres autem fuisse Ædilium ordines, quorum alii Plebeii, alii Curules, alii denique Cereales sunt dicti, apud scriptores rerum Romanarum legimus.

a) & quidem, vt videtur, iam *Plauti* ætate v. ille in Captiu. Actu IV. Sc. 2. v. 44. *b*) v. §. 7. I. *de Iure N. G. & C.* & §. 2. I. *de diuis. stip.*

§. XXXIV.

Plebeii Ædiles A. V. C. 310. vt Tribunis ad manus essent, ædiumque ac locorum publicorum curam haberent, sunt creati, vnde *Cicero a*): *Sunto Ædiles curatores vrbis, annonæ, ludorumque solennium.*

a) L. III. de Legib. L. un. *De via publ. & si quid.* & *Euer. Otto* de Ædil. Colon. & Munic. c. 8. 9. & 10.

§. XXXV.

Præterea hoc eis datum fuit, vt Senatus consulta, quæ ante arbitrio Consulum supprimebantur, vitiabanturque, in æde Ceteris, teste *Liuio a*), custodirent, quod etiam *Zonaras b*) de plebiscitis reliquisque decretis affirmat.

a) Lib. III. c. 55. *b*) T. 2. Annal.

§. XXXVI.

Ædiles Curules A. V. C. 387. ad eneruandam consularem dignitatem cum plebe communicatam ex patribus, & quidem primi *Cn. Quinctius Capitolinus & P. Cornelius Scipio*, referente *Liuio a*), sunt lecti, curulesque, quod curuli sella vterentur, dicti *b*).

a) L. VII. in princ. conf. *Pomponius* §. 26. *b*) v. *Gellius* III. 18.

§. XXXVII.

Hi Ædiles Curules præter ludorum, viarum, mensurarum, balneorum, aquæductuum omniumque publicorum & priuatorum operum curam *a*), quam

quam habebant, de rebus venalibus cognofcebant, edictaque proponebant fua, vnde frequens Ædilitii edicti in iure noftro fit mentio *b*).

a) quæ ad officium Ædilium Curulium pertinebant, accurate *Cicero* VII. in Verrem defcribit. apud hofce Ædiles fœminæ copiam fui facientes, nomen & impudicitiam profitebantur & fimul meretricium vectigal foluebant L. 5 §. 3. *de cond. ob turpem cauffam*, *Tacitus* II. Ann. 85. ibique Lipfius. *Merillius* II. 12. *Euer. Otto* in Papin. p. 98. *b*) vid. Tit. ff. *de ædil. edicto* & *Ioann Strauchii* differt. ædilitiæ Et hæc Edicta etiam in prouinciis a Municipalibus Ædilibus, tefte *Theophilo* ad §. 7. I. *de Iure N. G. & C.* obferuabantur.

§. XXXVIII.

Ex hoc edicto Ædilitio quædam in corpus iuris Romani funt relata, vt I. de vitiis rerum venalium, vnde actiones redhibitoria & quanti minoris; II. de eo qui puerum caftrauerit L. 27. §. 28. ff. *ad. L. Aquil.* III. de beftia noxia iuxta viam habita L. 40. §. 1. L. 41. & 42. *de ædil. edicto*, & *Paullus* I. Sentent, Tit. 15. *a*).

a) conf. *Bynckershoeckius* in Obferu. L. IV. cap. 8. Edicta Ædilium Curulium ex veteribus T. Gaius & Iulius Paullus interpretati funt.

§. XXXIX.

Hifce alios duos Ædiles, Cereales ex eo dictos, quod rei frumentariæ & annonæ præeffent, a Iulio Cæfare additos effe, *Pomponius a*) refert.

a) §. 32.

§. XL.

Non folum autem in vrbe fed & Coloniis ac municipiis ædiles fuiffe conftitutos, fimulque hos fecundum Edicta Ædilium Vrbanorum iudicaffe, egregie *Euerard. Otto a*) & *Petrus Weffeling* monftrarunt.

a) in Tractat. de Ædilibus Coloniarum & municipiorum Francof. 1713. & Lipf. 1732. in 8. edito. *b*) L. 1. Obf.

Obſ. c. 25. conf. *Barnab. Briſſonius* III. Select. antiq. 10. *Freberus* I. Parerg 28. *Noriſius* in Cenotaph. Piſan. Diſſ. 1. c. 3 *Iuſtus Fontaninus* in Antiq. Hortæ L. I. c. 1. & Cl. *Henr. Brenckmannus* De Legum inſcrip. §. 19.

CAP. IX.

DE STATV LEGVM ROMANARVM SVB AVGVSTO EIVSQVE SVCCESSORIBVS AD HADRIANVM VSQVE, IN PRIMIS DE LEGE REGIA ET SENATVS CONSVLTIS.

§. I.

POſt cruentam Iulii Cæſaris mortem, & deuictum Antonium *Octauius Auguſtus* ad ſummum reipublicæ faſtigium tranſiit, populusque Romanus poteſtatem ſuam in eum propagauit, & mox hanc mox illam ſummi imperii partem ei per varia Senatus conſulta teſte *Dione Caſſio a*) detulit.

a) Lib. LIII. & 54. add. *Franc.* de *Amaya* Lib. I. Obſeruat. c. 1.

§. II.

Hæc Senatus conſulta, in gratiam Auguſti facta, Legem Regiam, Legem Imperii, dicta fuiſſe, conſtans eſt ICtorum opinio; inde *Vlpianus* ait *a*): *Quod principi placuit, legis habet vigorem: vtpote quum* LEGE REGIA, *quæ de imperio eius lata eſt, populus ei & in eum b*), *omne ſuum imperium & poteſtatem conferat*, quæ iisdem verbis Imperator *Iuſtinianus c*) repetiit.

a) in L. 1. pr. D. *de Conſtit. princip.* *b*) v. Charonda I. Veroſimil. 2. *Ioann. Mercerius* in Conciliat. p. 120. & *Ger. Noodt.* I. Obſ. 3. *c*) §. 6. I. *de Iure N. G. & Ciu.*

§. III.

§. III.

Hinc errant *Franciscus Balduinus*, *Iacobus Cuiacius*, *Franciscus Hottomannus*, *Ioannes Corasius*, *Ianus a Costa* & alii, qui, decepti *Liuii a*) loco, Legem hanc Regiam a Romulo repetunt, eamque sub Augusto postliminio restitutam esse, contendunt.

a) Lib. XXXIV. c. 6. ibi: An vetus lex Regia simul cum ipsa vrbe nata?

§. IV.

Nec minus errant, qui verbis *Ciceronis a*): *Regio imperio duo sunto in praeeundo, iudicando, consulendo, Praetores, iudices, Consules appellantur*, moti, ad Leges XII. Tabularum huius legis originem reiiciunt *b*).

a) III. de Leg. c. 3. *b*) Non enim haec lex Decemuirorum sed ipsius Ciceronis est; vti *Ioann. Frider. Gronou.* in Orat. de Lege Regia bene obseruauit.

§. V.

Tandem etiam *Clapmari* reiicienda est opinio, qui sub Vespasiano legem hanc natam esse, existimat; nam licet negandum non sit, eiusmodi legem sub Vespasiano occurrere: tamen haec nouae legis non fuit constitutio, sed antiquae legis Regiae sub Augusto latae repetitio *a*).

a) v. *Gronouii* Orat. cit.

§. VI.

Solebant enim Romani in Augusti successoribus, quotiescunque imperium inchoabant, legem Regiam repetere: fragmentum huius Legis Regiae, sub Vespasiano repetitae, bene longum in marmoribus Capitolinis apud *Ianum Gruterum a*) extat.

a) In corpore Inscriptionum p. 242. & apud *Hoffmannum* in histor. iur. pag. 131. nec non *Heineccium* in syntagm. antiq. L. I. tit. 2. §. 67.

§. VII.

Ex quibus patet, *Franciscum Connanum a)* & *Martinum Schoockium b)* absque sufficienti ratione, legem hanc in Triboniani cerebro fuisse natam, statuisse, quibus abunde *Vlricus Huberus c)* satisfecit.

a) in comment. iur. ciu. L. I. c. 16. b) in diatribe de Lege Regia Triboniani, quam auctiorem sub tit. de quadruplici lege Regia Francof. 1668. 12. edidit. c) in Digress. Iustin. I. 1. 16.

§. VIII.

De hac Lege Regia *Scipio Gentilis a) Ioann. Baptista Castellus b)*, *Ioann. Fridericus Gronouius c)* & *Gerardus Noodtius d)* ex professo tractarunt.

a) in orat. de L. Regia. b) in dissert. de L. Regia, qua Romanorum imperium Octauiano Augusto delatum Patau 1685. edita. c) in orat. de hac Lege Lugd. Batau. a. 1675. in 8. in publicum emissa. d) in oratione de iure summi imperii & Lege Regia.

§. IX.

Sed caue, populum Romanum lege hac regia omne ius suum in principem transtulisse, credas, potius ex *Tacito a)* aliisque scriptoribus Romanis, veterum magistratuum vocabula fuisse retenta, populumque sub Augusto eiusque successoribus in comitiis de rebus tam publicis, quam priuatis rogatum fuisse, constat.

a) L. XIII. Ann. c. 25. & L. XIV. c. 28. conf. *Ger. Noodt.* L. I. Obs. iur. cap. 3. & in orat. modo cit.

§. X.

Ita sub *Augusto* Leges Iuliæ, Ælia Sentia, Fusia Caninia, Papia Poppæa, sub *Tiberio* vero lex Iunia Norbana centuriatis comitiis ad populum sunt latæ; eodem modo Imperator *Claudius* legem, vt *Domitius* in familiam Claudii transiret, & Neronis nomen acciperet, veteri ritu rogauit *a)*.

a) v. *Tacitus* Annal. L. I. c. 15. & L. XII. c. 26.

§. XI.

§. XI.

Verum enim vero non diu Imperatores veterem leges ferendi modum retinuerunt; *Tiberius* enim princeps callidissimus legislatoriam potestatem populo ademit, comitia ex Campo in Curiam transtulit, vtque leges non suffragio populi sed Senatus ferrentur, teste Tacito *a*), voluit.

a) Lib. I. Annal. cap. 15.

§. XII.

Aliam Pomponius *a*), quem Imperator Iustinianus sequitur *b*), de origine Senatusconsultorum affert relationem, notatus exinde ab eius interpretibus, verum nullo iure hoc loco Pomponium vapulare, alii vt Cornelius Bynckershoeckius *c*) & Wilhelmus Muelenius *d*) docuerunt.

a) §. 9. L. 2. *de orig. iur.* *b*) in §. 5. I. *de Iure N. G. & Ciu.* *c*) in prætermiss. ad §. 9. L. 2. *de orig. iur.* *d*) in exercitat. ad dict. §. 9.

§. XIII.

Vnde rariores factæ sunt leges, frequentiora Senatus consulta, quæ ab hoc demum tempore vim & auctoritatem legis obtinuerunt.

§. XIV.

Non equidem statuo, Senatum sub libera republica SCtorum faciendorum facultatem non habuisse; sunt enim primordia Senatusconsultorum, teste Halicarnassensi *a*) & Liuio *b*), vetustissima, hoc tantum volo, sub libera republica Senatus consulta auctoritatem legis non habuisse, cum legislatoria potestate non senatus, sed populus gauderet, sed Tiberii demum ætate Senatum legum ferendarum potestatem accepisse, unde recte de suo tempore *Vlpianus* dixit *c*): *Non ambigitur senatum ius facere posse.*

a) Lib. I. c. 28. *b*) L. I. c. 17. *c*) L. 9 *ff. de Legib.* conf. *Vincentius Cabotius* II. Disput. 3. & Clar. *Wieling* in Prӕterm. ad Hahnium p. 234.

§. XV.

§. XV.

Fiebant autem Senatus consulta sub libera republica non nisi in sacro, auspiciisque dicato loco, conuocato per edictum Senatu *a*), quo præsente a Consule, quem penes fasces eo mense erant, vel eo, absente a Prætore, Dictatore, vel etiam, recusante consule, a Tribuno plebis relatio ad Senatum fiebat.

a) His verbis: QVI PATRES, QVIQVE CONSCRIPTI, *Liu.* II. I. quibus postea addi cœpit: QVIBVSQE IN SENATV SENTENTIAM DICERE LICET. *Gellius* XIV. 18. *Lampridius* in Alexandro Seuero, cap. 6. & *Norisius* in Cenotaph. Pisan. diss. I. p. 12.

§. XVI.

Facta relatione his verbis: REFERIMVS AD VOS, PATRES CONSCRIPTI, sententiam rogabantur senatores: DIC SP. POSTVME QVID SENTIS? QVID FIERI PLACET? QVID TIBI VIDETVR? quibus dictis Consul sententias uel pronunciabat, vel supprimebat, vtque quilibet in tanta sententiarum varietate vnam amplecteretur, sequentibus verbis iubebat: QVI HÆC SENTITIS, IN HANC PARTEM, QVI ALIA OMNIA, IN ILLAM PARTEM ITE, QVA SENTITIS *a*).

a) v. Barnabas Brissonius Lib. II. de formul.

§. XVII.

Hisce prolatis, Senatores mutabant locum, eoque singuli discedebant, vbi recitata fuerat, quam probarent, sententia, discessione facta, numerabantur Senatores ab vtraque parte stantes, in quamcumque ergo partem frequentior concesserat Senatus, in eam deinde sententiam conficiebatur Senatus consultum.

§. XVIII.

Confectum ita SCtum solenniter scribebatur, & confirmatum a Tribuno plebis *a*), ex instituto Valerii & Horatii in ædem Cereris ad Ædiles plebeios deferebatur *b*), quem ritum condendi SCta sub libera republica ex veteribus *Gellius c*), ex recentio-

ribus

ribus vero *Wilhelmus Muelenius d)* & *Ioann. Gottlieb Heineccius* describunt *e*).

a) poterant enim Tribuni plebis, sin minus placerent SCta, intercedere, quo casu non vim SCtum obtinebat, sed auctoritas Senatus dicebatur. v. *Liuius* IV. 52. *Cicero* ad Famil. I. 2. Erat autem intercessionis Tribunitiæ formula: VETO Lib. VI. 35. *Pitiscus* ad Sueton. Tiber. c. 2. n. 10. Quod si autem Tribuni plebis consentirent. litteram T. subscribere solebant. *Valer. Maximus* Lib. II. c. 7. *b*) v. *Liu.* L. III. c. 55. & L. VI. 35. postea vero, ad Ærarium sunt translata v. *Sueton.* in Augusto c. 94. & *Tacitus* III. Ann. c. 51. *c*) Lib. XIV. c. 7. *d*) in Exercit. ad Pompon. §. 9. *e*) in Syntagm. antiquit. L. I. pag. 86. seq.

§. XIX.

Eodem etiam ritu Senatus consulta sub Cæsaribus condebantur, nisi quod princeps orationem præmitteret: ita Seueri oratio, quam Paulus ICtus singulari libro exposuit, in L. 1. D. *de rebus eorum, quæ sub tut.* &c. occurrit, Seueri vero & Commodi oratio in L. 20. *de Rei vind.* Antonini in L. 1. *de feriis*, Diui Pii L. 4. C. *de professf. & medic.* Pertinacis in §. 7. l. *quibus modis testamenta* &c. reperitur *a*).

a) plures eiusmodi Principum orationes, quæ à Senatoribus acclamationibus excipiebantur. v. *Merillius* ad Callistratum T III. Thesaur. Iur. Ciu p. 623. partim apud scriptores rei Augustæ, partim in corpore iuris Romani occurrentes, Barnabas Brissonius L. II. de formul. Scipio Gentilis & Bœckelen, in differt. de orationibus principum nec non *Ioann. Strauchius* in diss. De statutis a Principe §. 11. collegerunt.

§. XX.

Inde Senatus consultorum & orationum principis promiscua occurrit appellatio, & sæpe oratione principum dicitur cautum, quod SCto erat constitutum *a*); Sic Vlpianus D. Marci orationem de alimentis vltima voluntate relictis in L. 8. π. *de transact.* recitat, in L. vero 23. §. 2. *de condict. indeb.* hanc constitutionem SCto imputat *b*).

a) v. L. penult, π. *ad SCtum Turpilianum.* *b*) v. *Scipio* Gen-

Gentilis ad Orationem D. Marci & *Barn. Brisson.* I. Select. antiq. c. 16.

§. XXI.

Solebat autem princeps frequenter & pro lubitu Senatum conuocare, orationem in Senatu vel ipse habere, vel per Quæstorem recitare, vel literis voluntatem suam exponere, quidue constituendum esset, suadere *a*); quo facto quilibet ex Senatu sententiam suam secundum ordinem dicebat, & quia nemo principi contradicere audebat, plerumque pedibus in eius sententiam ibant, ac ita ad eius placitum SCtum fiebat.

a) v. L. 1. D. *de hered. petit. Sueton.* in Tito c. 6. & *Barn. Brissonius* I. Select. Antiq. c. 17.

§. XXII.

Conditum hoc modo SCtum principi offerebatur & postea vna cum oratione vel libris elephantinis inscribebatur *a*) vel æneis tabulis incidebatur *b*).

a) Et in Bibliotheca Vlpia asseruabatur. *Vopiscus* in Tacito, c. 8. *Habet Bibliotheca Vlpia in armario sexto librum elephantinum, in quo hoc SCtum perscriptum.* *b*) v. *Plin.* L. VIII. epist. 6. & *Gutherius* de offic. dom. Aug. Lib. I. c. 30.

§. XXIII.

Et hæc SCta etiam sub Cæsaribus, qui ipsi legislatoria vsi sunt potestate, fieri non desierunt; ita sub Hadriano SCtum *Iulianum*, *Apronianum* & *Tertullianum*, sub M. Antonino *Orficianum* prodiit, licet pristinum splendorem atque vim amisisse videantur *a*).

a) Hinc etiam pro lege non erant nisi lege Augusta i. e. Edicto Principali essent confirmata v. *Symmachus* X. epist. 21.

§. XXIV.

Non solum autem de negotiis principalibus, sed si quid latis legibus supplendum aut detrahendum erat, SCta fiebant; ita SCtum *Largianum* circa legem Iuniam

Iuniam Norbanam *a*), *Plancianum* circa L. Falcidiam *b*), *Libonianum* & *Claudianum* circa L. Corneliam de falsis *c*), *Persicianum d*) & *Claudianum* circa L. Papiam Poppæam *e*), facta fuerunt.

a) apud *Vlpianum* tit. 3. *de Latin.* L. un. C. *de Latin. libert.* §. f. 1. *de success. libert.* *b*) L. 59. D. *ad L. Falcid.* *c*) L. 3. C. *de his, qui sibi adscrib.* *d*) v. *Perizon.* ad L. Voconiam & *Heinecc.* ad. L. Iul. & Papiam p. 159. *e*) *Vlpian.* tit. 16. & *Suetonius* in *Claudio* cap. 24. nec non *Merillius* L. V. Obs. c. 12.

§. XXV.

Eodem modo SCtum, quod captatorias institutiones improbauit *a*) circa. L. Fabiam de plagiariis *b*) factum fuit, nec vno sed pluribus SCtis Legi Papiæ adiectum, vel detractum est *c*), de quibus ex professo *Edmundus Merillius d*) tractauit.

a) L. 71. D. *de hered. instit.* conf. *Corn. Bynckersh.* de captat. instit. cap. 1. *b*) L. 2. D. *ad L. Fabiam.* *c*) quæ deprehenduntur L. 60. *de Legat.* 2. L. 35. *de mort. caus. donat.* L. 20. *de hered. instit.* *d*) L. V. Obseruat. c. 12.

§. XXVI.

Potiora SCta, quæ in iure nostro occurrunt, hæc sunt: *Æmilianum* A. V. C. 934. Æmilio Iunco & Iulio Seuero Coss. de libertate fideicommissaria *a*) factum, quod etiam *Iuncianum b*) dicitur; *Apronianum* de uniuersitatum succesione fideicommissaria, cuius originem *Cuiacius c*) & *Hoffmann. d*) ad *Marci* tempora, *Antonius Schultingius* vero *e*) ad *Hadriani* ætatem referunt; sed videtur tempore *Marci* id, quod ciuitatibus erat concessum, hoc SCto ad Collegia productum *f*).

a) v. L. 29. §. 4. D. *de fideic. libert.* *b*) L. 51. §. 8. eod. *c*) ad Vlpian. tit. 22. *d*) in hist. iur. p. 178. *e*) in iurisprud. Anteiust. p. 635. propter L. 27. D. *de reb. dub.* *f*) L. 20. eod. v *Merillius* IV. Obs. c. 16.

§. XXVII.

§. XXVII.

Caluitianum seu potius *Caluisianum*, quo cautum vt si maior quinquagenaria minori sexagenario nupserit, non proficeret ad capiendas hereditates & legata *a*).

a) *Vlpianus* in fragm. tit. 16. *Heinecc.* in syntagm. L. I. p. 302.

§. XXVIII.

Claudianum de tutoribus a Consulibus dandis *a*); de mulieribus seruili amore bacchantibus *b*); de assignatione libertorum A. V. C. 798. P. *Suilio Rufo & Ostorio Scapula* Coss. factum *c*); & de nuptiis sexagenarii *f*).

a) v. *Sueton.* in *Claud.* c. 23. *b*) *Tacitus* L. XII. Annal. c. 23. quamuis *Suetonius* Vespasiano in eius vita cap. 11. hoc SCtum tribuat. conciliationem *Petrus Faber* L. I. Semestr. c. 21. P. *Burgius* Elect. c. 8. & *Gundlingiana* P. X. p. 436. afferunt. Quod SCtum non Alexander Seuerus, uti quidem *Cuiacius* Lib. 21. Obs. 16. & *Strauch.* diss. Iustin. XI. §. 39. existimant, sed Imperator Iustinianus per l. un. C. *de Situ. Claud. toll.* sustulit. L. 3. C. *de lib. causa* enim non loquitur de fœminis, sed de maribus seruili amore bacchantibus. vid. Gundlingiana p. X. p. 437. *c*) vid Tit. I. *de assign. libert.* *d*) v. *Vlpianus* Tit. 16. §. 3. & *Perizonius* ad L. Vocon. p. 156. *e*) vid. tit. D. *de SCt. Silan. & Claudian.* *f*) v. *Vlpianus* Tit. 21. & P. *Faber* I. Semest. 25.

§. XXIX.

Cognitum adhuc fuit aliud SCtum *Claudianum* quod sub nomine Iuris ciuilis in §. 4. I. *de Iure pers.* venit. Cum enim adolescentes maleferiati se ipsos aliis vendendos dare, & deinceps ad libertatem proclamare solerent, SCto hoc cautum fuit, vt in seruitute manerent *a*). Requirebatur tamen, vt quis sui iuris esset, non libertus alicuius L. 4. D. *de lib. caussa*, nec filius familias, qui facto suo conditionem patroni vel patris deteriorem reddere non poterant *b*).

a) v. Tit. D. *Quib. ad libert. proclam. non licet.* *b*) *Paullus* II. Sent. 21. 9.

§. XXX.

§. XXX.

Huc pertinent SCta, quibus lex de falsis est explicata, & ad alios casus prolata *a*); nec non SCta, quae ad explicandam Legem Corneliam de iniuriis prodierunt, vt *Geminianum*, *Libonianum b*), & *Licinianum*, quorum apud *Paullum c*) fit mentio.

a) v. fragmentum Vlpiani apud auctorem Collat. LL. Mosaic. & Rom. VIII. 7. vbi varia eiusmodi SCta recensentur. *b*) An hoc SCtum etiam Claudianum dictum fuerit; v. apud *Merillium* L. II. ex Cuiacio p. 305. *c*) recept. sent. L. V. c. 4. §. 14. 15. & 17. add. L. 5. §. 10. D. *de iniur.*

§. XXXI.

Dasumianum de fideicommissariis libertatibus *a*); SCtum sub Hadriano de legatis ciuitatibus, quae sub imperio populi Romani erant, relictis *b*); *Iulianum* sub Imperatore Hadriano conditum *c*); *Iunianum*, seu *Numianum* sub Domitiano A. V. C. 839. factum *d*).

a) quod citatur a *Paulo* L. IV. Sentent. recept. tit. 13. n. 3. add. L. 36. §. 4. *de fideic. libert.* *b*) v. *Vlpianus* 24. §. 28. & *Schulting.* in Iurispr. Anteiust. p. 659. *c*) quod in L. 20. D. *de hered. pet.* citatur. *d*) vti in L. 2. C. *de collus. deteg.* nominatur.

§. XXXII.

Largianum A. V. C. 798. Claudio & Caecina Largo Coss. factum, quo cautum, vt liberi manumissoris non nominatim exheredes scripti extraneis heredibus eorum in bonis Latinorum praeferrentur *a*).

a) v. §. vlt. I. *de success. libert.* & L. vn. C. *de Lat. lib. toll.*

§. XXXIII.

Macedonianum; cuius auctorem quidam *Claudium* Imperatorem *a*), alii *Vespasianum b*) faciunt, rursus alii *Claudii* legem obliteratam *Vespasianum* restituisse credunt. Si itaque dicendum quod res est, recte v-

trique hoc SCtum tribuitur, *Claudio* nimirum vt Imperatori, *Vespasiano* vero vt Consuli, quippe qui A. V. C. 800. quo *Claudius* legem, de mutuo filiis familias dato non repetendo, tulit, Consulatum vna cum Vitellio gessit *c*).

a) propter *Tacitum* L. II. Annal. c. 13. *b*) ob verba *Suetonii* in vita Vespas. cap. 11. *c*) conf. *Petr. Faber* L. I. Semestr. 25. & *Bern. Henr. Reinoldi* diss. ad SCtum Macedonianum. Vtrum vero luxuriosus quidam iuuenis, an improbus fœnerator huic SCto nomen dederit? inter eruditos non conuenit. vid. *Pagan. Gaudentius* Lib. 1. Expos. Iurid. c. 28. & licet apud plerosque *Theophilus*, qui ad §. 7. I. *Quod cum eo* &c. prius adfirmat, vapulet: tamen eius partes hodie viri doctissimi, vt *Reinoldus* in cit. dissert. & Cl. *Heineccius* in Elem. Iur. Ciu. ad π sub tit. de *SCto Maced.* tuentur.

§. XXXIV.

SCtum de Senatorum nuptiis tempore D. *Marci* conditum *a*); *Neroniana* de legatis *b*); de simulatis adoptionibus *c*); quorum testamenta ne aperiantur *d*); vt si quis à suis seruis interfectus esset, ii quoque, qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent, inter seruos supplicia penderent *e*); *Orphitianum* de bonis maternis A. V. C. 931. Iuliano Rufo & Gavio Orphito Coss. factum *f*).

a) cuius mentio fit in L. 16. D. *de sponsal.* *b*) v. *Vlpianus* XXIV. 11. *c*) v. *Tacit.* L. XV. Annal. c. 19. *d*) vid. tit. D. *de SCto Silan. & Claudian.* *e*) v. *Tacitus* XIII. Annal. 32. quod etiam Pisonianum in L. 8. D. *de SCto Silan.* dicitur. *f*) v. tit. I. de h. SCto.

§. XXXV.

SCtum *Pegasianum* sub Vespasiano Pegaso & Pusione Coss. factum *a*); *Pernicianum* seu potius *Persicianum* sub Tiberio de nuptiis sexagenariorum & quinquagenariarum conditum *b*); *Plancianum* de denunciatione prægnationis post divortium & de partu agnoscendo *c*).

a) v.

a) v. §. 5. l. *de fideic. hered.* *Rad. Fornerius* II. Rer. Quot. 18. & *Merillius* VII. 15. VIII. 14. b) v. *Perizonii* diff. de L. Vocon. c) vid. tit. D. *de lib. agnosc.* & *G. Noodtii* Iulius Paullus cap. 3.

§. XXXVI.

SCtum *Rubrianum* quo libertatibus ſubuentum *a*); *Sabinianum b*); *Silanianum* de quæſtione in familia ob occiſum dominum inſtituenda *c*); *Statilianum* de falſo; *Tertullianum* de ſucceſſione materna tempore Hadriani factum *d*);

a) v. L. 26. §. 7. D. *de fideic. libert.* b) v. §. 14. l. *de heredit. quæ ab Inteſt.* c) vid. tit. D. *ad SCtum Silan. Cuiacius* I. Obſ. 18. *Radulphus Fornerius* V. Rer. Quotid. 13. nec non *Lipſius* & *Vetranius* in notis ad Tacit. XIII. Ann. 32. & *Franc. de Amaya* L. III. Obſ. c. 8. d) v. §. 2. l. h. t. & *Schulting.* in iurispr. Anteiuſt. p. 668.

§. XXXVII.

SCtum *Trebellianum* de fideicommiſſariis hereditatibus *a*); *Turpilianum* de abolitionibus criminum *b*); SCtum *Traiani* de magiſtratu conueniendo, ſi neglexiſſent a Tutoribus & Curatoribus exigere cautionem *c*).

a) cuius ætatem indicat L. I. §. 1. D. *ad SCtum Trebell.* v. §. 4. l. *de fideic. heredit.* b) vid. Tit. D. h. & diſſert. auctoris ſub præſidio *Ephraim Gerhardi* D. de abolitionibus criminum Ienæ 1714. habita. c) v. L. 5. D. *de magiſtrat. conuen.*

§. XXXVIII.

SCtum *Velleianum* de interceſſione mulierum ſub Claudio, Marco Silano & Velleio Coſſ. factum *a*), a quo aliud *Velleianum* de aſſignandis libertis *b*) differt. *Vitraſianum c*); *Voluſianum d*); SCtum de vſufructu quantitatum & iurium *e*).

a) v. L. 2. §. 1. D. *ad SCtum Vellei.* & *Gerard. Noodt* L. I. Obſ. c. 18. nec non *Steckii* Vindicat. Anticriticæ cap. 9. b) cuius fit mentio in L. 2. D. *de aſſign. lib.* c) cuius in §. 2. l. *de vſufr.* L. 69. D. *ad L. Falcid.* & L. 1. C. *de vſufr.*

vſufr. fit mentio. v. *P. Faber* III. Semeſtr. 12. *Noodt* II. de vſufr. 20. & *Euer. Otto* in præf. T. I. Theſ. Iur. Ciu. præmiſſa; ſtatuam Vitraſii v. apud *Nerium* I. Annal. 32. *d*) v. L. 6. D. *ad L. Iul. de vi publ. & priu.* *e*) v. *Vlpianus* in fragm. 24. § 26. L. 1. *de vſufr. quemadm. cau. Galuanus* de vſufr. diſſert. 3. & *G. Noodt* de vſufr. L. II. c. 20.

§. XXXIX.

Præterea etiam nonnulla ſita in Iuris noſtri Corpore reperiuntur, de quorum origine atque auctore plane non conſtat. Huc pertinet ſitum, cuius in L. 70. & 71. D. *de hered. inſtit.* fit mentio *a*), nec non ſitum de uſufructu quantitatum & iurium.

a) vid. Ampliſſ. *Bynckershoeckii* opuſc. De cap. ſtat. inſtitut. in princip.

§. XL.

De hiſce SCtis ex veteribus *Iulius Paullus*, ex recentioribus vero *Antonius Auguſtinus a*), *Ianus Vincentius Grauina b*), tractarunt. Nec minus *Hoffmannus c*) catalogum eorum exhibuit.

a) in libro de LL. & SCtis, qui Romæ 1583. lucem adſpexit. *b*) in orig. Iur. ciu. L. III. *c*) in hiſtor. Iur. p. 178.

§. XLI.

Singularia SCta reſtituerunt commentariisque illuſtrarunt ſuis tum veteres, tum recentiores ICti. Ex veteribus *ad SCtum Orficianum & Tertyllianum*, T. Gaius, *ad Turpilianum* Ælius Marcianus, *ad Libonianum*, *Orficianum*, *Silanianum*, *Tertyllianum*, *Turpilianum* & *Velleianum* Iulius Paullus ſcripſerunt: Ex recentioribus *Macedonianum* Reinoldus *a*), *Marcianum* vero *de bacchanalibus tollendis* Vir Ampliſſ. Bynckershoeckius *b*) reſtituerunt.

a) in diſſ. cit. *b*) in Opuſc. De cultu Religion. peregrinæ apud veteres Romanos p. m. 259.

CAP.

CAP. X.

DE IVRECONSVLTIS EORVMQVE RESPONSIS.

§. I.

ICtis Romæ originem dedit *Romuli* inſtitutum, a Græcis acceptum, & in melius reformatum, quo nimirum in fidem patriciorum plebeios dedit, vt, quem vellent ex patriciis, ſibi patronum eligerent *a*).

a) v. *Dion. Halicarnaſſ.* L. II. & *Plutarchus* in vita Romuli.

§. II.

Patricius vocabatur patronus, plebeius cliens, eius erat, clienti iura interpretari, lites pro eo ſuſcipere *a*), atque otium ei tam in publicis quam priuatis negotiis & quidem gratis parare: huius erat, patronum in elocandis filiabus adiuuare, captiuum eiusque liberos redimere, mulctas indictas pro eo repræſentare, & ad ſumtus pro magiſtratu faciendos conferre *b*).

a) vnde *Horatius* II. Epiſt. 1. v. 103. canit:

Romæ dulce diu fuit & ſolenne, recluſâ
Mane domo vigilare, clienti promere iura.

b) v. *Gellius* L. V. c. 3. *Fridericus Brummer* ad L. Cinciam. *Deſiderius Heraldus* L. II. Rer. iudicat. auctorit. cap. 5. nec non *Philipp. à Turre* in Monumentis veteris Antii cap. 11.

§. III.

Non ſolum autem plebs in vrbe in patrocinio erat, ſed & integræ coloniæ, ſocietates, municipiaque ſibi patronos ex patriciis eligebant, vt negotia eorum in vrbe curarent, verbaque pro illis facerent *a*).

a) v. *Cicero* de offic. I. & Philipp. VI. *Sueton.* in Auguſto & Tiberio. Extant quamplurimæ inſcriptiones apud *Gruterum*, *Reineſium* & *Noriſium* Cenotaph. Piſan. Diſſ. II. c. 7. nec non *Philippi à Turre* in Monument. veteris Antii c. 11. in quibus Coloniarum ac Municipiorum Patroni laudantur. v. *Rad. Fornerius* V. Rer. Quotid. 4.

§. IV.

Cum autem patroni promiscue omnibus consulentibus, & quidem mercede conducti se dare cœperint, obsoleuit antiquum illud ius patronatus, omnesque, studiorum suorum fiduciam habentes, ad causas ciuium perorandas sunt admissi, ac priuatorum iudiciorum fortuna in ICtorum opinione est sita *a*).

a) v. *Cicero* Top. c. 17. *Brissonius* IV. Select. Antiqu. 16. locumque inuenit illud *Iuuenalis* Sat. VIII. v. 47.

- - - Sæpe ima plebe Quiritem
Facundum inuenias, solet hic defendere caussas
Nobilis indocti, veniet de plebe togata
Qui iuris nodos & legum ænigmata soluat.

§. V.

Primis vero temporibus hi ICti a docendo respondendoque sese abstinebant, posteaquam vero arcanum illud Pontificum, nempe legis actiones, esset diuulgatum, & cum plebe communicatum, responsa iuris tam partibus litigantibus *a*) quam iudicibus, & quidem non solum medio in foro, sed & domi dabant *b*), discipulosque suos, vt eos audirent, & responsa notarent, admittere solebant *c*).

a) Qui deinceps responsa ad iudices adferre solebant. l. 2. §. 47. *de O. I. Cicero* I. de Orat. & *Freherus* II. Parerg. 6. *b*) v. *Cicero* Top. c. 17. & de Leg. I. c. 3. *Pomponius* §. 47. *Georg. Schubart.* Exercit. 2. p. 265. *Ioseph. Nerius* I. Analect. 6. & *Euer. Otto* in Papiniano p. 223. fiebat autem id interdum viua voce & tempore matutino sub galli cantum, vt ex *Horatio* Serm. I. v. 9. & 10. constat:

Agricolam laudas iuris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor vbi ostia pulsat.

c) *Cicero* in Orat. ad Brutum.

§. VI.

Non solum autem ICti a ciuibus consulebantur, sed sese inuicem ipsos consulere solebant; Ita, Proculum

culum Attilicinus *a*), Paulum Rufinus *b*) consuluisse legitur, eodem modo Sexto Cæcilio Africano Iulianus respondit; imo iudicibus sæpius absentes, quid iuris esset, scribebant *c*), vel coram iura explicabant.

a) in L. 17. D. *de pact. dot.* *b*) in L. 4. D. *Quib. ad libert. procl. non licet.* *c*) v. L. 2. §. 47. D. *de Orig. iur.* & *Ioan. Strauchius* in præf. Consiliis Fichardi Giessæ 1677. editis, præmissa.

§. VII.

Nec minus non tantum auctores vnius scholæ, sed etiam alterius sese inuicem consulere solebant. Ita Aristo Iulianum ex Sabinianis in L. 4. D. *de leg. præst.* & Neratius Aristonem ex Proculeianis in L. 3. D. *Quæ res pign. dar.* &c. consuluit. Pari modo aliquis ex Proculeianis Iauolenum in L. 28. *de reb. auct. iud. possid.* interrogauit *a*).

a) v. *Merillius* V. Obs. 29. & 38.

§. VIII.

Solebat autem cliens ICtum alloqui, & veniam petere his verbis: LICETNE CONSVLERE; respondente ICto: CONSVLE, referebatur ei negotium, addita quæstione: QVÆRO, AN EXISTIMES? tunc breuissime *a*) nulla addita ratione *b*), ICtus respondebat: SECVNDVM EA, QVÆ PROPONVNTVR, EXISTIMO, PLACET, PVTO, vel; NON EXISTIMO, NON PLACET, NON VIDETVR *c*).

a) Sicuti ICti breuissimè, ita etiam sæpius obscurè respondebant, hinc *Iuuenalis*:

- - - *Iurisque peritus Apollo.*

v. *Gabriel Vallus* ad L. vn C. *de sententiis, quæ pro eo, quod interest* &c. & *Gilbertus Regius* II. Enantiophan. c. 14. *b*) ICti Romani ad augendam iuris ciuilis dignitatem rationes ciuiles clam populo habebant, ne cauillandi occasio daretur. *Seneca* epist. 95. *Quid quod etiam sine probationibus, ipsa monentis auctoritas prodest. Sic quomodo ICtorum valent responsa, etiamsi ratio non redditur.* v. *Kressii* diss. De rationibus decedendi in va-

rio iure & *Euerard. Otto* de Ædil. Col. & Municip. p. 257. *c*) v. *Barn. Brissonius* de form. L. III. L. 19. D. *de lib. & postum.*

§. IX.

Præter consilia, quæ ICti consulentibus dabant, id etiam agebant, vt leges populi Romani interpretarentur, earumque rationes inuestigarent, vnde sæpius inter se de iure controuerso disputare solebant, quæ disputationes quæstiones & altercationes dicebantur *a*); hinc formulæ: PLENIUS ROGO, QVÆ AD HÆC SPECTANT ATTINGAS *b*), POSSE DICI *c*).

a) eiusmodi quæstionum Papinianus Libros 37. conscripsit, egregium etiam exemplum huius quæstionis, in auditorio Papiniani ventilatæ, in L. 40. D. *de reb. cred.* ad quam Legem difficillimam Ampl. *Bynckershoeckius* singularem librum 1696. conscripsit, qui Lugd. Batau. 1699. 8. vna cum diss. *De pactis stricti iuris contractibus in continenti adiectis*, & Diatriba: *De auctore auctoribusque Authenticarum* recusus fuit. Aliud in L. 43. *de act. E. & V.* occurrit. De hisce Quæstionum libris v. *Perrenonius* II. Animadu. c. 11. & *Euer. Otto* in Papin. p. 235. *b*) L. 25. *de lib. leg.* *c*) L. 14. D. *de legat.* 1.

§. X.

Summam autem ICti non solum in respondendo, sed etiam in refutandis aduersariorum sententiis adhibere solebant modestiam, quod ex formulis, quibus ad dissensum suum indicandum vtebantur, satis elucet; Ita *Vlpianus* in L. 48. §. 4. D. de ædil. edict. *difficile esse*, ait, *vt contineatur* quod negat contineri, & in L. 23. pro socio, *difficile esse*, inquit, *negare*, quod non vult negare *a*).

a) v. *Gerard Noodt* de dolo malo c. 12. & de transact. cap. 24. nec non P. *Burgius* Elect. c. 6. In primis autem ICti formula vtebantur: NON VIDERI, a veteribus petita. qui eandem, quod facile mortales errare possunt, in LL. Plebiscitis, & iudicum cognitionibus religiose obseruarunt. v. *Cuiacius* III. Obs. c. 26.

26. *Duarenus* II. Diſput. Anniu. c. 2. *Henricus Brenckmann.* in diſſ. de legum inſcriptionibus §. 27. & *Hermann. Noordkerk* obſeru. cap. 4.

§. XI.

Eodem modo ICtus in L. 12. §. 1. de aqu. pluu. *ſibi magis placere*, in L. 4. §. 7. de Uſurp. & V. *commodius dici*, L. 3. de Riu. *Ego contra*, *mihi videtur, nos & hic opinamur*, L. 11. §. 15. de leg. 3. *proclivior ſum*, L. 59. §. 1. de iur. dot. *vereor ne non ita ſit*. & in L. 45. §. 5. de ritu nupt. *vereor ne poſſit ita eſſe*, ait; de qua veterum ICtorum modeſtia ex profeſſo *Antonius Matthæi a*) egit.

a) in oratione de modeſtia veterum ICtorum, add. *Boeckelen.* de diu. fam. vet. ICtorum c. 7. De modeſtia T. Ariſtonis vid. *Plinius* I. epiſt. 22. de Papiniani *Euer. Otto* in Papin. p. 340. & V. A. *Zacharias Huber* in diſſ. ad L. 63. *de R. N.*

§. XII.

Hoc etiam non minimum modeſtiæ illorum argumentum eſt, quod, rationibus aliorum conuicti, ſententiam ſuam mutare, ac in contrariam concedere non erubuerint. *Papiniani* retractationes in L. 6. de ſeru. export. & L. fin. C. de furt. *Scæuolæ* in L. 23. §. 3. de A. R. D. *Iuliani* in L. 15. §. 1. ad L. Aquil. *Maſſurii Sabini* in L. 17. de hered. inſt. *Vlpii Marcelli* in L. 17. §. pen. de pact. *Mæciani* in L. 17. de iure patron. & *Vlpiani* in L. 92. de C. & Demonſtr. occurrunt *a*).

a) v. *Cuiacius* IV. Obſ. c. 1. *Franc. Marſius Gordonius* Prætermiſſ. c. 11. *Merillius* I. Obſ. 9. *Ger. Noodt* ad L. Aquil. c. 10. *Euer. Otto* in Papin. p. 344. & Proluſio noſtra: *De retractationibus veterum ICtorum, quorum fragmenta in Digeſtis ſuperſunt*, Ienæ 1726. 4. edit.

§. XIII.

Præter reſponſa, quæ conſulentibus ICti dabant, etiam clientes conſilio & induſtria aduerſus nimiam

iuris ſubtilitatem, aut aduerſariorum machinationes muniebant, cautionesque quamplurimas, Græcis ἐυρηματικα dictas, ſubtiliter excogitabant *a*).

a) Ad munus ICti etiam cautiones pertinere *Cicero* I. de Orat. 48. docet. Eiusmodi cautionum librum *Modeſtinus* ICtus conſcripſit, cuius fragmenta *Ioann. Schilterus* & *Henricus Brenckmannus* collegerunt, atque peculiaribus ſcriptis illuſtrarunt.

§. XIV.

Sæpius etiam prudentes in commune conſulebant, & quam, poſt varias altercationes, communi ſuffragio deciſionem inueniebant, diſputationem fori adpellabant, eamque vſu fori accedente ad ſimiles caſus extendebant, de qua fori diſputatione iam cap. IV. a nobis fuit actum.

§. XV.

Præterea ICti ex principiis generalioribus ſpeciales regulas deducebant *a*), aut regulas ab anteceſſoribus datas repetebant, & confirmabant, vel aliis modis iurisprudentiam Romanam illuſtrabant, vnde tot regularum, definitionum, diſputationum, veroſimilium, inſtitutionum, opinionum & Digeſtorum libri ſunt orti *b*).

a) Licet difficile fuerit antiquis ICtis, regulas eiusmodi generales breui complexu edere L. 202. *de R. I.* Quintus tamen Mucius primus vadum tentauit, ac regulas iuris compoſuit, L. 2. §. 42. *de O. I.* quem deinceps Seruius Sulpitius & Pomponius ſecuti ſunt, vſque dum Papinianus duos definitionum libros edidit, atque in illos æquiſſimas iuris regulas retulit. v. *Merillius* ad L. Deciſiones p. 64. & *Euer. Otto* in Papiniano p. 244. De uſu Regularum iuris vid. *Mercerius* II. Opin. cap. 16 *b*) De libris Quæſtionum, Diſputationum, Aſſeſſoriorum, Diſceptationum & Decretorum v. *Perrenonius* II. Animadu. II. De libro Maſſurii Sabini Memoralium *Pitiſcus* in Lexico v. *Memoriales*.

§. XVI.

§. XVI.

Nec minus ICti vel libros aliorum supplere, illustrare, illisque aliquid addere, vel etiam reprehendendi animo ad aliorum libros scribere solebant. Vnde libri *Iauoleni* ex Cassio, *Iuliani* ex Minucio Natali *a*): *Massurii Sabini* libri seu notæ ad Vitellium *b*) *Vlpii Marcelli* ad Iulianum, *Vlpiani* ad Vlpium Marcellum, *Paulli* ad Sabinum & Plautium *c*), *Paulli*, *Vlpiani* & *Martiani* ad Papinianum in iure nostro passim occurrunt.

a) Ad horum imitationem ex recentioribus *Merillius* tres libros ex Cuiacio Paris. 1638. 4. edidit, quibus *Ossus Aurelius* Dispunctorem suum Aureliæ 1642. 4. opposuit. *b*) v. *A. Augustinus* I. Emend. 6. *Iac. Curtius* II. Coniect. 2. *Ioseph Nerius* II. Analect. 22. *Petr. Perrenonius* II. Animadu. 6. *Guil. Best.* in ratione emendandi leges c. 8. & V. A. *Corn. Bynckershoeckius* ad L. Rhodiam de iactu p. 4. *c*) v. pr. l. *de hered. instit.* ibique Dn. *Boëhmer* in not.

§. XVII.

Ex hisce ICtis, qui veteres in iure nostro dicuntur *a*), quorumque iurisprudentia dicitur media *b*), quod primum *M. Aurelius Galuanus* detexit *c*), celebres præ ceteris fuerunt *Tiberius Corruncanius*, qui primus referente *Pomponio d*) iuris ciuilis scientiam Romæ professus est, quique teste *Cicerone e*) tantæ fuit sapientiæ, vt ad eum de omnibus diuinis atque humanis rebus referretur.

a) in L. 3. §. 19. *ff. de A. vel A. P.* L. 1. §. 9. & L. 31. *ad L. Falcidiam*, licet negandum non sit, etiam primos illos ICtos, qui sub imperatoribus floruerunt, hoc nomine venire. v. L. 3. § 19. de *adqu. vel amitt. poss.* & L. 31. *ad L Falcid.* vnde etiam *Cuiacius* ad L. 37. D. *de vsurp. & V.* ex veteribus vltimos Sabinum & Cassium fuisse ait. *b*) in §. 31. *de legit. agnat. success.* *c*) in diss. de vsufr. c. 6. *d*) §. 35. *e*) L. III. de Orat.

§. XVIII.

§. XVIII.

P. Papyrius Legum Regiarum collector; *Manius Manilius Ciceroni* princeps ciuitatis dictus *a*); *Appius Claudius Cæcus*, vel etiam *Centummanus*, vti eum *Pomponius b*) appellat, qui libellum de Legis actionibus composuit, quem Cneum Flauium furripuisse, & populo dedisse supra annotauimus.

a) L. I. de Finib. c. 4. Huic Manilio *Euer. Otto* in præfat. T. I. Iur. Ciu. præm. nomen suum vindicauit.
b) §. 36. vid. L. 1. §. 5. D. *de postul. Suetonius* in Tiberio, de hoc Appio etiam *Ouidius* L. VI. Fast. canit:

Appius est auctor Pyrrho, qui pace negata
Multum animo vidit; lumine captus erat.

De hoc Appio Claudio eiusque honoribus elegans est inscriptio apud *Petrum Marcellinum Corradinum* in Vet. Latio III. c. 20. & alia apud *Gruterum* p. 389. Quatenus autem litteræ caninæ *R.* inuentor dici possit? viri doctiss. *Bynckershoeckius* in prætermi. ad §. 36. L. 2. *de O. I.* & *Euer. Otto* in præf. T. I. Thes. Iur. ciu. præm. explicant.

§. XIX.

S. *Ælius* Æliani iuris auctor, quem *Tullius* maximum oratorem maximumque ICtum prædicat *a*). *Marcus Cato* Porciæ familiæ princeps, & regulæ Catonianæ auctor *b*); *Publius Mucius* & *Quintus Mucius Scæuolæ* pater & filius, viri Iuris ciuilis scientia florentissimi, quorumque domus oraculum ciuitatis fuit dicta, eius mentio fit in L. 36. D. *pro soc.* & L. vlt. *de legat.* hic vero cautionem Mucianam *c*) inuenit, & librum ὅρων aliosque decem & octo, quibus ius ciuile antea confusum in ordinem redegit, composuit *d*).

a) Quem Iustinianus in L. 1. p. 2. C. de comm. seru. manumiss. *iuris antiqui auctorem* appellat, unde male *Cuiacius* pro S. Ælio S. Cæcilius legit. v. *Merillius* Lib. II. ex Cuiacio p. m. 294. *b*) v. Tit. 7. Dig. Lib. 34. Catonianæ sententiæ mentio fit in L. 86. *de cond. & demonstr.* vid. etiam L. 10. §. 1. *de ædil. Ed.* L. 44. *Solut. matrim.*

matrim. L. 5. §. 1. *de V. O.* & L. 98. §. 1. eod. vbi eiusdem obseruationem de mense intercalari, ex iure Pontificio petitam, perspicimus. De libris a Catone editis v. *Gellius* XIII. 18. Inscriptiones de hoc Catone v. apud *P. Seruium* in Miscell. T. II. Miscellan. Ital. p. 77. *c*) de hac cautione vid. L. 79. §. 2. & 3. D. *de Condit. & demonstrat.* De hisce Muciis v. *Val. Maxim.* VIII. c. 12. vbi tamen pro *iure Pratorio*, legendum esse *iure prædiatorio Pigbius* in notis & *Gilbertus Regius* Enantioph. c. 27. obseruauit. conf. *Iac. Curtius* I. Coniect. 27. *d*) ex quibus multa Digestis inserta sunt loca, quæ *Franciscus Balduinus* collegit, & in suis Scæuolis, seu de Iurisprudentia Muciana libro 1558. 8. Basileæ edito, commentariis egregie illustrauit.

§. XX.

Quintus Tubero Panætii non Pansæ, vti quidem *Pomponius a*) ait, auditor, a quo disciplina Stoica ita fuit imbutus, vt Stoicam grauitatem in omnibus suis actionibus & moribus expresserit; maximam autem eius in iure fuisse auctoritatem ex L. 7. §. 1. de *supellect. leg.* patet; meminit etiam eius *Iauolenus* in L. 77. *de C. E. & V.* & *Vlpianus* in L. 13. §. 30. π. *de A. F. & A.*

a) §. 40. Huius ICti mentionem *Gellius* XIV. 2. facit, & diuersus est ab Ælio Tuberone, cuius idem Lib. XXII. meminit. v. *Valer. Maxim.* IV. c. 9. p. 356. edit. Torrenii.

§. XXI.

Mucii auditores fuerunt quam plures *Aquilius Gallus* stipulationis Aquilianæ, quam formulam ICtus *Florentinus* in L. 18. §. 1. D. *de acceptil.* & *Tribonianus* in §. 1. I. *Quib. mod. toll. obligat.* describunt, artifex *a*); *Publius Rutilius Rufus*, *Lucius Balbus*, *Sextus Papirius*, & *Caius Iuuentius*.

a) v. *Ioann. Strauchii* vita C. Aquilii Galli inter program. a Consultissimo Dn. *Budero* coniunctim Ienæ 1720. 8. edita pag. 112. & Clar. *Heineccii* de *C. Aquilio Gallo* Oratio 1731. recit. Ab hoc ICto diuersus est Ælius Gallus. v. *Gellius* XVI. 5. & *Macrobius* VI. Saturn. 8.

§. XXII.

Horum discipulus *Seruius Sulpicius* fuit, qui primus, teste *Cicerone a)*, artem, quam dialecticam vocant, ad iurisprudentiam attulit, & obiurgatus a Q. Mucio, cum ad consulendum eum de re amici venisset, quod ius, in quo versaretur, ignoraret *b)*, iuri ciuili adeo operam dedit, ut prope centum & octoginta libros, narrante *Pomponio c)*, reliquerit.

a) in Bruto cap. 41. *b)* Hic Seruius Sulpicius, quasi vlciscens suam iniuriam, Mucium postea notauit v. §. 2. I. *de Societ.* L. 30. *pro socio*, L. 3. §. 6. *de pen. leg. Gellius* IV. 1. *Merillius* II. 2. & *Freber*. II. Parerg. 1. §. 43. v. *Ioann. Strauchii* vita huius ICti inter programm. p. 68. De hoc Sulpicio elegans est inscriptio apud *Reinesium* Classe VII. Inscriptione 30.

§. XXIII.

A Seruio Sulpicio iuris disciplinam didicerat *Alphenus Varus a)* Epicureæ sectæ deditus *b)*, qui in iuris scientia adeo excelluit, vt non solum XL. Digestorum libros *c)*, quos Paulus ICtus in ordinem redegisse videtur, sed etiam Coniectaneorum seu, vt alii malunt, Collectaneorum, quorum secundum *Gellius* citat *d)* reliquerit; vitam huius ICti *Henricus Brenckmannus* conspectui π *e)* adiecit.

a) alius hic *Alphenus* ab eo fuit, qui tempore Othonis & Galbæ vixit, de quo *Tacitus* Lib. II. Ann. c. 29. & 43. Lib. III. c. 36. & *Plutarchus* in Othone. *b)* vti ex L. 76. D. *de iudic.* patet. vid. tamen *Iacobus Cuiacius* L. XXVI. Obs. 40. & *Menagius* ad Laërtium Lib. X. p. 63. *c)* qui in Indice π. præmisso recensentur. non magnæ tamen eius sententias inter ICtos auctoritatis fuisse, ex L. 72. *de leg.* 2. patet. *d)* Lib. VI. c. 5. *e)* Amstelod. 1709. edito v. excerptum e litteris *Christfr. Wachtleri* ad I. B. M. in Actis Erud. a. 1711. p. 21. promisit etiam *Eucrardus Otto* Alphenum Varum ab iniuriis vindicatum, quem auide expectamus.

§. XXIV.

§. XXIV.

C. *Aulus Ofilius*, qui teste *Cicerone a*) viuente adhuc *Seruio* præceptore maximam in respondendo habuit auctoritatem, quique iudice Pomponio *b*) Trebatio & Cascelio doctior fuit; reliquit libros de iure ciuili plurimos, de Legibus, vicesima, iurisdictione, ad Edictum Prætoris, & de actionibus *c*).

a) L. VII. ad famil. epist. 21. *b*) §. 45. *c*) v. *Menagius* amœnit. iur. ciu. c. 42.

§. XXV.

Eodem tempore vixit *Trebatius Testa a*) Cornelii Maximi auditor, & Labeonis præceptor, Ciceroni vero admodum familiaris *b*), cuius suasu Augustum codicillorum vsum recepisse, Imperator testis est *c*); Proculeianæ sectæ auctorem eum *Ioannes Bertrandus d*), motus verbis Ciceronis *e*) *familiam duxit in iure ciuili*, facit, sed familiam ducere esse prouerbialem loquendi modum, idemque significare, quod præcipuum est, nemo est qui non intelligit.

a) Epicureis illum multi, propter verba Cicer. Lib. VII. ad fam. epist. 12. *Indicauit mihi Pansa meus, Epicureum te esse factum*, accensent, sed Ciceronem ludere, vt in aliis locis, recte obseruauit *Schilterus* in Manud. ad philos. mor. cap. 1. §. 6. vid. *Euerard Otto* in not. ad orat. de Stoica veterum ICtor. philosophia p. m. 251. *b*) v. Epist. 1. L. IV. ad famil. *c*) in §. 1. I. *de Codicill.* *d*) Lib. II. Vit. ICtor. c. 18. *e*) L. VII. epist. 5.

§. XXVI.

Huius *Trebatii* ICti, quem *Cicero*, *Iulius Cæsar* & *Augustus* magni fecerunt, *Ammianus* vero *Marcellinus a*) inter præstantissimos ICtos numerauit, laudibus multum *Nicolaus Heinsius b*) detrahere, eiusque sententias plerumque in Digestis reiici, variis eam in rem adductis locis, probare voluit, sed *Trebatii* defensionem doctissimus *Gundlingius* in se suscepit, eumque ab Heinsii iniuriis liberauit *c*).

a) L.

a) L. XXX. c. 4. b) in diff. de Satyra Horatiana. c) in pecul. differt. Halæ habita.

§. XXVII.

Trebatio & Ofilio æqualis fuit *Cascelius* Q. Mucii & Volcatii auditor, quem *Macrobius a)* ICtum miræ vrbanitatis & libertatis nominat; fcripta eius incognita funt, præter librum benedictorum, cuius *Pomponius b)* meminit, quis autem ille liber fuerit, inter Doctores non fatis conftat *c)*.

a) L. II. Saturnal. c. 8. b) §. 45. c) v. *Menagius* amœnit. iur. ciu. c. 8. *Scipio Gentilis* I. Parerg. 38. & *Freher*. I. Parergor. 3. & *Ioannes Strauchius* in vita huius ICti inter programm. pag. 62. ad imitationem Cafcelii *Marcus* à *Lyclama* ICtus Benedictorum libros quatuor aduerfus maledicta *Antonii Fabri*, qui eum in libris de erroribus pragmaticorum reprehendit, confcripfit.

§. XXVIII.

Præterea ICtorum catalogo etiam *M. Tullium Ciceronem Guilielmus Budæus a)*, *Francifcus Balduinus b)*, *Reinerus Bachouius c)*, *Guilielmus Grotius d)*, *Nicolaus Sudorius e)* & *Antonius Schultingius f)* inferunt, fed rectius alii g) *Ciceronem*, qui ipfe a ICtis fe feparare videtur *b)*, albo ICtorum non infcribunt.

a) ad L. 1. *de I. & I.* b) qui integrum de Iurisprudentia Ciceronis librum confcribere voluit. c) ad Fabri error. pragmat. Decad. 49. err. 9. d) de vit. ICtor. L. I. c. 9. e) in difputat. ciuil. libro ad L. 13. C. *de iudiciis*. f) in orat. de Iurisprudentia Ciceronis Franecker. recitata. g) vt ampliffimus *Bynckershoeckius* in prætermiffis ad §. 46. L. 2. *de O. I.* b) epift. 19. L. VII. & c. 13. Oration. pro Muræna, vbi nimis abiecte de ICtis loquitur.

§. XXIX.

Licet autem hi ICti non folum clientibus, fed & iudicibus refponfa dederint, non tamen ea fub libera republi-

republica vim & auctoritatem iuris habuerunt, nec iudices obligarunt? *Augustus* enim primus respondendi de iure facultatem ICtis per modum beneficii concessit, iudicesque, ne ab eorum responsis recederent, adstrinxit a), vnde etiam ab hoc tempore ICti *iuris conditores* b) & *iuris auctores* c) sunt dicti.

a) v. §. vlt. L. 2. π. *de orig. iur.* Quod si tamen dissentirent inter se, qui consulebantur, liberior & solutior iudicandi potestas iudicibus competebat, nec obstat §. 8. I. *de Iure N. G. & C.* ibi enim multi *non facile* vel *non temere* legunt. v. *Grauina* in Origin. Iur. Ciu. c. 40. & *Perrenonius* II. Animadu. 11. b) v. L. 17. π. *de iur. patron.* L. 120. *de V. S.* L. 25. C. *de nupt.* c) v. L. 39. *de A. E. & V.* L. 32. *de vsur.* & L. 3 C. *de repud.* nec non *Albericus Gentilis* Lib. III. Epist. cap. 3.

§. XXX.

Non autem *Augustus* hanc responsis ICtorum tribuit vim, vt maior iuris auctoritas esset, vti *Pomponius* a) narrat, nec vt responsa ICtorum Praetoris regnum euerterent, vti *Hubero* b) placuit, sed vt eo ipso sibi legislatoriam potestatem callide vindicaret, ac Leges Romanas per ICtos statui praesenti accommodaret c).

a) §. vlt. b) auspic. domest. V. p. 178. c) v. Dn. *Thomasius* in Naeuis iurispr. Anteiust. p. 70. & *Heineccius* in Syntagm. antiquit. p. 77.

§. XXXI.

In dubium quidem hoc Augusti factum *Iacobus Gotbofredus* a) vocauit, & partim ante Augustum responsorum auctoritatem iam saluam, partim à Valentiniano III. stabilitam fuisse, censuit, sed rationes eius solide illustris *Thomasius* b) excussit.

a) in Comment. ad C. Theod. L. I. Tit. 5. p. 32. b) in Naeuis pag. 67.

§. XXXII.

Seruarunt idem institutum sequentes Imperatores,

excepto *Caligula*, qui referente *Suetonio a*), totum ICtorum ordinem abolere voluit, nisi quod sub *Tiberio* & successoribus respondendi facultatem ab Imperatore impetrare cogerentur, quod tamen iterum *Hadrianus*, auctore *Pomponio b*), sustulit.

a) in eius vita c. 34. conf. *Mercerius* in Conciliat. p. m. 123. *b*) §. 47.

§. XXXIII.

Sicuti autem ICti & vitæ ratione plane diuersi, & ingenio doctrinaque dissimiles erant, ita contigit, vt in studio iuris ciuilis, partim ex æmulatione & dissentiendi studio, partim ex diuerso ius & æquum interpretandi modo, dum alii strictæ iuris rationi adhærescerent, alii in æquitatem procliuiores essent, & legum asperitatem verecunde lenire vellent, in partes distraherentur; diuersæque ICtorum familiæ orirentur, quarum controuersiæ iurisprudentiam Romanam mirifice turbarunt.

§. XXXIV.

Primi diuersarum scholarum auctores fuerunt *Ateius Capito* & *Antistius Labeo*, qui ambo sub *Augusto* floruerunt, ille quidem Sabinianæ seu Cassianæ, hic vero Proculeianæ seu Pegasianæ scholæ princeps; quarum Scholarum seriem & successionem in compendiosa tabella *Antonius Augustinus a*), *Antonius Contius b*) *Iacobus Gothofredus c*), *Christian Otto a Boeckelen d*) & *Petrus Lambecius e*) exhibent.

a) Lib. III. Emend. c. 4. *b*) Lib. I. Subseciu. lect. c. 12. *c*) in Manual. iur. *d*) de diuers. ICt. fam. cap. 2. quibus *Gottfridi Mascouii* exercit. inaugur. De Sectis Sabinianorum & Proculianorum in iure ciuili Altorfi 1724. ventilata, addi potest. *e*) in Prodr. Histor. Litter. p. 232.

§. XXXV.

Ceterum, quæ *Labeonem* inter & *Capitonem* ex-

stitere

ſtitere controuerſiæ, ex diuerſitate ingeniorum maximam partem fuiſſe ortas, ſuſpicari licet; *Labeo* enim, dum Stoicam affectaret ſeueritatem, libertatis priſtinæ ſtrenuus defenſor *a*): *Capito* contra aulæ deditus, ille nouator erat, ac a ſententia veterum lubenter recedebat *b*): hic vero veterum veſtigia premebat *c*), hic honorum appetentiſſimus erat; ille vero etiam delatos ſibi repudiabat; diuerſos horum ICtorum mores præter *Pomponium d*) *Edmundus Merillius e*) *Chriſtian Otto a Boeckelen f*) *Cornelius Eckius g*) *Chriſtian. Thomaſius h*) & *Godfried Maſcou i*) notarunt.

a) eius παῤῥησίας exempla apud *Sueton.* in Auguſto *c.* 54. & *Dione Caſſio* L. LIV. proſtant. *b*) exempla vid. in L. 1. §. 41. D. *depoſ.* L. 1. §. 2. *de peric. & comm. rei vend.* L. vlt. *de iur. deliber.* L. 31. *de vſufr. & vſu leg.* v. *Petr. Perrenonius* Lib. I. Animadu. 21. *c*) v. *Gellius* Lib. XIII. c. 12. *d*) in §. 47. *e*) L. I. Obſ. c. 3. & L. V. c. 54. *f*) cap. 2. *g*) in oratione de hiſce duobus ICtis 1692. Vltraiect. recitata. *h*) in comparatione horum ICtorum inter programm. pag. 1. *i*) in citat. exercit. inaugur.

§. XXXVI.

Quæ autem & ingeniorum & doctrinæ inter Antiſtium Labeonem & Atteium Capitonem interceſſit diuerſitas, illa etiam ad eorum ſectatores Proculeianos & Sabinianos propagata fuit; *Proculiani* enim magis a partibus Stoicorum erant: *Sabiniani* vero diuerſas ſequebantur ſententias *a*), *illi* ſubtilitatem iuris & ſtrictam diſputandi ſequebantur rationem *b*): *hi*, quod æquius erat ac benignius, aduerſus ſtrictam diſputandi rationem & verborum ſubtilitatem probabant *c*), *illi* veterum regulis inſiſtere nolebant: *hi* regulis iuris antiqui, quæ fluxerant ex iure ciuili ſiue interpretatione prudentum, inſiſtebant, probabantque a maioribus conſtituta,

licet eorum non possent reddere rationem *d*).

a) Hinc *Arrianus* IV. Diss. Epict. c. 3. Massurium & Cassium Sabinianos his verbis perstringit: *Hae sunt illinc missae leges, hac Edicta, horum interpretem esse oportet, his parere, non Massurii & Cassii praeceptis.* v. *Merillius* I Obs. c. 20. & 27. Lib. IV. c. fin. & ad L. Decis. p. 79. & 82. *b*) *Idem* I. 3. *c*) v. L. 51. *ad L. Aquil.* L. 20. *de R. C.* L. 13. *de lib. & postum.* *d*) *Merillius* l. c. 3. & 5.

§. XXXVII.

Sicuti autem sectam Capitonis *Massurius Sabinus a*), Labeonis vero *Proculus* propagauit, ita primum de scholae Sabinianae auctore eiusque successoribus nobis erit agendum.

a) Vtrum Massurius, an Masurius scribendum sit? vid. *Euer. Otto* in praef. T. I. Thesauri Iur. Ciu. praem.

§. XXXVIII.

Massurius Sabinius, a quo Sabiniani *a*) nomen habent suum, quique primus responsa sua, non vti ante viva voce, sed in scriptis dedit, sub Tiberio floruit, variosque iuris ciuilis libros, & inter hos commentarios ad Edictum Praetoris, ex quibus quintum *Paullus* ICtus allegauit *b*), reliquit. *C. Cassius Longinus* Sabini discipulus fidelisque ac tenax eius dogmatum seruator fuit *c*), vnde nihil frequentius in iure nostro, quam *Sabinum* & *Cassium* ita sentire, & sicuti a suo nomine Scholam Sabinianam aptire, & sicuti a suo nomine Scholam Sabinianam appellari voluit Cassianam, ita etiam Cassianae scholae princeps ac parens vocatur *d*), discipulique eius Cassiani *e*) ab eo sunt dicti.

a) v. L. 11. D. *de donat. inter V. & V.* & L. 11. *de A. R. D.* *b*) in L. *suo victu de oper. libert.* de eius libris *Memorialium* vid. *Gellius* IV. 20. & *Gronovius* in not. *c*) v. L. 19. ff. *de recept. qui arbitr.* & *Freberus* II. Parerg. 15. *d*) v. *Plinius* L. VII. epist. 24. *e*) v. L. 35. ff. *de mort. caus. donat.* & L. 18. ff. *de furt.* De Massurio

furio Sabino *Dan. Guilielm. Mollerus* in peculiari diss. Altorfi 1693. habita, de Cassio Longino vero *Ioann. Strauchius* in vita eius inter programm. p. 30. & *Norisius* in Cenot. Pisan. Diss. II. p. 332. conferri merentur.

§. XXXIX.

Cassium excepit *Cælius Sabinus* tempore Vespasiani clarus, quique Sabinianorum iterum induxisse nomen creditur; huius successor fuit *Iauolenus Priscus*, qui post tempora Vespasiani floruit, cuiusque indolem & conditionem prolixe *Plinius a)* nobis describit; *Aburnius Valens*, quem in consilio Antonini Pii fuisse, *Capitolinus b)* refert.

a) L. VI. epist. 15. ubi illum dubiæ fuisse sanitatis, scribit. b) in vita Antonini.

§. XL.

Nominatur a Pomponio *a)* inter ICtos etiam *Tuscianus*, quem tanquam hominem ignotum choro ICtorum expellunt, & alium in eius locum substituunt, ita Bertrandus *b) Tuscium Fuluianum* adoptauit, Antonius Augustinus *c)* & Menagius *d) Mæcianum* pro Tusciano substituerunt, *Grotius e)* contra de adoptando *Viuiano* deliberauit, sed cum *Tusciani* nomen etiam alibi *f)* occurrat, horum virorum opiniones recte a *Bynckershoeckio g)* reiiciuntur.

a) §. 47. b) de Iurispr. II. 54. c) in not. ad librum de Nomin. propriis Pandect. p. 24. d) in amœnit. iur. ciu. c. 5. in eadem opinione est *Ioann. Strauch.* in Mæciano inter programm. p. 46. e) L. II. c. 11. f) in L. 18. C. *mand.* g) in prætermiss. ad Pomponium.

§. XLI.

Iauoleni discipulus fuit *Saluius Iulianus*, de quo capite sequenti plura dicemus; præterea inter Sabinianos etiam *Sextus Cæcilius Africanus a), Terentius Cle-*

Clemens, *Minucius Natalis*, *Lucius Volusius Mæcianus b)* & *Vinidius Verus* referuntur, de quibus *Rutilius*, *Bertrandus* & *Grotius* conferri possunt.

a) v. *Gellius* XX. 1. *Menagius* c. 23. & *Strauchii* Africanus pag. 55. *b)* cuius de asse & eius partibus libellus, a *Vineto* Parisiis 1565. 8. editus, a *Cuiacio* Codici Theodosiano, & à *Gronouio* libro de Sestertiis adiectus, nec non à *Græuio* cum Vineti & Gronouii notis Tom. XI. Thesaur. Antiq. Rom. insertus. superest. vid *Strauch.* in Mæciano p. 46. *Menagius* cap. 5. *Bynckershoeck.* ad L. ἀξιώσει *de Iactu* & *Euer. Otto* in præf. T. I. Thes. Iur. Ciu.

§. XLII.

Venimus nunc ad Labeonis sectatores, inter quos primus *M. Cocceius Nerua*, sub Tiberio *a)* clarus, eminet; excepit Neruam *Sempronius Proculus b)*, qui Proculianæ Sectæ nomen dedit, ex cuius scriptis soli epistolarum libri octo in indice Digestorum memorantur.

a) Tiberio familiarissimum fuisse *Pomponius* §. fin. & *Tacitus* L. IV. Ann. c. 58. & L. VI. c. 26. testantur, vnde *Perrenonius* II Var. 24. fallitur, qui ad Cæsaris ætatem ascendit. *b)* De hoc *Proculo* aliisque eiusdem nominis v. P. *Burman.* in not. ad Petron. p. 169. & *Euer. Otto* in præf. cit.

§. XLIII.

Eodem tempore floruit *Cocceius Nerua* filius, qui annos septendecim natus de iure responsitasse, ab Vlpiano *a)* narratur; cuique Vlpianus multum tribuisse videtur *b)*; Nec non *Longinus* a Cassio Longino longe diuersus *c)*.

a) in L. 1. §. 3. *de postul. Menagius* in Amœnit. Iur. c. 2. *b)* v. L. 13 §. 7. *de vsufr.* & L. 3. §. 8. *de pecul.* *c)* v. *Pomponius* §. 47.

§. XLIV.

Proculo cum Nerua & Longino successit *Pegasus a)*, qui tanta Sectæ Proculianæ dogmata prosecutus

cutus est fama, vt, qui eum secuti, Pegasiani dicti fuerint; Pegasum *Iuventius Celsus* pater & filius, Proculianæ scholæ strenui sectatores *b*), exceperunt.

a) Pegasiani SCti cum Pusione Cos. auctor. cuius etiam *Iuuenalis* Sat. 4. v. 77. meminit. v. *Straucbii* Pegasus inter progr. p. 75. *b*) dissensionem patris & filii *Vlpianus* in L. 3. §. 7. *de condict. caus. dat.* notauit. v. *Strauchii* Celsi p. 12. *Iac. Curtius* II. Coniect. 22. *B. Brissonius* III. Sel. antiq. 7. *Nerius* II. Annal. 6. *Pitiscus* in Lexico v. B. pro F. *Euer. Otto* in cit. præf. & *Franc. de Roy* ad L. 51. D. *de A. R. D.* vbi Celsum ICtum ab A. Cornelio Celso Medico diuersum esse, monstrat. add. Cl. *Heineccii* Orat. de P. Iuventio Celso a. 1727. recit.

§. XLV.

Agmen huius scholæ apud Pomponium claudit *Neratius Priscus a*), qui sub Traiano & Hadriano floruit, sed hisce alii *Attilicinum*, *Titum Aristonem* a Plinio *b*) laudatum, *Vlpium Marcellum* D. Pii coætaneum *c*), *Vrseium Ferocem d*) & *Iunium Mauricianum e*) recte addunt.

a) De *Neratii* libr. Membranorum v. *Colerus* Parerg. c. 23. huius frater *Marcellus* in L. 43. de *fundo instr.* dicitur, qui cum Vlpio Marcello non est confundendus. *b*) Lib. I. epist. 23. *c*) vid. de ætate, secta *Vlpii Marcelli* de libris Digestorum eiusdem, & notis Vlpiani ad Marcellum *Edmundus Merillius* L. VII. Obs. c. 18. & *Iac. Curtius* I. Coniect. 38. Hic *Vlpius Marcellus* notas ad Iulianum scripserat, eumque, quacumque poterat ratione, reprehenderat; verum, quod *Iulianus* passus fuit a *Marcello*, id *Marcellus* ab *Vlpiano* passus est; hic enim, vt *Iulianum* vlcisceretur, notas ad *Marcellum* scripsit. v. *Merillius* l. c. *Panzirollus* II. Var. lect. c. 131. & *P. Perrenonius* II. Var. lect. c. 23. *d*) Quis ille *Ferox* fuerit & qua ætate vixerit? v. idem l. c. *e*) vid. idem *Perren.* l. c.

§. XLVI.

Vestigia dissensionum, inter diuersas scholas agitatarum, in corpore iuris nostri occurrunt quam-

 pluri-

plurima, quæ a *Christophoro Othone Boecklenio a)* *Edmundo Merillio b)* & *Gothofredo Mascouio c)* recensentur.

a) de diuers. fam. vet. ICtorum c. 8. b) in Obseru. libris. c) Sectis Sabin. & Proculian. cap. 8.

§. XLVII.

Cum itaque quælibet secta suos auctores habuerit, non immerito quæritur, quænam magis secta præualuerit, Sabinianorumne, an Proculianorum; Et quidem vbi diuersæ fuerunt sectarum sententiæ, ad principem relationes factas esse, eamque sententiam magis probatam, quam princeps confirmasset, recte *Edmundus Merillius a)* existimat.

a) L. I. Obseruat. cap. 5. & L. VII. c. 11. Ita Proculeianorum Sententia aduersus Sabinianos probata fuit, quod eam principes admisissent. v. §. 2. l. *de empt. & vendit.* L. pen. C. *de rer. permut.*

§. XLVIII.

Hinc accidit, vt pleræque diversarum scholarum controuersiæ sub Imperatoribus *Seuero* & *Antonino*, qui præstantissimos in consilio habebant ICtos, & sub quibus calor iste sectarum refrixerat, rescriptis illorum decisæ fuerint, quo *Tertullianus*, cum ait *a)* *Nonne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem, & squallentem silvam legum, nouis principalium rescriptorum, & edictorum securibus truncatis, & cæditis!* Edmundo Merillio *b)* respexisse videtur.

a) in apologet. cap. 4. b) v. L. I. Obs. c. 5. Quod si itaque rescriptis principum aliquid decisum esset, hisce ICti vtebantur formulis: *Non ambigitur. Nemo ambigit hodie.* v. *Merillius* VII. 18. & Prolusio nostra, de ICtis Erciscundis §. 27.

§. XLIX.

Reliqui ICti, qui sub *Antonino Pio*, *Diuis fratribus*, & subsequentibus Imperatoribus floruerunt, media

dia via inceſſerunt & in conciliandis aliorum ſententiis laborarunt, vnde etiam *erciſcundi* & *miſcelliones* ſunt vocati, de quibus *Stephanus Morinus a) Edmundus Merillius b)* & *Euerard Otto c)* egerunt.

a) in Diſſertationibus, quibus multa antiquitatis monumenta illuſtrantur p. 105. b) L. I. Obſeruat. c. 6. & Lib. VIII. c. 1. c) in Papiniano p. 297. & in orat. de philoſophia ICtorum Stoica.

§. L.

Diuerſa autem ratione hos ICtos *erciſcundos* ſiue *miſcelliones* extitiſſe, & I, vel mediam inter diuerſas ſectas viam elegiſſe, vel II, ex diuerſis ſententiis vnam conflaſſe, vel III, vtramque, licet diuerſam, probaſſe, vel IV, partim hanc, partim illam elegisſe, vel V, neutram ſine diſtinctione admiſiſſe, vel denique VI, alterutram ſectarum ſententiam Imperatorum reſcriptis confirmaſſe, in Proluſione noſtra, *De ICtis erciſcundis* & *Miſcellionibus, quorum fragmenta in Digeſtis ſuperſunt*, ex profeſſo commonſtravimus a).

a) Ienæ 1728. 4. add. *Gotfridi Maſcouii de Sectis Sabinianorum* & *Proculianorum in Iure Ciuili*, Diatriba, inſerta eſt diſquiſitio, *de Herciſcundis* Lipſiæ 1728. 8.

§. LI.

Media itaque via *S. Pomponius, T. Gaius, Tertullianus, Cerbidius Scæuola, Marcianus Venuleius Saturninus, Æmilius Papinianus, Claudius Tryphoninus, Iulius Paullus, Domitius Vlpianus, Æmilius Macer* & *Herennius Modeſtinus* inceſſerunt.

§. LII.

Ad *S. Pomponium* itaque quod attinet, eum inter Papiniani diſcipulos & Alexandri Seueri familiares *Riuallius, Rutilius, Cocceius, Bertrandus, Lambecius* & alii, moti auctoritate *Lampridii a)*, collocant, ſed cum veteres Codices neque Pomponii neque

que aliorum, in vulgatis editionibus memoratorum, faciant mentionem, merito illorum opinionem reiicimus, eumque ſub Antoninis vixiſſe, firmiter nobis perſuademus.

a) vid. L. 14. D. *de pollicit.* & *Bernhardi Henrici Reinoldi* oratio de S. Pomponio Herbornæ 1710. recitata; huius ICti leges, quæ ex libro ad Sabinum in Digeſtis reliquæ ſunt, *Henricus Theodorus Pagenſtecher* collegit, ſecundum argumenti ordinem diſpoſuit & explicuit Lemgou. 1725.

§. LIII.

Titus Gaius diui Pii temporibus floruit *a*), & plures libros *b*) ſcripſit, ex quibus duo Inſtitutionum libri, olim in deliciis habiti, & in ſcholis præcipue ſtudioſis expoſiti *c*), a Wiſigothis vero deformati, ſuperſunt *d*), quos poſt *Almarici Bouchardi*, *Ioannis Sichardi*, *Iacobi Cuiacii*, *Hieronymi Alexandri*, & *Iacobi Oiſelii* operas *Antonius Schultingius* Iurisprudentiæ Anteiuſtinianæ *e*) inſeruit, notisque ſuis locupletauit.

a) v. L. 7. D. *de reb. dub. Anton. Auguſtinus* L. I. Emendat. c. 5. & in not. ad librum de propriis Nomin. Pandect. p. 7. & *Ægidius Menagius* in amœnit. iur. ciu. cap. 43. b) ex quibus etiam libri aureorum ſeu rerum quotidianarum ab Imperatore Iuſtiniano in procem. Inſtit. memorantur v. *Colerus* Parerg. c. 23. & Clariſſ. *Wieling* in Iurispr. reſtit. P. I. p. 74. ad quorum imitationem *Radulphus Fornerius* ICtus Gallus Rerum quotidianarum libros conſcripſit. c) v. Conſtit. Omnem §. 1. *de Concept. Digeſt.* Licet alii Inſtitutiones Cajanas, quas habemus, non eſſe opus Caji, exiſtimare velint. *Riccius* in Vindic. Iur. T. 11. Theſ. Iur. Ciu. p. 765. e) ab eo anno 1717. 4. Lugdun. Bat. editæ.

§. LIV.

Tertullianus ICtus, cuius Imperator Iuſtinianus in L. vlt. C. *de curatore furioſi* facit mentionem, a Seueri & Antonini temporibus ad Alexandri Seueri imperium vixit, quatuorque *a*) quæſtionum libros, & ſingularem de caſtrenſi peculio compoſuit, quem a

Q. *Sep-*

Q. Septimio Florente Tertulliano Scriptore Ecclesiastico diversum esse contra *Bernardinum Rutilium*, *Ioannem Ficbardum*, *Antonium Augustinum*, *Radulphum Fornerium* & *Guilielmum Grotium* recte *Pammelius b*) *Philippus Priorius c*) *Alysius*, & *d*) *Ægidius Menagius e*) asseruerunt.

a) Octo libros habet *Rad Fornerius* VI. Rer. Quotid. 5. v. Cl. *Wielingii* P. I. Iurispr restit. p. 92. *b*) in diss. de vita, opinionibus & erroribus Tertulliani. *c*) in diss de vita & scriptis Tertulliani. *d*) in diss. de vita & scriptis Tertulliani. *e*) in amœnit. iur. ciu. c. 12. add *Merillius* IV. 27. *Henr. Habnius* in Orat. de vsu chronologiæ in iure §. 43. & sequ. nec non. *Euer. Otto* in præf. T. I. Thes. Iur. Ciu. præmissa.

§. LV.

Cerbidius Scæuola, cuius magnum ingenium Tryphoninus *a*) laudat, sub Marco & Commodo floruit, & Seueri ac Papiniani præceptor *b*), a *Quinto* tamen *Mucio* & gente Mucia, cum qua præter iuris cognitionem & cognomen nihil commune habuit, plane diuersus fuit *c*). Nulli sectæ noster *Scæuola* totum se addixit quasi ercifcundus, licet in Sabini sententias magis pronus fuerit *d*).

a) in L 209. D. *de condit. & demonstrat.* *b*) v. *Spartianus* in vita Caracallæ c. 8. & *Lamprid.* in Seuero, nec non *Euer Otto* in Papiniano cap. 11. in hunc Scæuolam *G. Noodt.* II. Probab. 2. insurgit, eumque in L. 14 D. *de transact* non respondisse ex animi sui sententia, sed vt amico rem gratam acceptamque faceret, putat, notatus exinde a *Wächtlero* in not. ad Probab. I. c. *Duirsema* I. Conject. 2 §. 3. & Cl. *Leysero* in diss. de Logomachiis ICtorum §. 33. *c*) vnde errat *Iacobus Cuiacius*, qui ad L 10. § 2. *de vsurpat. & vsuc* eum Muciorum gentilem fuisse dicit, errant etiam *Feltman.* ad Pand. p. 77. & alii nostrum Scæuolam cum Q. Mucio confundentes. *d*) v. L. 93 §. f. *de solut. & liber.* L. 39. §. 1 D. *de Neg. gest.* De eius libris Digestorum & Quæstionum v. *Perrenonius* I. Animadu. 22.

§. LVI.

§. LVI.

Non immerito etiam ercifcundis ICtis, qui nulli fectæ addicti fuerunt, *Ælium Marcianum a*) & *Venuleium Saturninum* annumeramus, quorum ille, alias ob nimium Papiniano contradicendi ftudium *b*) clarus, mediæ fententiæ in quæftione L. pen. C. *de adoption.* fuit, Papinianumque & Paullum in diuerfa euntes, adhibita diftinctione, conciliare conatus eft.

a) Diuerfum ab *Ælio* fiue *Aurelio Marciano* Proconfule Bæticæ, ad quem refcriptum D. Pii in §. 2. I. & L. 2. D. *De his, qui funt fui vel al. iur.* extat. quomodo enim is, qui ad Papinianum notas fcripfit, tempore Antonini Pii viuere potuit? quod contra *Bertrandum*, *Gratium* omnesque fere biographos notandum erit. vid. Prolufio noftra: De *ICtis Ercifcundis* §. XI. not. e. De eius Inftitutionum libris v. *Iac. Gothofredus* de Cenotaphio Tom. III. Thef. Iur. Ciu. p. 331. De antinomio vero inter eum & *Vlpianum* ratione cenotaphii vid. eund. p. 342. *Pagan. Gaudentium* L. 1. Expof. Iurid. c. 16. & Ampl. *Bynckershoeckius* Lib. I. Obf. c. 5. *b*) hinc etiam *Marciani* notas ad Papiniani libros de adulteriis non tam interpretationis quam reprehenfionis caufa adornatas effe *Francifcus Raguellus* ad L. 1. C. *de vet. iur. enucl.* profitetur.

§. LVII.

Eodem modo *Venuleius Saturninus*, qui fub Diuis Fratribus & Diuo Pio vixit, non certæ alicuius fectæ, fed ex mifcellionibus illis ICtis fuiffe videtur, modo enim Sabini *a*) Caffii & Iuliani *b*) auctoritate nititur, modo cum Proculo *c*) confentit, modo aduerfus Proculum *d*) difputat, de quo ICto eiusque fecta *Edmundus Merillius e*) ex profeffo tractauit.

a) in L. 93. *de folut. & lib.* *b*) in L. 14. *de fideic. & mandat.* *c*) in L. 138. *de V. O.* *d*) in L. 93. *de folut & lib.* *e*) L. VIII. Obferuat. cap. 1. v. tamen Cl. *Wieling.* in not. ad Indicem ICtorum p. 93. Alios Venuleios *Fabrettus* in Infcript. p. 47. & 48. collegit.

§. LVIII.

Peruenimus nunc ad *Æmilium Papinianum* doctrina

na ac honoribus celeberrimum ICtum, & sub Seuero, Antonino & Geta clarum, qui tanta eruditione pariter ac auctoritate polluit, vt octo eius libri responsorum iuris cultoribus, seculo adhuc Iustinianeo, tertio anno explicarentur, & hi Papinianistæ *a*) inde nominarentur.

a) v. Constit. Omnem §. 1. *de Concept. Digestor.* & *Merillius* VI. 3.

§. LIX.

Præter excerpta, quæ in Digestis reperiuntur, nihil de scriptis eius ad nostra tempora peruenit, nisi fragmentum quoddam ex Lib. I. *Responsorum* sub titulo de pactis inter virum & vxorem, quod *Iacobus Cuiacius* Papiano Burgundioni cuidam adscribit, sed *Ioannes Sichardus*, & *Antonius Schultingius a*) Papiniano nostro recte vindicant.

a) qui illud Iurisprud. Anteiustin. p. 810. inseruit.

§. LX.

Non fucatam *Papiniani* philosophiam Beatus *Sleuogtius* noster *a*) celebrauit, vitam vero consummatissimi huius ICti *Matthæus Wesenbecius*, *Christophorus Besoldus*, *Iosephus de Rusticis*, *Iacobus Lectius*, *Ioannes Strauchius*, &, qui omnibus palmam præripuit, doctissimus *Euerard Otto b*) delinearunt.

a) in prolusione lectionibus moralibus a. 1711. præmissa. *b*) in Papiniano seu de vita, studiis, scriptis, moribus, & morte Æmilii Papiniani Lugd. Batau. 1718. in 8. edito.

§. LXI.

Nec silentio prætereundus est *Tryphoninus* Papiniani condiscipulus *a*) eiusque in Præfectura Prætoria assessor *b*), qui XXVI. libros disputationum reliquit, quorum fragmenta, in Digestis dispersa, collegit doctissimoque commentario *Antonius Dadinus Alteserra* ICtus Gallus illustrauit *c*).

a) vnde etiam Tryphoninus Scæuolam aliquoties suum ap-

appellat, v. L. pen. *de castr. pec.* L. 12. *de distract. pign.* *b*) cum Papiniano in Seueri & Antonini consilio eum fuisse in L. vlt. D. *de iure fisci* legitur, & de hoc Papiniani auditorio etiam L. 78 § 4. *de iur. dot.* est intelligenda. *c*) Tolosæ a. 1679. 4.

§. LXII.

Eodem tempore *Iulius Paullus* & *Domitius Vlpianus*, Papiniani æmuli *a*) floruerunt; quorum ille doctrina & scriptis *b*) ita clarus extitit, vt ceteros ICtos diligentia & librorum numero, vti ex Indice Pandectis præfixo constat, superauerit.

a) Vnde etiam notas ad Papinianum reprehendendi animo scripserunt, quas *Theodosius* & *Valentinianus* in L. un. C. Theod. *de respons. prud.* sustulerunt, *Iustinianus* vero in Constit. *de Concept. Digest.* §. *sed neque* & in L. 1. §. 6. C. *de V. I. E.* restituit, v. *Freherus* I. Parerg. 13. & 24. & *Euer. Otto* in Papin. c. 13. §. 7. *b*) de tribus Paulli manualium nec non decretorum libris vid. *Edmundus Merillius* differ. iur, cap. 1. & Lib. II. Obs. c. 26.

§. LXIII.

Licet autem *Paullus* omnium ICtorum πολυγραφώτατος fuerit, scripta tamen eius ad nostram non peruenerunt ætatem, nisi excerpta quædam ex quinque sententiarum receptarum libris, quos ad filium conscripsit, quæ post *Ioannem Tilium*, *Ioannem Sichardum*, *Almericum Bouchardum*, *Iacobum Cuiacium*, & *Conradum Rittershusium*, *Antonius Schultingius* edidit, notisque suis illustrauit *a*).

a) In Iurisprudentia Anteiustin. p. 187.

§. LXIV.

Ad mores *Paulli* nostri quod attinet, adeo carpendi studio abreptus fuit, vt non solum grauissimos ICtos, nimirum Labeonem *a*), Q. Mucium Scæuolam *b*), Papinianum *c*), Vitellium *d*) reprehenderit, sed etiam Principum ipsorum decreta sæpius improbauerit *e*).

a) ita

a) ita falsum eum in L. fin. D. *si seruit vind.* esse dicit. *b*) cuius sententiam ineptissimam, in L. 3. §. 13. *de A. vel A. P.* vocat. *c*) cui non raro ex æmulatione & inuidia contradicit. *d*) in quem notas & animaduersiones scripsit. *e*) vid. *Francisc. Balduinus* in Scæuolis pag. 298. & *Euerard. Otto* in Papin. p. 295.

§. LXV.

Ceterum *Paulli* nostri scribendi genus ita obscurum ac implicatum fuit, vt Paullinum scribendi genus, id est obscurum, implicatum, ambiguum, ac tortuosum, in prouerbium abierit *a*).

a) hinc recte *Ioan. Bertrandus* de illo in vita eius iudicat: *Ea autem*, ait, *vniuersa leges, ita obscuræ, ambiguæ verborumque tenebris inuolutæ sunt, vt id, quod de Chrysippo Cicero de diuinatione scripsit, de Paullo dicere verissime possimus, eum totum hoc volumen impleuisse oraculis flexiloquis, & obscuris, vt interpres egeat interprete, & sors ipsa referenda sit ad sortes.* eiusdem obscuritatem etiam *Raphael Fulgosus* ad L. 17. *de inoffic. testam. Gilbertus Regius* II. Enantioph. 14. & *Franc. Duarenus* in comment. ad L. 132. *de V. Oblig.* notant. conf. *Pagenstecher* in libro: Gryphorum magister Paullus iniuria vapulans, siue de stilo Paulli &c. Wetzlar. 1724. 4. edito.

§. LXVI.

De patria Paulli *Ioannes Bertrandus a*), *Ioannes Strauchius b*) & *Laurentius Pignorius c*) conferri merentur; vitam autem eius præter biographos *Nicolaus Rittershusius d*) & citatus *Strauchius e*) delinearunt.

a) de Iurisper. Lib. I. c. 25. *b*) in programm. p. 90. *c*) Symbol. epist. Lib. I. epist. 41. vbi Bertrandi argumenta refellere, *Paullumque* Romanum fuisse ostendere conatus est, integram epistolam inuenies apud *Franckium* ad Bertrandum pag. 126. *d*) a. 1566. *e*) loc. cit.

§. LXVII.

§. LXVII.

Pariter *Domitius Vlpianus* Paulli æqualis & Papiniani æmulus, natione Tyrius *a*), id, vt quasi erciscundus vtramque sectam mediis sententiis conciliaret, vel vt alterutram sectarum sententiam Imperatorum rescriptis confirmaret, laborauit; ita inter Labeonem & Sabinum diuersæ sectæ homines *Vlpianus* in L. 15. §. 32. *de damno infect.* medius fuit.

a) v. L. 1. π. *de Censf.* conf. *Iacobi Lectii* orationes de Vlpiano Geneuæ 1601. recitat. & *M. Adrian Stegeri* differt. de Vlpiano Lipf. 1726. hab. Non tamen hic ICtus cum Vlpiano Sophista, vt *Cuiacius* XXIV. Obf. c. 32. fecit, confundi debet, v. *Euer. Otto* in notis ad Orat. De vera non simulata ICtor. philos. p. m. 277.

§. LXVIII.

Sicuti autem *Vlpianus* varia eruditione erat clarus *a*), ita multis iurisprudentiam Romanam scriptis illustrauit, ex quibus Tituli XXIX. ex libro eius regularum singulari excerpti, hodie supersunt, quos *Ioannes Tilius*, *Ioannes Sichardus*, *Emarus Ranconetus* ediderunt, *Ludouicus* vero *Charondas*, *Iacobus Cuiacius*, *Petrus Pithoeus* & denique *Antonius Schultingius b*) notis condecorarunt.

a) egregia inprimis docendi & differendi facultate *Vlpianus*, quam in libris ad edictum præcipue ostendit, pollebat. v. *Car. Molinæus* in Tract. Commerc. n. 775. *b*) qui hoc Vlpiani fragmentum Iurispr. Anteiustin. p. 539. inseruit.

§. LXIX.

Ad horum ICtorum classem etiam *Æmilium Macrum*, qui sub Alexandro Seuero floruit *a*) variisque scriptis clarus fuit, inter quæ libri duo publicorum siue de publicis iudiciis *b*) eminent, merito referimus.

a) v. L. 1. *si pend. appellat.* L. 31. C. *de Calumniat.* & Euer.

Euer. Otto in præf. T. I. Thef. Iur. Ciu. præm. *b*) Leges ex hifce libris in Digeftis difperfas *Iacobus Lectius* collegit, & commentario Lugd. 1597. 8. illuftrauit.

§. LXX.

Agmen ICtorum claudit *Herennius Modeftinus* Vlpiani difcipulus *a*), (cuius libri περὶ εὑρηματικῶν dicti fragmenta, a *Ioanne Schiltero b*)& *Henrico Brenckmanno c*) edita, & doctiffimis commentariis illuftrata, nec non aliud fragmentum *d*) ex libro regularum tertio, de bonis libertorum & teftamentis, fuperfunt,) cœperuntque poft eum quafi obmutefcere ICtorum oracula *e*),& caufæ controuerfæ magis auctoritate Cæfarum, quam refponfis prudentum fuerunt diremtæ *f*).

a) Hinc Vlpianus in L. 32. §. 20. D. *de furt. Modeftinum* ftudiofum fuum vocat. de *Modeftino* notabilis apud *Fabrettum* p. 278. extat infcriptio. *b*) Argentorat. 1687. in 4to. *c*) Lugd. Batau. 1711. 8. *d*) quod *Antonius Schulting* Iurisprud. Anteiuft. p. 801. inferuit. *e*) de mifero iurisprudentiæ poft *Modeftinum* ftatu legatur *Mamertinus* in grat. action. pro Confulat. ad Iulianum & *Amm. Marcellinus* Lib. XXX. *f*) v. L. 1. f. C. *de Legibus*.

§. LXXI.

Theodofius itaque & *Valentinianus*, vt pro his tenebris lumen accenderent prifcis ICtis, & fimul iuris incertitudinem tollerent, quorundam tantum ICtorum, nimirum *Papiniani*, *Paulli*, *Vlpiani*, *Iuliani*, & *Modeftini* libros receperunt, vtque vim legis obtinerent, in L. vn. C. Theod. *de refp. prud.* ftatuerunt, quam conftitutionem *Tribonianus* in Codice fuo nobis inuidit *a*).

a) Imo *Iuftinianus* illam in L. 1. §. 6. *de V. I. E.* plane fuftulit, veterumque ICtorum auctoritatem iterum exæquauit. v. *Bynckershoeckius* ad L. 40. *de Reb. C.* c. 2.

§. LXXII.

Tandem Imperator *Iustinianus* omni interpretandi facultate interdixit ICtis, vtque non prolixos commentarios, sed paratitla *a*) tantum conscriberent, statuit *b*).

a) quid sint paratitla *Aegid. Menag.* in amoen. iur. ciu. c. 15. nec non Clar. *Brenckmannus* in Diss. de legum inscript. exponunt. *b*) in L. vlt. C. *de Legib.* & §. 2. Constit. *de concept. Digest.*

§. LXXIII.

Caue tamen, nullos post Modestinum extitisse ICtos, credas; fuere enim quamplurimi in tribus scholis Romana, Constantinopolitana & Berytensi celebres *a*), non tamen illorum responsa vim & auctoritatem iuris obtinebant, sed solo docendi fungebantur munere, vnde Iuris Doctores & Professores *b*) nec non Antecessores *c*) vocabantur.

a) ita sub Constantino M. eiusque liberis *Gregorius, Hermogenes, Aurelius Arcadius Charisius* & *Iulius Aquila* clari ICti extitere; nec minus Theodosius & Valentin. Imperatores duos ICtos, qui iuris ac legum formulas panderent, in Constantinopolitana academia instituerunt v. L. vn. C. *de stud. liberal. vrb. Rom. & Constantinop.* conf. *Hermanni Conring.* comment. ad illam legem. *Ioan. Strauchii* dissert. de Beryto, & *Iacobi Hasaei* diss. de Beryto Halae 1716. 8. edita. *b*) in L. vn. C. cit. *c*) cur hi ICti Antecessores fuerint dicti? vid. apud *Triuorium* in diss. apolog. c. 32. & *Colerum* Parerg. c. 22.

§. LXXIV.

Excellentissima ceterum ICtorum Romanorum fuere ingenia, Latinae & Graecae linguae, philosophiae, omniumque rerum peritia imbuta. Si enim Titulos Digestorum *de legatis*, *de aedilitio Edicto*, *de seruitutibus*, aliosque quamplurimos percurramus, omnem rem medicam, institoriam, rusticam, fabrilem, vestiariam, nummariam, nauticam & vnguentariam eos calluisse deprehendemus *a*).

a) Hinc etiam ICti Romani propter summam omnium rerum scientiam nec non singulares, quibus pollebant, virtutes. *Burgius* Elect. cap. 1. & *Chifletius* diss. Apolog.

log. c. 3. in summo semper honore fuerunt. *Merillius* L. IIX. obs. c. 39.

§. LXXV.

Quæ cum ita sint, fragmenta horum ICtorum accurate sunt perlustranda, &, dum illa perlustramus, merito de illis dicere possumus, quod anus de amphora apud *Phædrum a)* dixit:

O suauis anima, quale in te dicam bonum
Antehac fuisse, tales cum sunt reliquiæ!

a) Lib. I. Fab. 3. vid. *Francisci* de *Roye* diss. ad L. Transfugam si. D. de A. R. D. T. 11. Thes. Iur. Ciu. p. 722

§. LXXVI.

An vero etiam fuerint Theologi ICti nostri? quod *Cornelius van Eck* antecessor Vltraiectinus in oratione *a)*: *de religione & pietate veterum ICtorum,* nobis persuadere voluit, aliis diiudicandum relinquimus.

a) a. 1717. recitata.

§. LXXVII.

Vitas horum ICtorum *Bernardus Rutilius a) Ioannes Bertrandus b), Guilielmus Grotius c), Aymarus Riuallius d), Franciscus Hottomannus e), Valentinus Forsterus f), Nicolaus Henelius g), Ioannes Strauchius h)* & *Petrus Taisand i)* delinearunt.

a) in vitis vet. ICtor. Romæ 1536. & Argent. 1538. 8. edit. *b)* in libris duobus de Iurisperitis Tholosæ 1617, & 22. editis & Lugd. Batau. 1675. 8. recusis. *c)* in vitis ICtorum, quorum in Pandectis extant nomina, a *Iac. Grotio* filio Lugd. Bat. 1690. 4. edit. qui tres biographi coniunctim Halæ 1718. 4. cura *Ioan. Christoph. Franckii* prodierunt. *d)* Lib. V. hist. iur. *e)* in tract. de ICtorum vitis, qui in Pomponio memorantur, qui cum aliis eius opusculis & Brissonii lexico iur. Francof. 1587. f. prodiit. *f)* L. II. hist. iur. *g)* in commentario de veter. ICtis, e quorum Legibus iustitiæ Romanæ templum exædificatum est Lips. 1641. & 54. in 8. *h)* in programm. Ienæ 1723. coniunctim edit. conf. *Ioan. Gottlieb Olearii* diss. Regiomont. de Biographis antiquorum ICtorum. *i)* Les Vies des plus celebres Iurisconsultes de toutes les

Nations Parif. 1721. 4. v. Iournal des Sauans menſ. Ian. 1722.

CAP. XI.

DE STATV LEGVM ROMANARVM SVB HADRIANO ET DE EDICTO PERPETVO.

§. I.

QVod Prætores poteſtate ſua abuſi fuerint, ac omnia ad gratiam & odium retulerint, quodue eam ob cauſam primum *SCto*, deinde *Lege Cornelia* eorum nequitia fuerit coërcita, ſancitumque, vt edicta eorum perpetua forent, capite octauo dictum fuit *a*).

a) v. *Stephan. Landus* Enarrat. cap. 4.

§. II.

Quia autem Prætorum edicta in immenſum creuerant, *Hadrianus* Imperator, qui plurima circa Leges nouauit, adeo quidem, vt Legibus rempublicam apud *Latinum Pacatum a*) imbuiſſe dicatur, ne diſperſa amplius iacerent, aut prorſus interirent, *Saluio Iuliano* ICto colligendi Prætorum edicta, vnoque volumine complectendi negotium dedit *b*), vnde quam maxime *Claudius Salmaſius c*), Prætorem edictum perpetuum compoſuiſſe credens, errat.

a) in Panegyr. ad Theodoſ. cap. 11. conf. *Renati Bottereau* Hadrianus legislator Pictauii 1661. in 8. editus. *b*) v. *Eutropii* epit. hiſt. Rom. Lib. VIII. c. 9. & *Iuſtinianus* in præf. Dig. ad Magnum Sen. §. 18. vnde *Ioann. Chifletius* errat. dum in Diſſert. *De iuris vtriusque architectis* c. V. §. 5. Iulianum priuatim Edictum Perpetuum compoſuiſſe, ſcribit. *c*) de modo vſur. cap. 18.

§. III.

Ante Hadriani tempora *Seruius Sulpitius* libros duos

duos ad edicta compofuerat, eosque *ad Brutum* infcripferat *a*); Nec minus *C. Aulus Ofilius* imperante Augufto Edicta Prætorum colligere cœperat *b*), fed *Sulpicii* libros breuiffimos fuiffe, *Pomponius c*) teftatur, *Ofilii* vero opus publicam obtinuiffe auctoritatem haud legimus.

a) ex quibus fragmentum in L. 5. D. *de inftit. act.* extat. *b*) v. L. 2. §. 44. *de orig. iur.* & L. 1. D. *Ne quis eum, qui in ius vocatus eft* &c. *c*) l. cit. conf. *Menagius* in amoenit. iur. ciu. cap. 24.

§. IV.

Fuit itaque Edicti Perpetui conditor *Saluius Iulianus a*) (natione Afer e Colonia Adrumetina, Sabinianæ *b*) non Proculianæ fectæ, vti quidem *Hugo Donellus c*) credit, addictus) vnde quam maxime *Hugo Grotius d*) errat, qui *Didium Iulianum* Imperatorem Edicti Perpetui auctorem facit, eundemque, qui eft *Saluius Iulianus* ICtus nofter, effe putat.

a) Stemma *Iuliani* noftri indicauit *Reinefius* III. Var. lect. 2. & epift. 59. ad Rupertum, reliquos Iulianos amplius fexaginta Celeb. *Fabricius* Vol. IIX. Bibl. Græcæ p. 98. recenfuit. *b*) L. 37. D. *de manumiff. vindict.* & L. 30. *de lib. caufa.* hinc etiam in L. 11. §. 5 *ad L. Aquil.* non diffimulat, fe a Proculo diffentire. *c*) Lib. V. Commentar. iur. ciu. c. 5. & 20. *d*) in florum fparfione ad Ius Iuftinian. & quidem ad L. 2. *de O. I.* conf. *Ioann. Strauchii* Iulianum inter programm. p. 5.

§. V.

Decepiffe autem videtur *Grotium* locus *Aurelii Victoris* de Cæfaribus *a*), ibi: *At Didius (an Saluius?) Iulianus fretus Prætorianis, quos in focietatem promiffis magnificentioribus perpulerat, ex præfectura Vigilum ad infignia dominatus proceffit. Genus ei pernobile, iurisque vrbani præftans fcientia, quippe, qui primus edictum, quod varie inconditeque a Prætoribus promebatur, in ordinem compofuerit,* verum verba, *an Saluius?*

 e glof-

e glossemate esse, vt & illa, *qui primus Edictum* &c. a sciolo quodam præcedentibus admixta, viri doctissimi *Iaannes Strauchius b)* & *Ezechiel Spanhemius c)* agnouerunt.

a) c. 19. b) in Iuliano. c) in Orbe Roman. cap. 8.

§. VI.

Nec minus, qui *Iulianum* senio vltra octauum & septuagesimum annum prouectum fuisse credunt, errant, nec ad rem L. 20. D. *de fideicomm. libert.* facit, duo enim ibi continentur, Epistola eius, qui Pomponium ICtum consuluit, ab initio textus vsque ad verba: *bellissime Aristo*, & deinde Pomponii responsio vsque ad finem; non itaque Iulianus, sed is, qui ad Pomponium epistolam scribebat, annum septuagesimum octauum agebat *a*).

a) Simile quid in L. 57. pr. D. *ad SCt. Trebellianicum* occurrit, vbi non semper verba priora fideicommissi, à posterioribus ICti, abrupte, vt solet, respondentis, distinguuntur. v. *Euer. Otto* in Papin. pag. 3.

§. VII.

Magna autem *Iulianus* in colligendis & in decorum ordinem redigendis Prætorum edictis vsus est libertate, suumque magis quam aliorum sæpius secutus iudicium, multa edicta reiecit, alia, quæ deesse videbantur, addidit, quædam, quæ prætor nunquam edixerat, immutauit.

§. VIII.

Iulianum multa edicta reiecisse ex *Gellio a*) probatur, vbi edictum occurrit, quod in corpore iuris nostri non reperitur, aliud ex *Gellio b*) edictum de iureiurando Vestalibus & Flamini Diali remittendo *Ioann. Strauchius c*) *& Heineccius d*) allegant, illudque *Iulianum* reiecisse existimant, sed *Gellium* verba huius edicti ab ipso *Iuliano* mutuatum esse, *Strauchium*que accusationem suam in *Tribonianum* potius, qui hoc

hoc edictum omisit, quam in *Iulianum* conuertere debuisse, recte *Laurentius Andreas Hambergerus* e) monuit.

a) Lib. XI. c. 17. b) Lib. X. c. 15. c) in Iuliano. d) in Syntagm. antiquit. Roman. in proœm. §. 14. e) in differt. de Edicto Perpet. c. 7.

§. IX.

Iulianum etiam quædam addidisse Edicto Perpetuo, ex Marcello in L. 3. D. *de coniung. cum emancip. lib.* apparet; quædam denique eum immutasse, argumento est Edictum Prætoris. *Quod vi metusque causa*, a quo detractum est vocabulum *vis*, quia id, quod vi atroci fit, metu quoque fieri videtur a); aliud exemplum *Callistratus* ICtus b) prodit.

a) v. L. 1. D. *quod metus causa.* b) in L. 1. §. 1. D. *de iur. fisci.*

§. X.

Hoc *Edictum Perpetuum* deinceps Romani tanquam nouum iuris ciuilis corpus in oculis tulerunt, magnique semper non solum ICti a), sed etiam Imperatores fecerunt.

a) Inde *Papinianus* perpetui Edicti exemplo in L. 77. §. 29. *de legat.* 2. respondit. vid. tamen *Iosephus Aueranius* L. I. interpret. iur. c. 6. in fin. utrum vero & quousque edicendi facultas post conditum Edictum Perpetuum apud Prætores remanserit. vid. apud *Hermann. Noordkerk.* obs. c. 8.

§. XI.

Ad ICtos enim quod attinet, omnes fere libros & commentarios suos ad Edictum perpetuum, sicut ante ad Leges XII. Tabularum & libros Sabini accommodarunt a), quod satis testantur eorum, *Gaii* præcipue *Vlpiani* & *Paulli* ad Edictum, commentarii, quorumque fragmenta vtramque in Digestis faciunt paginam, & cognoscuntur ex verbis: *Ait Prætor: edixit Prætor.*

a) v. *Liuius* III. 34. & *Gellius* XX. 1.

§. XII.

Eodem modo *Iulianus*, *Celſus*, *Marcellus*, *Scæuola*, Digeſtorum, *Paullus* ſententiarum receptarum, *Papinianus* quæſtionum & reſponſorum libros in partes minores ſeu titulos, pariter ac ipſum Edictum Perpetuum in titulos erat diuiſum, diſtinxerunt.

§. XIII.

Scripſit etiam *Hermogenes* epitomarum iuris libros ſex, quorum in Indice fit mentio, quibus ordinem Edicti perpetui, vti ipſe *a*) fatetur, eſt ſecutus, vnde factum, vt libros hos librorum *Iuliani*, qui Edictum Perpetuum libris ſex ordinaverat, epitomen fuiſſe, nonnulli exiſtimauerint, ſed horum errorem *Iacobus Cuiacius b*) egregie refutauit.

a) in L. 2. D. *de ſtatu homin.* *b*) L. II. Obſ. cap. 27.

§. XIV.

Imperatores autem, qui Edicti perpetui meminerunt, *Gordianus* in L. 2. C. *de in ius vocat.* L. 4. C. *de his, quæ vi metusque* &c. *Valerianus* & *Gallienus* in L. 18. C. *ex quibus cauſis infamia* &c. *Diocletianus* & *Maximinianus* in L. 13. C. *de tranſact.* L. 5. *de appell.* L. 6. *qui admitti ad bon. poſſ.* L. 8. *de iniur.* & L. 7. C. *de incol.* fuerunt.

§. XV.

Præ ceteris Imperator *Iuſtinianus* magnis non ſolum *Iulianum* Edicti perpetui conditorem mactauit elogiis *a*), ſed etiam, vt Digeſtorum corpus ad imitationem Edicti Perpetui conficeretur, iuſſit *b*); in quantum autem hoc a Digeſtorum compilatoribus obſeruatum fuerit, ſuo loco videbimus.

a) in §. 18. præf. D. *ad Magnum Senatum.* §. 18. *ad Senat. & omnes popul.* L. 10. C. *de condict. indeb.* L. 5. C. *de bonis, quæ. lib.* *b*) L. 1. §. 15. C. *de vet. iur. enucl.*

§. XVI.

§. XVI.

Vnde errat *Gerhard Feltman a)*, imperatorem *Seuerum* in animo habuisse, Edictum perpetuum abolere, existimans, nam *Spartiani* locum in vita Seueri *b)* esse mendosum &, pro *Saluio*, *Didium Iulianum* substitui debere, accuratiores iamdudum animaduerterunt.

a) ad §. 47. L. 2. *de O. I.* *b)* c. 17.

§. XVII.

Ad exemplum Edicti Perpetui collectum est sub eodem *Hadriano*, vti *Dodwello a)* placet, vel potius *Antoninorum* imperio, vti *Ezechiel Spanhemius b)* & *Hambergerus c)* monstrarunt, Edictum Prouinciale, cuius memoriam *Gaius* ICtus, libris triginta & duobus ad illud compositis, nobis conseruauit, quorum multas particulas in Pandectis superstites habemus.

a) ad Spartiani Hadrianum. *b)* in Orbe Romano Exerc. 2. c. 12. *c)* cit. diss. cap. vlt.

§. XVIII.

Edictum perpetuum non amplius superest, fragmenta tamen eius non multo post restauratam Gallorum studio Romanam iurisprudentiam *Eguinarius Baro* primus colligere, & dispersa in manualium libris coniungere cœpit, de quo tamen labore, cum nimiam sibi in fingendis Prætorum edictis sumserit licentiam, non bene *Iacobus Gothofredus a)*, *Hambergerus b)* aliique sentiunt.

a) in Manual. iur. p. 46. *b)* in differt. cit. cap. 1.

§. XIX.

Præterea in restituendo Edicto perpetuo, edendisque eius fragmentis *Guilielmus Ranchinus a)*, cuius librum *Ioann. Herman Sminckius* Syntagmati critico variorum auctorum *b)* inseruit, *Florens Petrus Pittenius*, *Obertus Giphanius*, *Iacobus Gothofredus*, *Simon Leeuwenius*, nec non *Gerardus Noodtius*, qui in com-

mentario ad XXVII. priores digestorum libros pristinam Edicto perpetuo reddere cœpit formam, operam collocarunt.

a) Parif. 1597. 8. b) Marpurg. 1717. 4. edito. *Hadriani Pulvæi* vero Commentarius ad Edict. Perpetuum, cuius ad L. 13. C. de *Transact.* spem fecit, lucem non adspexit.

§. XX.

Historiam Edicti Perpetui *Laurentius Andreas Hambergerus* in dissertatione de Edicto perpetuo *a*) & *Hoffmannus b*) recensuerunt, doctissimusque *Euerard Otto* in Historia, quam promisit, Edicti perpetui, narrabit.

a) Ienæ 1714. habita. b) in histor. iur. p. 205. Quibus *Guido Pancirollus* I. Var. lect. c. 34. addi potest.

CAP. XII.

DE CONSTITVTIONIBVS PRINCIPVM.

Sicuti paulatim insurgere, & rempublicam occupare *Augustus* eiusque successores cœperunt, ita iuris condendi potestatem sibi non statim vindicarunt, sed e campo in Curiam eam transtulerunt, postea quam vero seruituti lento progressu assuecuerant Romani, apertius agere, ipsique principes rescribere cœperunt, vnde *constitutiones* sunt ortæ, quæ mox legum vim & auctoritatem obtinuerunt. *a*)

a) vnde Vlpianus in L. 1. §. 1. D. *de Constit. Princip.* ait: *Quodcunque igitur Imperator per epistolam & subscriptionem statuit vel cognoscens decreuit, vel de plano interlocutus est, vel edicto præcepit, legem esse constat; hæc sunt quas vulgo Constitutiones adpellamus:* quæ iisdem verbis Imperator §. 6. I. *de iur. N. G. & C.* repetiit. conf. *Ioann. Strauchii* Diss. de statutis a summo principe siue Constitutionibus Principum.

§. II.

§. II.

Aliam de origine Conſtitutionum imperialium *Pomponius* a) affert rationem, cum ait: *Nouiſſime, ſicut ad pauciores iuris conſtituendi via tranſiſſe ipſis rebus dictantibus, videbatur, per partes euenit, vt neceſſe eſſet Reipublicæ per vnum conſuli* &c. vbi quidam *per partes* intelligunt paullatim lentoque progreſſu, alii per factiones, diſcordias, Seditiones, rurſus alii, vt ampliſſimus *Bynkersboeckius b)* pro *partes* legi volunt *Patres*, quicquid tamen ſit, neque *Rupertus c)*, neque *Ludouicus Charonda d)*, populi Patrumque voluntate & beneplacito tantam principi delatam fuiſſe poteſtatem, nobis perſuadebunt.

a) §. 11. b) in prætermiſſis ad illum §. c) in animadu. ad illum §. d) Lib. I. Pithan. c. 3.

§. III.

Nec minus a veritate hiſtorica aberrare viri ſummi *Iacobus Cuiacius a)* & *Franciſcus Hottomannus b)* mihi videntur, dum hanc Principum Romanorum poteſtatem ex illa Lege Regia, qua Romulo regnum fuit delatum, arceſſunt, legem enim hanc Regiam ab illis SCtis, per quæ ſummi honores Auguſto eiusque ſucceſſoribus in Republica Romana ſunt delati, quam maxime differre, alio loco notauimus.

a) in not. ad §. 6. I. *de iure N. G. & C.* b) in enumerat. Legum Roman.

§. IV.

Primus autem ſeruatum ab Auguſto eiusque ſucceſſoribus modum ſoluiſſe, & conſtitutiones edidiſſe *Hadrianus* videtur, cum nullius principis antiquioris quam huius conſtitutiones tam in Codice Theodoſiano quam Iuſtinianeo occurrant.

§. V.

Plures *Hadriani* epiſtolas, reſcripta & ſententias *Doſitbeus Grammaticus*, qui in Oriente ante Iuſtinianum

num vixit *a*), libro tertio Grammatices collegit, quas *Iacobus Cuiacius* indicauit *b*), post *Melchiorem* vero *Goldastum*, qui notis illas illustrauit, & editionem *Nicolai Catharini*, *Antonius Schultingius* iurisprudentiæ Anteiustinianeæ *c*) inseruit.

a) v. *Reinesii* defensio Var. Lect. p. 90. & *Ioan. Albert. Fabricius* in Biblioth. Græc. Vol. 7. p. 60. & Vol. 12. p. 514. *b*) L. XXI. Obs. c. 5. *c*) pag. 855.

§. VI.

Idem *Dositheus* fragmentum regularum ex veteri ICto (quem quidam *Vlpianum*, alii *Gaium* fuisse existimant,) nobis seruauit, quod *Claudius Puteanus* Senator Parisiensis primus eruit, & *Iacobo Cuiacio a*) communicauit, *Petrus* vero *Pithœus* sub finem collationis Legum Mosaicarum & Romanarum edidit *b*), notisque illustrauit; idem fragmentum post editiones Parisiensem, Geneuensem & Lugdunensem *Antonius Schultingius c*) protulit, notisque suis ornauit.

a) vti ipse Lib. XVII. Obs. c. 20. testis est. *b*) Paris. 1573. 4. *c*) in Iurispr. Anteiustin. p. 803.

§. VII.

Non tamen ob constitutiones Imperatorum Romanorum statim desierunt SCta, sub ipso enim Hadriano, vti iam supra monuimus, quamplurima *Iulianum* nempe, *Apronianum* & *Tertullianum*, sub Marco vero Antonino *Orficianum* prodiit, imo ad Constantini M. vsque tempora SCta fuisse condita, *Paganinus Gaudentius a*) obseruat, quæ tamen tantam, vt antea, non obtinuerunt auctoritatem.

a) de Iustinian. seculi morib. cap. 14.

§. VIII.

Antequam autem Principes Romani Constitutiones suas emitterent, solebant iurisperitos & Magistra-

ſtratus in conſilium adhibere *a*); ita *Antonini* & *Alexander Seuerus* Imperatores præſtantiſſimos in conſilio habuerunt ICtos, horumque ope quamplurimas diuerſarum ſectarum controverſias conſtitutionibus ſuis diremerunt *b*).

a) vid. Cl. *Hermann. Noordkerk* Obſerv. c. 5. elegans exemplum in L. 17. D. *de Iure patron.* occurrit. conf. *Rad. Fornerius* IV. Rer. Quotid. 10. vid. *Spartianus* in Hadriano cap. 8. *b*) *Merillius* I. 5.

§. IX.

Solebant vero Principes Romani vel proprio motu, vel ad ſupplicantium preces aut ad relationem iudicum aliquid ſtatuere, ſin illud Edictum vel Mandatum, ſin hoc Decretum & Reſcriptum vocabatur *a*). Erat autem *Edictum* vel *generale*, quod omnes ligabat *b*), vel *ſpeciale*, quod urbis aut prouinciæ vtilitatem reſpiciebat, aut breuiter aliquid monebat *c*).

a) Aliquando tamen reſcripta omnes reliquas conſtitutionum ſpecies ſub ſe comprehendunt v. *Merillius* II. 26. *b*) v. L. vn. C. *de ſtrator.* L. 4. §. 6. π. *de legation.* *c*) v. L. 26. π. *de lib. & poſtum.* L. 15. D. *ad L. Corn. de Falſ.* L. 3. C. *de his, qui ſibi adſcribunt in teſtam.*

§. X.

Ad ſpecialia Edicta referenda ſunt *monitoria*, quæ etiam breuia dicebantur *a*), quibus principes, ſi quid notum fieri vellent, vtebantur; qualia apud *Tacitum b*), *Plinium c*), *Lampridium d*) & *Capitolinum e*) occurrunt, ad quæ *Paullus* ICtus tres libros ſcripſit.

a) v. *Pancirollus* L. I. var. lect. c. 34. qualia etiam erant *euocatoria*, quorum Vlpianus in L. 7 §. vlt. π. *de ſuſpect. tut.* & L. 72. *de iudic.* facit mentionem. *b*) L. III. Annal. *c*) L. V. epiſt. vlt. *d*) in Alexandro. *e*) in Diadum.

§. XI.

Mittebantur hæc Principum Edicta ad magiſtratus tam

tam vrbanos quam prouinciales, imo etiam ad magistros militum *a*), qui publico programmate ea, quo in omnium notitiam peruenirent, proponere solebant; hinc etiam eiusmodi magistratuum programmata aliquando *b*) Leges edictales vocantur.

a) v. Impp. Theod. & Valentin. Nou. 40. & 45. *b*) v. eorundem Nou. 25.

§. XII.

Et horum Edictorum in primis *generalium* maxima erat auctoritas; *specialia* enim sub Augusto eiusque successoribus, quorum tempore imago veteris reipublicæ adhuc conseruabatur, nisi SCto probarentur, aut iuris ratione niterentur, aut legibus latis aliquid adiicerent aut derogarent, perpetuam non habebant iuris auctoritatem; ita *Augusti Edictum*, quo cautum fuerat, ne pater filium militem exheredaret, sublatum est *a*).

a) v. L. 26. D. *de liber. & postum.* & *Iacob. Gutherius* de offic. domus August. L. I. c. 32.

§. XIII.

Nullius autem auctoritatis erant Edicta siue Constitutiones Principum, quæ diei & Consulis adiectione carebant, L. 1. C. Theodos. *de Constit. Princip.* Sed hæc lex abrogata est Constitutionibus Iustinianeis, *de nouo Codice faciendo*, &, *de Iustinianeo Codice confirmando*, quibus, omnes Principum Constitutiones valere debere, modo in Codicem fuerint relatæ, præcipitur *a*).

a) v. *Burgius* Elector. cap. 11.

§. XIV.

Mandata Principis erant præcepta seu monita, quæ prouinciarum rectoribus aliisque magistratibus *a*) dabantur, quibusque aut iurisdictionis eorum forma, aut quæ ad prouinciæ curam *b*) pertinebant, continebantur.

a) Ita

a) Ita Pro Consulibus mandata esse data ex L. 6. §. fin. *de offic. proconf.* & L. 8. *de extraordin. crim.* Præfectis vero Prætorio ex inscriptione L. 9. C. *de offic. eius qui vicem alicui. iudic. obtinet*, constat. vid. *Iac. Gutherius* de offic. dom. Aug. L. I. c. 33. *b*) mandatorum capita plurima *Iacobus Cuiacius* ad Nou. 8. & 17. explicat.

§. XV.

Horum Mandatorum alia erant *ordinaria*, commonitoria dicta *a*), alia *extraordinaria*, secreta vel occulta vocata, *illa* per Referendarios spectabiles, *hæc* per Tribunos seu Notarios aut Comites mittebantur; vtraque non aliter, quam si literis relata fuerint, valebant. *b*)

a) v. L. 9. *de officio Præf.* L. 1. C. *de Colleg. & Corpor.* Nou. IIX. & XVII. *Cuiacius* ad h. Nou. & *Straubius* in diss. De constitut. Princip. §. 15. *b*) v. L. 1. C. *de mandat. Princip.*

§. XVI.

Occurrunt eiusmodi Mandata Principum tum in Digestis *a*) tum in Codice *b*) vt & in Nouellis *c*) quamplurima; de quibus *Carolus Emanuel Vizzanius d*) ex professo tractauit.

a) v. L. vn. D. *de offic. Præf. August.* L. 3. & 19. *de offic. Præf.* L. 35. *de pœn.* *b*) v. L. 1. C. *de colleg. & corp. illic.* & tot. tit. *de Mandat. princip.* *c*) v. præf. ad Nou. 17. *d*) in libro *de mandat. princip.* qui Amstælod. 1657. 4. prodiit.

§. XVII.

Rescripta principum erant responsiones, quas vel ad appellationes & supplicantium preces *a*), vel suggestiones & relationes magistratuum dabant, quæ maximam iuris nouissimi partem constituunt *b*); quæque affatus sacri *c*), augusti *d*), diuini *e*), & sacra oracula *f*) nominantur.

a) Principes enim, licet præsentes, non viua voce, sed scri-

fcriptis adiri moris fuerit, inprimis a temporibus *Tiberii*, vti ex *Tacito* Lib. IV. Annal. conftat. v. *Barn. Briffon.* Lib. III. antiquit. c. 7. vnde Tituli in Codice repetitæ præleƈt. *De precibus imperatori offerendis. De quibus rebus fupplicare liceat.* &c. *b*) v. §. 6. I. *de Iur. N. G. & C.* *c*) L. 5. C. *de diu. refcript.* *d*) L. 14. C. *de religiof. & fumt.* *e*) L. 23. §. 1. *de nupt.* *f*) L. 5. C. *fi contra ius vel vtil. publ.* conf. *Iac. Gothofredus* in parat. ad tit. C. Theodof. *de diu. refcript.*

§. XIX.

Solebant Principes *vel ipfi ad libellos fupplicantium*, & quidem in iuris quæftionibus fecundum refponfa ICtorum *a*) *refcribere*, quæ refcripta certam formam modumque non habebant, fed pro rerum varietate varia erant, *vel* quandoque *libellos ad iudicem*, vt ipfe inquireret, fi preces veritate niterentur, *mittere b*).

a) v. L. 17. π. *de quæftion.* & L. 4. C. de *contrab. & committ. ftipulat.* vbi Alexander fecundum refponfum *Domitii Vlpiani* amici fui refcribit. Imo folebant Principes Romani integras ICtorum fententias refcriptis inferere. v. *Burgius* Eleƈt. VI. &c. *Perrenonius* I. Animadu. 16. *Rad Fornerius* I. Rer. Quotid. 17. *b*) v. L. 33. *de re iudic.* & L. 6. C. *ad L. Iul. de vi publ.*

§. XIX.

Debebant autem fupplicantes ab iniuftis petitionibus falfisque allegationibus abftinere, alias illorum petitiones tanquam inciuiles *a*) cum dedignatione reiiciebantur; ita *Diocletianus* & *Maximianus* Impp. in L. 2. C. *de Rei vind.* Alexandri, *Seuerus* vero & *Antoninus* Impp. Lucretii petitionem tanquam inciuilem, in L. 2. C. *de inoffic. teftam.* reiecerunt.

a) v. illuftris *Wilduogelii* progr. inaug. de petitione inciuili 1724. editum.

§. XX.

Præterea Principes *ad relationes* & *fuggeftiones magiftra-*

gifira-

giſtratum & iudicum reſcripta dabant; quodſi enim caſus emergeret difficilis nec in iure deciſus, moris erat, vt princeps ipſe a magiſtratibus rogaretur *a*), ne quicquam inconſulto eo agere viderentur *b*).

a) v. L. 27. D. *de fideicomm. libert.* *b*) v. L. 6. D. *de oper. publ.* & L. 27. §. 1. *de poen.*

§. XXI.

Exempla *a*) eiusmodi relationum quam plurima *Plinius* Libro epiſtolarum decimo exhibet, vbi ſparſim dubia ſua Imperatori *Traiano* exponit, atque ab Imperatore de officio ſuo eruditur, inter quas illa merito celebratur, quam epiſtola nonageſima ſeptima de Chriſtianorum diſciplina, cum prouinciam Bythiniam regeret, Traiano Imperatori miſit, quæ tanti a *Franciſco Balduino*, *Conrado Rittershuſio*, *Gerb. Ioann. Voſſio* & *Dn. Bœhmero* fuit habita, ut illam commentariis ſuis ac diſſertationibus illuſtrarent.

a) Exempla harum relationum etiam apud *Symmachum* Lib. X. epiſt. occurrunt.

§. XXII.

Et id eo magis a magiſtratibus erat obſeruandum, quod aperte hoc ipſum *Hadrianus* & *Iuſtinianus a*) Imperatores præceperant. Nec obſtat quod conſtitutionibus *Conſtantini b*) nec non *Theodoſii*, *Arcadii* & *Honorii c*) relationes iudicum vetitæ fuerint & ſublatæ, citatos enim principes relationes iudicum intempeſtiuas & non neceſſarias *d*) prohibuiſſe, ex inſpectione harum conſtitutionum patet.

a) v. L. 2. §. 18. & 21. & L. 3. §. 18. & 21. C. *de vet. iur. enucl.* *b*) L. 1. C. Theod. *de relat.* *c*) L. 55. C. Theod. *de appellat.* *d*) & de hiſce relationibus Nouella 125. cap. 1. eſt intelligenda. Licet non deſint qui relationes iudicum indiſtincte per Nou. 113. & 125. ſublatas eſſe, ſtatuunt.

§. XXIII.

Emittebant autem Principes reſcripta vel *generalia*,

 quæ

quæ ius generale constituebant *a*), vel *specialia*, quæ ad certa loca vel prouincias tantum pertinebant, vel *specialissima*, quæ ad relationes magistratuum, vel libellos priuatorum sæpius in specialissimis negotiis dabantur; Quorum *illa* perpetua, *hæc* vero temporaria erant.

a) v. L. 2. §. 3. *de Legit. tut.* L. 9. §. 2. D. *de hered. institut.* L. 89. §. 1. D. *ad L. Falcid.*

§. XXIV.

Hisce rescriptis Principes antecessorum decreta vel reuocabant *a*), vel seruabant *b*), vel denique ICtorum sententias confirmabant *c*) &, si inter se non conuenirent, controuersias illorum dirimebant *d*) asperitatemque iuris ciuilis emoliebant *e*).

a) v. L. 1. §. 19. D. *de quæstion.* *b*) v. L. 13. D. *de aliment. & cib. leg.* *c*) v. §. 4. I. *de vsucap.* & L. 4. C. *de contrah. vel committ. stipulat.* *d*) v. L. 11. D. *de iurisd.* L. 2. *de condict. ob turp. caus.* L. 4. *de L. Commiss.* add. *Edmundus Merillius* Lib. I. Obs. c. 5. *e*) quod exemplis quam plurimis *Antonius Schulting* in dissert. pro rescriptis Impp. Roman. §. 8. probat.

§. XXV.

Hæc rescripta a Quæstore sacri Palatii, vel Magistro Scriniorum, aut, si res maximi esset momenti, ab ipso Imperatore subscribebantur *a*); Verba in rescriptis vsitata hæc erant: DATA, SCRIPTA, SVBSCRIPTA, EMISSA, PETITA, ACCEPTA, ANTELATA, PROPOSITA, SVPPOSITA, RECITATA, LECTA, REGESTA *b*) Præclarum rescripti monumentum, quod in veteri lapide Romæ exstat, *Iacobus Gutherius c*) exhibet.

a) v. L. 3. & 7. C. *de diu. rescript.* & Nou. 114. *b*) v. *Iacob. Gutherius* de offic. dom. August. L. I. c. 36. *c*) lib. cit. c. 37.

§. XXVI.

Maxima horum rescriptorum inter ICtos pariter ac

ac iudices fuit auctoritas, illi enim diligenter Principum rescripta in responsis suis allegabant, & secundum ea respondebant, hi vero exacte ea obseruare debebant, alias, si rescripta contemserant, mulctabantur a), nisi *particularia* essent rescripta, i. e. a principe, ab vna tantum parte consulto, data; ab his enim liberum erat iudicibus recedere b).

a) v. L. 5. C. Theod. *de diu. rescript.* b) L. 1. C. Theod. eod. & L. 1. π. *de appellat.*

§. XXVII.

Ita *Hadriani* rescripta ex *Saluii Iuliani, Iulii Celsi*, & *Neratii Prisci*, quos in consilio imperator habuit, scriptis in Digesta sunt relata; eodem modo *Vlpianus* in sola L. 1. D. *de quæstion.* plura quam viginti rescripta adduxit: *Idem* rescripta, aduersus Christianos emissa, teste *Lactantio* a) in libro VII. de officio Proconsulis collegit, & quamuis *Guilielmus Grotius* b) alii Domitio hos VII. libros tribuat, Domitio tamen Vlpiano *Antonius Schultingius* c) illos recte vindicat.

a) L. V. Diu. instit. c. 11. Edicta veterum Principum Romanorum de Christianis etiam collegit, commentariisque *Franciscus Balduinus* illustrauit, quæ vna cum eius Constantino M. cura *Gundlingii* Lips. & Halæ 1727. 8. sunt recusa. b) in vita Vlpiani c) in differt. pro Rescript. Impp. §. 5. conf. *Euer. Otto* de Ædil. Colon. & Municip. p. 291. & *Corn. Bynkerboeckius* de religione peregr.

§. XXVIII.

Nec minus *Papyrius Iustus* ICtus a), qui sub diuis Fratribus & Marco imperatore floruit, rescripta Principum collegit, constitutionumque βίβλια εἴκοσι, vt index librorum, Digestis præfixus, docet, composuit, ex cuius libro primo L. 14. *de seruit. præd. vrban.* ex libro octauo vero L. 60. *de pact.* quæ rescriptum Marci Antonini continet, est desumta.

a) Diuerſus a *Papirio* Legum Regiarum collectore, nec non a *Papirio Frontone*, cuius in L. 220. §. 1. *de V. S.* fit mentio.

§. XXIX.

Præterea in Inſtitutionibus *a*) & Digeſtis *b*) reſcripta *Diui Marci* in Semeſtribus occurrunt, quæ *ſemeſtria* nihil aliud ſunt, quam libri, ſex menſibus hibernis *c*) conſcripti, quibus Sententiæ, decreta & reſcripta eius, continebantur.

a) v. §. 2. I. *de excuſ. tut. vel cur.* *b*) v. L. pactum D. *de pact.* & L. 12. *de acquir. vel omit. hered.* *c*) Solebant enim Imperatores Romani ſex menſibus æſtiuis bella gerere, ſex hibernis conuentus agere, & ius dicere, quod primum ab Auguſto inſtitutum fuiſſe, *Suetonius* in eius vita auctor eſt. De *Iuliano*, qui eundem ſeruauit morem vid. *Mamertinus* in Paneg. c. 4. & *Freberus* I. Parerg. 20. nec non *Pagan. Gaudentius* II. Expoſ. Iurid. c. 34.

§. XXX.

Cum itaque non legibus amplius nec SCtis, ſed Reſcriptis omnia agerentur, *Opilius Macrinus* Imperator *a*) de tollendis illis cogitauit; quod conſilium Macrini cum viris præſtantiſſimis *Iacobo* nimirum *Cuiacio*, *Franciſco Hottomanno*, *Hugoni Grotio*, & *Iacobo Gothofredo* impenſe placuerit, pro reſcriptis Imperatorum Romanorum vir doctiſſimus *Antonius Schultingius* peculiari diſſertatione *b*) egit, æquitatemque eorum defendit.

a) teſte *Capitolino* in eius vita c. 13. *b*) quæ vna cum aliis Franeck. 1708. prodiit.

§. XXXI.

Species reſcriptorum Principis erant 1) *Epiſtolæ a*), quæ tamen a reſcriptis in eo differebant, quod hæc ad relationem iudicum, vel ſupplicationes partium litigantium, illæ vero proprio motu a principe emitterentur; 2) *Pragmaticæ Sanctiones*, quæ non ad preces ſingulorum, ſed

curiæ,

curiæ, ciuitatis vel alterius vniuerſitatis dabantur *b*): 3) *Adnotationes*, quando princeps propria manu reſcriptum ſubſcribebat *c*).

a) Extant harum epiſtolarum per partes aliquot exempla in iure noſtro, vt in L. 16. C. *de præſcript. long. temp.* L. 13. C. *de fidei & mandat.* L. 8. C. *de accuſat.* L. 5. C. *ad L. Corn. de Sicar.* L. 5. C. *de iure fiſci*, v. *Strauchius* in diſſ. De centum lapidib. Vrbicar. *b*) v. §. 4. Conſtit. *de Iuſtinian.* C. *confirm.* & L. 7. C. *de diu. reſcript.* *c*) v. L. 9. C. *de Palat. Sacr.* & *Pitiſcus* in Lexico, voce *Adnotatio.*

§. XXXII.

Præterea etiam Principes Romani ex appellatione cognoſcere, & *decretis* ſuis lites priuatorum determinare ſolebant *a*), quæ decreta vim perpetui iuris non habebant, niſi quæſtionem deciderent, de qua adhuc ambigebatur; Qua autem ratione illi cognitiones haſce exercuerint, illuſtri exemplo *Marcellus* ICtus *b*) oſtendit.

a) Inde *Theophilus* ad §. 6. I. *de Iure N. G. & Ciu.* ait: *Et quid eſt decretum? Eſt ſententia principis inter duas partes, de quarum ipſe cauſa cognoſcit, & iudicat, pronunciata* &c. *b*) in L. 3. D. *de his, quæ in teſtam. delentur.* conf. *Strauch.* de Statutis a principe §. 25. & 26. & *Merillius* II, 26.

§. XXXIII.

Quamplurima eiusmodi *decreta* principum, a ICtis adducta, in Digeſtis *a*) reperiuntur, quorum multa *Barnabas Briſſonius* collegit; Imo *Iulium Paullum* ICtum talium decretorum ſeu imperialium ſententiarum, in cognitionibus prolatarum, ſex libros compoſuiſſe, ex nonnullarum legum *b*) inſcriptionibus liquet.

a) v. L. 7. *De Iuſt. & I.* L. 2. *de offic. aſſeſſor.* L. 3. §. 5. *de lib. exhib.* L. 13. *quod metus cauſa* &c. *b*) v. L. vlt. *ad SCtum Trebell.* L. vlt. *de hered. inſtit.* L. vlt. *de condit. & demonſtrat.* L. 24. *de iure patron.* L. 10. *de manumiſſ.*

numiss. L. 240. *de V. S.* conf. *Iac. Cuiacius* Lib. II. Obs. c. 26. *Edmund Merillius* L. II. Obs. c. 26. & *Bynkershoeckius* in libro singul. ad L. 40. *de Reb. Cred.* cap. 1.

§. XXXIV.

Constitutionibus Principum generalibus apponuntur *speciales* siue *personales* a) priuilegia etiam dicta b); quibus princeps, vel ob meritum aliquid indulget, vel pœnam extra ordinem irrogat, quæ personam non egrediuntur, nec ad exemplum trahuntur c).

a) v. §. 6. I. *de Iure N. G. & C.* b) quasi priuæ leges *Gellius* X. 20. *Isidorus* V. Orig. 18. & *Cicero* de Legib. III. 19. *In priuos homines leges ferri noluerunt: id est enim priuilegium.* c) L. 1. *de Constit. Princip.*

§. XXXV.

Denique etiam principes sæpius aliquid iure singulari contra tenorem rationis propter aliquam vtilitatem vel gratiam introducebant, quod *beneficium legis* vocabatur, eratque vel *generale*, vt beneficium rescripti L. 2. C. *de iure domin. impetr. beneficium inuentarii, competentiæ, ordinis, diuisionis, cedendarum actionum* &c. vel *speciale*, quod ad postulationem ciuitatis, corporis, vel etiam priuati concedebatur, nec ad exemplum trahi poterat a).

a) v. *Iac. Gutherius* de offic. Dom. August. Lib. I. cap. 37. & 38. Quomodo autem beneficia legis a priuilegiis differant? *Iacobus Cuiacius* XV. Obs. c. 8. docuit.

CAP.

CAP. XIII.

DE COLLECTIONIBVS CONSTITVTIONVM IMPERIALIVM, IN PRIMIS DE CODICE GREGORIANO ET HERMOGENIANO.

§. I.

Hadrianum imitati ſunt eius in imperio Romano ſucceſſores, ſuasque ediderunt *conſtitutiones*, ſed cum quotidie numero augerentur, poſt particulares *Doſithei*, *Papyrii Iuſti*, *Domitii Vlpiani*, & *Iulii Paulli* collectiones, ne perirent, conſtitutiones ethnicorum principum ab Hadriano ad Conſtantinum Magnum *Gregorius* & *Hermogenes* ICti priuata auctoritate collegerunt, vnde Codices *Gregorianus* & *Hermogenianus* originem traxerunt.

§. II.

Errat itaque quam maxime *Wolfgang Adam Lauterbachius* ICtus alias celeberrimus, dum in compendio Digeſtorum ſub titulo *de origine iuris* Auguſtum eiusque ſucceſſores varias promulgaſſe conſtitutiones, illasque ad Hadrianum *Gregorium*, ad Conſtantinum M. *Hermogenem* collegiſſe, exiſtimat; Auguſtum enim eiusque ſucceſſores leges quidem veteri ritu rogaſſe, conſtitutiones autem nunquam edidiſſe, ex ſcriptoribus Romanis ſatis conſtat.

§. III.

De auctoribus horum Codicum, cum Scriptores fere taceant, nihil dici poteſt; *Guido* enim *Pancirollus a*) *Gregorium* ſub Valente & Gratiano Præfectum annonæ & Proconſulem Africæ fuiſſe exiſtimat, *Iacobus* vero *Gothofredus b*) eum ſub Conſtantino M. A. C. 336. Præfectum Prætorio fuiſſe, illiusque mentionem in L. 3. C. Theod. *de annon.* & *tribut.*

tribut. L. 2. C. Theod. *de contrab. emt.* & L. 1. C. *de natur. lib.* fieri, sibi persuadet, sed neutrum adeo certum & probatum nobis videtur.

a) L. I. de clar. Leg. interpret. c. 65. b) in prolegom. ad Cod. Theodos. cap. 1.

§. IV.

Antonius denique *Schultingius* a), auctorem Codicis Gregoriani non Gregorium sed *Gregorianum* fuisse dictum, tum ob verba *Augustini* ad Pollentiam b), tum quia saepius ita a collatore Legum Mosaicarum & Romanarum citatur c), satis probabiliter coniicit.

a) in not. ad Tit. I. Cod. Gregor. b) Lib. II. c. 8. ibi: *legi apud Gregorianum.* c) Tit. I. & 6.

§. V.

Nec certior *Hermogeniani* Codicis auctor est, nam *Guido Pancirollus* a) *Eugenio* illi *Hermogeniano*, qui, teste *Baronio* b), Diocletiano & Maximiniano imperantibus Praefectus Praetorio fuit, & in Senatu de persecutione in Christianos decernenda retulit, hunc Codicem tribuit.

a) L. I. de claris LL. interpret. c. 65. b) in annal. ad annum 301. n. 18.

§. VI.

Alii vt *Georg. Caspar. Kirchmaier* a) *Hermogenem* post Iulianum sub Hadriano floruisse, alii denique vt *Guilielmus Budaeus* b) & *Iacobus Cuiacius* c) *Hermogenem* huius Codicis auctorem sub Alexandro Seuero vixisse, & in huius imperatoris consilio fuisse, moti auctoritate *Aelii Lampridii* d) certo sibi persuadent, sed *Hermogenem* vna cum Pomponio, Alfeno, Africano, Florentino, Martiano, Callistrato, Venuleio, Triphonino, Maeciano, Celso, Proculo & Modestino ex confessu Alexandri imperatoris accuratiores e) recte excedere iubent.

a) In

a) In elogiis & elect. vet. ICtorum p. 13. b) de asse eiusque part. Lib. V. c) Lib. II. Obs. 27. d) in vita Alexandri Seueri. e) ita *Claudius Salmasius* Hermogenem ex numero consiliariorum Seueri ad finem comment. ad Ael. Lamprid. expungit.

§. VII.

Rursus alii, vt *Guido Pancirollus a*), *Anicium Hermogenianum Olybrium* ICtum & Consulem *b*) sub Valentiniano & Valente circa A. C. 315. clarum, Codicis huius confectorem faciunt, sed temporis rationem obstare, nemo est, qui non intelligit. *c*)

a) Lib. II. Var. lect. c. 257. b) de quo sequens inscriptio apud *Gruterum* p. 342. occurrit: ANICIVS. HERMOGENIANVS. OLYBRIVS. V. C. CONSVL. ORDINARIVS. c) accedit, quod plures fuerint *Hermogenes* siue *Hermogeniani*, quorum stemma *Reinesius* Classe I. inscript. 39. & in epist. 69. ad Rupertum contexuit. conf. *Vignolius* in columnam Antonini p. 329.

§. VIII.

Verum enim vero *Iacobus Gothofredus a*) *Ægidius Menagius b*) & *Ioannes Strauchius c*) Hermogenem ICtum, qui, vti Diadumenus ab Herodiano Diadumenianus, & Diogenes Tzetzæ Diogenianus vocatur, *Hermogenianus* fuit dictus *d*), & sub Constantini M. liberis vixit, Codicis Hermogeniani fuisse auctorem, probabilius contendunt.

a) In proleg. *ad Cod. Theod.* c. 1. b) in amœn. iur. ciu. cap. 11. c) in vita Hermogeniani inter programm. p. 22. d) vid. *Gronou.* in notis *ad* Tacitum pag. m. 161.

§. IX.

Meminit enim in L. 17. D. *de minor.* Præfectorum Prætorio, quod ab illis appellari non possit, quod Constantinus M. in L. 16. C. Theod. *de appel.* constituit, deinde in L. 23. D. *de manumiss. vindict.* manumissionem fieri posse domino tacente, nec amplius solennibus opus esse verbis, docet, quod ius a

Conſtantino M. eiusque liberis introductum eſſe, ex L. 15. C. *de teſtam.* L. 21. C. *de leg.* & L. 1. C. *de form. & impetrat. ſubl.* conſtat.

§. X.

Alia adhuc a celeberrimis viris *Iacobo Gothofredo* & *Ioanne Strauchio* locis citatis ad aſſerenda hæc, quæ dicta ſunt, afferuntur argumenta, nimirum quod I. correctorum in L. 10. D. *de offic. præſ.* mentionem faciat. II. numero plurium de Principibus in L. 41. D. *de excuſ.* L. 10. *de publ. & vectigal.* L. 46. §. 7. *de iure fiſci* loquatur, & III. muneris Camelaſiæ *a*) in L. 1. §. 2. *de muner. & bonor.* mentionem iniiciat, ſed ea, tanquam parum firma, ſolide celeberrimus *Schultingius b*) excuſſit.

a) Quid ſit *Camelaſia* & *Camelſium* v. apud *Ferandum Adduenſem* Lib. I. Explicat. T. II. Theſ. Iur. Ciu. p. 558.
b) in not. ad Tit. I. Cod. Gregor. Iurispr. Anteiuſt. p. 683.

§. XI.

Vtrum autem profano Deorum cultui, an vero religioni Chriſtianæ fuerint addicti, inter DD. non conuenit, *Iacobus* enim *Gothofredus a*) vtrumque ethnicum fuiſſe contendit, *Bertrandus* contra Chriſtianum Hermogenem fuiſſe, adductis eius verbis in L. 6. D. *de donat. inter vir. & ux.* ibi: *Diuortii cauſa donationes inter virum & vxorem conceſſæ ſunt: Sæpe etiam euenit, vti propter Sacerdotium, vel etiam ſterilitatem ſatis commode retineri matrimonium non poſſit*; credit, ſed nimis debile hoc *Bertrandi* argumentum eſſe, cum etiam, monente *Iacobo Ræuardo b*)), inter gentiles propter ſacerdotium facta fuerint diuortia, *Ægidius Menagius c*), *Guilielmus Grotius d*) & *Ioannes Strauchius e*) animaduerterunt.

a) l. cit. *b*) L. I. coniectan. c. 2. eum ethnicum fuiſſe Inſcriptio, quæ apud *Reineſium* Claſſ. 1. Inſcript. 39. confirmat. alia inſcriptio de hoc ICto a. *Vignolio* in Columnam Antonini p. 326. reperitur. *c*) loc. cit. (*d* in vita ICtore. L. II. c. 12. *e*) loc. cit.

§. XII.

Vnde ſatis probabilis *Iacobi Gothofredi* videtur coniectura, exiſtimantis, *Gregorium* & *Hermogenem* ex eo ethnicorum Principum collegiſſe conſtitutiones, quo antiquam & gentilem Romanorum iurisprudentiam, quæ Conſtantini M. conſtitutionibus mirum in modum euertebatur, poſteritati conſeruarent.

§. XIII.

Inſeruit autem *Gregorius* Codici ſuo conſtitutiones ethnicorum Principum ab Hadriano ad Diocletianum & Maximianum vsque, & licet *Iacobus Cuiacius a*) Codicem hunc in Valeriano & Gallieno deſiiſſe, exiſtimet, ſubſequentium tamen principum imo & Diocletiani ac Maximiani conſtitutiones illum continuiſſe, ipſa Codicis fragmenta, quæ hodie ſuperſunt, nec non collatio Legum Moſaicarum & Romanarum docent.

a) in princip. paratitl. Cod.

§. XIV.

Eorum quoque Principum conſtitutiones in *Hermogeniano Codice* eſſe poſitas, *Iacobus Gothofredus* cenſet, quod etiam ex collatione Legum Moſaicarum & Romanarum probabile redditur, vbi titulo VI. conſtitutio Diocletiani & Maximiani ſub titulo *de nuptiis* citatur, quæ in *Gregoriano* triceſima & ſecunda dicitur, verum ex hoc argumento, in vtroque Codice extitiſſe leges aliquas illorum Principum, non vero vtrumque Codicem omnes easdemque conſtitutiones ab Hadriano ad Conſtantinum M. comprehendiſſe, colligi poſſe, recte *Antonius Schultingius a*) monuit.

a) loc. cit.

§. XV.

Cum itaque in *Hermogeniano Codice* Diocletiani & Maximiani tantum conſtitutiones reperiantur, præter tres primas, quæ Aurelio tribuuntur, quarum-

que

que inſcriptio merito falſa, cum nemo veterum Imperatorum ſolo Aurelii nomine dictus fuerit, *Gregorianum Codicem* omnium Imperatorum ethnicorum, conſtitutiones, *Hermogenianum* vero Diocletiani & Maximiani tantum continuiſſe, adeoque hunc illius quaſi ſupplementum fuiſſe, concludimus.

§. XVI.

Ad ordinem quod attinet, quem horum Codicum auctores ſeruarunt, videtur ille ad Edictum Perpetuum *a*) accommodatus, in *Codicis* enim *Gregoriani* fragmentis multa videmus ex eodem libro citari & titulo, ſub quibus in Iuſtinianeo Codice ſunt collocata, quamuis ſæpius alio etiam ordine conſtitutiones proferantur, quod *Antonius Schultingius* in notis ſuis locis obſeruauit.

a) Scripſit etiam *Hermogenes* ἐπιτομῶν βίβλια ιζ, quibus ordinem Edicti Perpetui, vt ipſe in L. 2. D. *de ſtatu homin.* fatetur, ſecutus eſt.

§. XVII.

Licet autem hi Codices priuato ſtudio fuerint collecti, publice tamen eos fuiſſe receptos, lectos & confirmatos ex *Aniano* Legis vnic. Cod. Theodoſ. *de reſponſis prud.* interprete, qui breuiarium horum Codicum fecit, conſtat, vnde etiam Imperator *Iuſtinianus* conſtitutiones ethnicorum Principum ex hiſce Codicibus hauſit, illasque Codici ſuo includere iuſſit *a*).

a) v. conſtit. *de nouo Cod. fac.* & *de Iuſtinian. Cod. confirm.*

§. XVIII.

Ipſi Codices ad noſtram ætatem non peruenerunt, ſed pauciſſima eorum fragmenta ex breuiario *Aniani* nobis ſunt reliqua, quæ primus *Ioannes Sichardus* vna cum Codice Theodoſiano *a*), deinde *Petrus Gregorius Tholoſanus b*) & *Iacobus Gothofredus c*) ediderunt;

derunt; notis illa *Antonius Schultingius* illuſtrauit, ac iurisprudentiæ Anteiuſtinianeæ *d*) inſeruit.

a) Baſil. 1528. f. *b*) Lugd. 1566. *c*) Colon. Allobrog. & Pariſ. a 1586. *d*) pag. 683.

C A P. XIV.

DE CODICE THEODOSIANO, NEC NON THEODOSII ET SVBSEQVENTIVM IMPERATORVM NOVELLIS.

§. I.

HAec erat legum Romanarum ſub ethnicis Imperatoribus conditio, quæ non parum ſub *Conſtantino M.* fuit immutata; cum enim Chriſtianam religionem ſtabilire, paganiſmum contra ex ditionibus ſuis extirpare hic princeps vellet, non potuit non anteceſſorum ſuorum conſtitutiones, quæ paganismum redolebant, immutare, multasque nouas leges condere *a*).

a) v. *Nazarius* in Panegyr. ad Conſtant. c. 8. & *Euſebius* in eius vita L. IV. c. 26.

§. II.

In primis *Conſtantinus* noſter per quadriennium illud 319, 20, 21, & 22, mores populi Romani variis nouis legibus in melius mutare, atque ad pietatem, pacem, humanitatemque traducere, occupatus fuit, cuius rei fidem faciunt innumeræ conſtitutiones, quas collegit, & erudito commentario *Franciſcus Balduinus* in Conſtantino ſuo M. ſiue de legibus Conſtantini M. eccleſiaſticis & ciuilibus *a*) illuſtrauit.

a) Baſileæ. a. 1556. in 8. edito & Argent. 1612. nec non Halæ 1727. 8. recuſ. conf. *Pagan. Gaudentii*, De cauſſis immutatæ iurisprudentiæ, recitatio, quæ in Academ. inſt. p. 48. reperitur.

§. III.

§. III.

Caue tamen omnes constitutiones, quæ *Constantino M.* tribuuntur, eius fuisse credas, nam nihil frequentius est in Codice Theodosiano & Iustinianeo, ea, quæ a liberis eius sunt proposita, Constantino M. adscribere, item Constantinos & Constantios, Iulianos & Iouianos, Iustinianos & Iustinos confundere; exemplo L. vlt. C. *de curat. fur.* & Nou. 134. c. 10. esse possunt, vbi imperator Iustinianus Constantino M. aliquid tribuit, quod tamen liberis eius est adscribendum; plura *Antonius Contius a*), *Iacobus Gothofredus b*) & *Petrus Relandus, c*) collegerunt.

a) Lib. II. Lect. subcesiu. c. 20. *b*) in chronol. Constit. Codici Theod. præmissa. *c*) in fastis consular.

§. IV.

Eandem mutationem ius Romanum sub sequentibus Imperatoribus *Constantino*, *Constantio* & *Constante*, *Iuliano*, *Iouiano*, *Valentiniano*, *Valente*, *Gratiano*, *Valentiniano* iuniore *Theodosio M. Arcadio* & *Honorio* expertum est; dum enim hi Principes legislatoriæ potestatis modum non tenebant, inordinata variarum legum copia Iurisprudentiam mirum in modum turbarunt *a*).

a) v. *Isidor. Hispal.* Lib. V. orig. c. 1.

§. V.

Obseruarunt hanc miseram iurisprudentiæ Romanæ conditionem *Theodosius* Iunior eiusque in Imperio socius *Valentinianus* III. hinc Legum Romanarum ἀνάκρισιν quandam instituerunt; *Valentinianus* enim, habita post natum Christum 426. ad Senatum vrbis Romæ oratione, quænam constitutionum species vt leges generaliores ab omnibus æqualiter obseruari deberent, non tantum definiuit *a*), sed etiam præcepit, omnibusque iudicibus, vt rescripta, quæ iura læderent, a iudicii limine remouerent ac reiicerent *b*), iniunxit.

a) v. L. 2. & 3. C. *de Legib.* *b*) v. L. 5. C. *si contra ius* &c. & L. 7. *de precib. Imperat.* offerend.

§. VI.

Iidem Imperatores, quo iuris Romani incertitudinem, ex auctoritate ICtorum ortam, tollerent, scripta tantum *Papiniani*, *Paulli*, *Gaii*, *Vlpiani* & *Modestini* singulari constitutione *a*), a. c. 426. firmarunt, illisque, reiectis aliis, legum auctoritatem conciliarunt.

a) v. L. vn. C. Theod. *de respons. prud.*

§. VII.

Tandem *Theodosius Iunior*, constitutiones Christianorum Principum, confusas sibique vt plurimum dissidentes, in ordinem redigere, ac ad imitationem Gregoriani ac Hermogeniani Codicis in vnum corpus illas conferre, consilium cepit.

§. VIII.

Tribuunt quidem nonnulli confectionem huius Codicis *Theodosio Magno*, moti auctoritate *Chronici Idaciani* ibi: *Vndecimo anno Theodosius regni sui Romam cum filio Honorio ingressus, legesque Romanorum integra emendatione edidit*; verum *Idacii* Chronicon næuo hac in re laborare, ac *Theodosium Iuniorem* huius Codicis esse auctorem, fidem non solum Nouella, de huius Codicis auctoritate ab hoc Imperatore ad Florentium Præf. Orient. data, facit, sed & quamplurimæ constitutiones *Theodosii M.* eiusque successorum, in hunc Codicem relatæ, id confirmant *a*).

a) vid. *Iac. Gothofredus* in prolegom. c. 1. §. 2. Trahuntur etiam huc sequentia *Claudiani* verba;

Iniustitia insultat vitiisque a stirpe recisis,
Elicit oppressas tenebroso è carcere leges.

Sed quamuis negandum non sit. *Theodosium M* post deuictum Maximum Tyrannum multas leges edidisse: codicem tamen hunc non condidit.

§. IX.

§. IX.

Annus, quo hic Codex confectus, est CCCCXXXIIX. post N. C. vnde *Innocentius Cironius a*) aliique errant, qui ob subscriptionem Nouellæ de Confirmando hoc Codice a Theodosio Iuniore emissæ, quæ est *Dat. XV. Calend. Mart. Constantinopoli Theodosio A. XV. Consule & qui fuerit nuntiatus*, annum 435. substituunt, mendosam enim huius Nouellæ esse subscriptionem, MSSCtum Ottobonianum, in quo sequens dictæ Nouellæ conspicitur subscriptio: *Dat. prid. Kal. Febr. Theodosio A. XVI. Cons.* qui consulatus in annum 438. incidit, docet *b*).

a) Lib. V. Obseruat. Iuris Canonici cap. I. *b*) v. *Bernh. Henr. Reinold.* Obseruationes interpret. Cod. præmiss. p. 25. diss. nostra inaugur. De Codice Theodosiano eiusque in Iure Iustinianeo vsu & *Eric. Mauricius* de libr. Iur. Comm. thes. 6.

§. X.

Iacobus quidem *Gothofredus* etiam huius Codicis confectionem ad annum 438. retulit, non tamen falsam dictæ Nouellæ confirmatoriæ subscriptionem correxit, quod doctissimus *Henricus Brenckmannus a*) obseruauit.

a) in epistola de Consulibus, quorum in Digestis fit mentio, Fastis *Petri Relandi* consularibus subiecta.

Causas, quare Imperator *Theodosius* Codicem hunc conficere iussit, tres in Nouella, quam de auctoritate sui Codicis emisit, librorum nimirum ad ius pertinentium multitudinem, collapsam iuris scientiam, & ementitam iurisperitorum seueritatem *a*), allegat, vnde recte *Henricus Brenckmannus b*), Theodosium nostrum, non tam promouendæ rescriptorum auctoritatis gratia, quam vt causidicorum licentiam abusumque in iis temere allegandis refrenaret, Codicem suum composuisse, coniicit.

a) Mul-

a) Multum enim de splendore suo iurisprudentia amiserat, iustique ac recti scientia in artem Rabulisticam degenerauerat, conquerentibus *Mamertino* in gratiarum actione pro Consulatu ad Iulianum & *Ammiano Marcellino* L. XXX. Histor. b) in diatrib. de Euremat. p. 141.

§. XII.

Adiutores sibi, huic operi consummando, octo viros Illustres ac Spectabiles, iurisque scientia maxime praestantes, *Antiochum* scilicet, *Maximum*, *Martyrium*, *Sperantium*, *Apollodorum*, *Theodorum*, *Epigenium* & *Procopium* elegit, illisque, ut antecedentium Principum constitutiones a confusione & obscuritate liberarent, ac ea, qua possent, breuitate in vnum corpus conferrent, facultatem dedit.

§. XIII.

Qui etiam summa id peregerunt fide, & sexdecim Principum legitimorum seu Christianorum constitutiones, per centum & viginti septem annorum spatium, i. e. ab anno post N. C. 312. quo Constantinus M. Christianam amplexus est fidem, vsque ad annum 438. latas, in hunc Codicem retulerunt.

§. XIV.

Vnde quam maxime *Ezechiel Spanhemius*, Codicem Theodosianum e Principum Romanorum ab Hadriano ad Theodosium Iuniorem constitutionibus ac rescriptis conditum fuisse, existimans *a*), errat.

a) in orbe Romano. pag. 253.

§. XV.

Diuisus est hic Codex in sexdecim libros, & varias Principum constitutiones, vel ad omnes imperio Romano subiectos populos, vel ad certam prouinciam aut ciuitatem emissas, vel etiam ad certas personas directas, decreta nimirum, mandata,

rescripta, epistolas, sanctiones pragmaticas, acta habita in Consistoriis, interlocutiones & beneficia principum, imo omnis iuris principalis species conspiciendas præbet.

§. XVI.

Quinque autem priores libri ad ius ciuile spectant, reliqui vndecim per omnes iuris publici decurrunt partes, nec ecclesiastica negotia intacta relinquuntur, quippe quæ vltimo libro definiuntur.

§. XVII.

Ad Ordinem quod attinet, quem conditores huius Codicis seruarunt, videtur is *Iacobo Gothofredo a)* & *Antonio Schultingio b)* Codici Gregoriano, qui ipse ad ordinem Edicti Perpetui fuit compositus, accommodatus, verum, licet negari nequeat, confectores huius Codicis eundem sæpe, qui in Codice Gregoriano fuit, seruasse ordinem: semper tamen & vbique id factum esse, cum constitutiones ecclesiasticæ, quæ in Codice Gregoriano primo loco fuerunt positæ, in nostro vltimo conspiciantur loco, probabile nobis non videtur.

a) in prolegom. ad Cod. Theod. c. 12. b) in Iurisprud. Anteiustin. p. 684.

§. XVIII.

Confecto hoc Codice Imperator *Theodosius*, vt constitutiones, in illum relatæ, essent norma ac regula, secundum quam omnes Romano Imperio subiectæ viuerent gentes, voluit, inde Codicem suum promulgauit, eique iuris principalis auctoritatem Nouella quadam, ad *Florentium* Præf. Præt. Orient. emissa, quæ inter Theodosianas numero prima conspicitur, conciliauit.

§. XIX.

Vt vt vero multum studii ac laboris Imperator *Theodosius* Iunior eiusque in conficiendo hoc Codice adiutores impenderint, ita vt inter Legum Romanarum

narum conſeruatores ac reſtauratores non vltimum mereantur locum, quamplurimas tamen neceſſarias conſtitutiones illos omiſiſſe, alias non recte in hunc Codicem retuliſſe, multas etiam repetiiſſe, ex perluſtratione & recenſione næuorum huius Codicis a *Iacobo Gothofredo a)* & *Chriſtiano Thomaſio b)* inſtituta, conſtat.

a) prolegom. c. 2. *b)* in Næuis Iurisprud. Anteiuſt. p. 156. add. *Mabillon* de Re Diplomat. Lib. III. c. 5. §. 11.

§. XX.

Poſt Codicis Theodoſiani confectionem Imperator *Theodoſius* Iunior XLIIX, *Valentinianus* XIIX, *Martianus* V, *Maiorianus* IX, *Seuerus* II, & *Anthemius* III, nouas ediderunt conſtitutiones, quæ Codici Theodoſiano ſubiectæ reperiuntur.

§. XXI.

Separatim hæ Nouellæ apud *Robertum Stephanum a)*, inter *Petri Pithœi* opera *b)* & cum notis *Conradi Rittershuſii c)* prodierunt; nouam denique harum Nouellarum earumque auctiorem & accuratiorem editionem ex collatione MSCti Ottoboniani *Leonhardus Adamus Volſinienſis* pollicitus eſt *d)*, cuius ſpecimen, clariſſimo *Menckenio* ab auctore transmiſſum, *Hoffmannus e)* exhibet.

a) Pariſ. a. 1571. *b)* ibid. a. 1609. edita. *c)* Francof. 1651. 4. *d)* vti die gelehrten Zeitungen ad a. 1717. n. 54. referunt. *e)* v. in hiſt. iur p. 232.

XXII.

Integer Codex Theodoſianus ad nos non peruenit, nam non ſolum a Wiſi Gothis mirum in modum fuit deprauatus, ſed etiam CCCXX. in Codice Iuſtinianeo occurrunt conſtitutiones, quarum indicem *Antonius Maruillius* confecit, & ſub titulo ſupplementi Codicis Theodoſiani ſuæ editioni ſubiecit, quæ in

Codice hoc non reperiuntur. Edidit etiam *Iacobus Sirmondus* ex duobus MSS. Appendicem Codicis Theodosiani *a*), qui quindecim constitutiones Constantini, Arcadii, Honorii, Theodosii & Valentiniani continet.

a) Paris. 1631. 8. & Tom. I. eius oper. ann. 1696. in f. ibidem recus.

§. XXIII.

Primus Codicem Theodosianum vna cum aliis Iurisprudentiae Anteiustinianeae particulis *Ioannes Sicbardus* edidit *a*), sed omnia in hac editione esse manca ac mutila, ex inspectione eius patet; deest enim ex Codice Theodosiano integer liber octauus, & ex reliquis libris non pauci tituli, vnde haec *Sicbardi* editio parum vtilitatis praebet.

a) Basileae 1528. f.

§. XXIV.

Post *Ioannem Sicbardum* & *Ioannem Bertrandum a*) locupletiorem hunc Codicem *Ioannes Tilius b*) & *Iacobus Cuiacius c*) ediderunt, variaque veteris prudentiae ciuilis fragmenta adiecerunt; sed omnium labores *Iacobus Gothofredus* Dionysii filius, non frater, vti ICto alias celeberrimo placuit, longe superauit, qui non solum integrum Codicem Theodosianum eruit, ac doctissimis omnisque eruditionis genere refertis commentariis illustrauit, sed etiam collatione vtriusque Codicis, indice Titulorum, chronologia constitutionum, prolegomenis ad historiam huius Codicis facientibus, notitia dignitatum vtriusque orbis, prosopographia, Topographia, Glossario Nomico aliisque additamentis eum ornauit, adauxitque, quod opus, in sex Tomos diuisum, studio *Antonii Maruillii d*) prodiit.

a) qui illum Paris. 1550. 8. edidit vid. Biblioth. Duboisiana p. 444. *b*) Paris. 1549. *c*) Paris. 1566. f. 1586 f. & 1593. f. (*d* Lugdun. 1668. VI. Tom. in fol.

§. XXV.

§. XXV.

Hiſtoriam Codicis Theodoſiani *Iacobus Gothofredus* in Prolegomenis huic Codici præmiſſis, *Innocentius Cironius* ICtus Gallus *a*) & *auctor* in diſſertatione inaugurali ſub præſidio venerandi ſoceri ſui *Guilielmi Hieronymi Brückneri* ICti habita *b*) : *de Codice Theodoſiano eiusque in Codice Iuſtinianeo vſu* , ex profeſſo delinearunt.

a) Libro V. Obſeruationum Iur. Canonici. *b*) Ienæ 1719.

C A P. XV.

DE FATIS IVRISPRVDENTIÆ ANTEIVSTINIANEÆ, INPRIMIS CODICIS THEODOSIANI.

§. I.

MAximam Codices *Gregorianus* , *Hermogenianus* & *Theodoſianus* tum in oriente tum occidente, nacti ſunt auctoritatem ; ad terras enim orientalis Imperii quod attinet , juſſu Theodoſii Imperatoris per Florentium Præfect. P. Orient. *Codex Theodoſianus* fuit publicatus , & ab omnibus imperio ſubiectis viua ac abſolutiſſima iuris imago habitus.

§. II.

Eodem modo in Oriente ſub Theodoſii Iunioris ſucceſſoribus *Martiano*, *Leone*, *Zenone*, *Anaſtaſio* ac *Iuſtino* Theodoſianæ collectionis nonaginta ferme annos viguit auctoritas, vsque dum Imperator *Iuſtinianus* ſeculo poſt N. C. ſexto nouam iuris meditatus fuit collectionem, &, reiectis tribus illis Codicibus, alium in eorum locum ſubſtituit.

§. III.

Et hoc ex Scriptoribus eius æui, inprimis vero Legum Romanarum & Mosaicarum, quisquis ille sit, pariatore, quippe qui Codicem Theodosianum in oculis habuerunt, & frequenter ad eum prouocarunt, colligi ac probari potest.

§. IV.

Laudat enim memoratus Legum Romanarum ac Mosaicarum collator ac profert Tit. V. constitutionem Valentiniani, Arcadii & Theodosii *de stupratoribus*, quam ex integro & nondum decurtato Codice hausit, cum constitutionis huius pars tantum hodie in Codice Theodosiano, & quidem in L. 6. *ad L. Iul. de adult.* extet; deinde *Tit.* 14. *de plagiariis* nouellas memorat constitutiones, quarum nomine innuere videtur Constantini legem, qua ob plagium liberi hominis seruus vel libertinus bestiis obiiciebatur, quæ in Codicem Theodosianum & quidem sub titulo; *Qui inuol. alien. liber.* est relata.

§. V.

De auctore huius collationis Doctores non conueniunt, *Ioannes* enim *Bertrandus* & *Iacobus Cuiacius Licinio Rufino*, qui Alexandri temporibus vixit, quique Paullum in L. 4. D. *Quib. ad lib. proclam. non licet.* consuluit, eam tribuunt, alii, vt *Marquardus Freberus a)*, Iudæum quendam eius auctorem faciunt; rursus alii *Petro Pithœo* primo huius collationis editori illam, sed absque sufficienti ratione, adscribunt *b)*.

a) Parerg. I 9. *b)* v. *Cuiacius* Lib. VII. Obs. c. 2. Lib. XII. cap. 10. 16. & 35. Lib. XIV. c. 2. & Lib. XXI. c. 2. *Ægidius Menagius* in amœnit. iur. ciu. c. 7. & *Antonius Schulting* ad principium huius collat. in Iurispr. Anteiust. p. 719.

§. VI.

Quicquid tamen sit, collatorem hunc post confe-

ctum

ctum Codicem Theodosianum, & ante tempora Iustiniani circa decursum quinti seculi vixisse, quia integras Codicis Gregoriani, Hermogeniani & Theodosiani affert constitutiones, certissimum est; vnde non cohærent dicta *Iacobi Gothofredi a)*, quando pariatorem nostrum circa decursum sexti seculi, & tamen ante Iustinianum vixisse, statuit.

a) in proleg. c. 3.

§. VII.

Vtilitas huius collationis triplex est, quod I. quid Iustinianus eiusque adiutores in excerpendis veterum ICtorum libris sibi indulserint, perspicue repræsentet, II. quamplurima priscæ Iurisprudentiæ ciuilis fragmenta, tum ex veteribus ICtis, tum ex tribus Codicibus contineat *a*), & III. quomodo in titulos veterum ICtorum libri fuerint diuisi, ostendat *b*).

a) v. *Val. Guil. Förster* I. Lect. Succisiu. c. 18. *b*) v. *Marquard. Freberi* parergor. c. 1.

§. VIII.

Ad terras Imperii Occidentalis quod attinet, receptum ibi a *Valentiniano* III. Theodosii in Imperio collega eiusque genero fuisse Codicem Theodosianum, partim ex Nouellis Valentiniani III. X. & XII. partim ex Nouella Codicis Theodosiani confirmatoria constat *a*).

a) v. *Gothofredus* in prolegom. c. 3. & differt. nostra de Codice Theodos. cap. 3. §. 5.

§. IX.

Eodem modo sub insecutis occidentalis imperii Principibus *Maioriano*, *Seuero*, & *Anthemio* in Gallia, Italia, aliisque prouinciis viguit; *Maioriani* enim Nouella I. & *Anthemii* Nouella III. *de bonis vacant.* antecessorum confirmantur constitutiones *a*).

a) v. *Sidon. Apollinaris* L. II. epist. 1.

§. X.

Et quamuis seculo post N. C. quinto Gothi aliaeque gentes septentrionales, relictis patriis laribus, Italiam & Galliam occupauerint, fixasque sibi & posteris suis ibi sedes stabiliuerint; eam tamen erga subiugatos Romanos exercuerunt humanitatem, vt Leges Romanas illis non excusserint, sed, qua lege viuere vellent, teste *Gregorio Turonensi a)* & *M. Aurelio Cassiodoro b)* permiserint.

a) Lib II. Histor. Franc. c. 33. b) Lib. I. Var. c. 1. & Lib. III. c. 4.

§. XI.

Imo quo *Alaricus* Wisi-Gothorum in Gallia rex Romanos ad Gothorum mores eo citius traheret, anno post N. C. 504. *Goiarico* viro illustri aliisque, vt nouum iuris corpus, quod Legibus Romanis non esset contrarium, a moribus tamen suae gentis non plane alienum, conficerent, demandauit. *a)*.

a) De Codice Alarici Regis v. *Sirmondi* liber, cui Titulus: *Quaestio triplex* Paris. 1642. edit.

§. XII.

Tribuunt quidem fere omnes, etiam, quod miror, doctissimus *Antonius Schultingius a)* compilationem hanc *Aniano* Alarici regis Referendario, ex eo quod in fine commonitorii huius breuiarii Alariciani perscriptum extet: *Anianus vir spectabilis ex praeceptione Domini Gloriosissimi Alarici Regis hunc Codicem de Theodosianis legibus atque sententiis iuris vel diuersis libris electum Aduris b) anno XXII. eo regnante edidi & subscripsi.*

a) in praefat. Iurisprud. Anteiust. praemissa. b) v. *Sirmondus* in not. ad Sidonium Apollin. p. 25.

§. XIII.

Sed, quod pace tanti viri dixerim, *edere* hoc loco nihil aliud significat, quam legem siue iussionem principis subscribere, annulo eius confirmare, iudicibusque illam insinuare, quod Referendariis tum temporis

ris erat proprium, vti ex *Gregorio Turonensi a)*, *Flodoardo b)*, *du Fresne*, *c) Iacobo Gutherio d)* & Nouellis *e)* Imperatoris Iustiniani colligere licet.

a) Lib. V. Histor. Franc. c. 3. *b)* Histor. Remens. c. 2. *c)* in Glossario h. voce. *d)* de offic. Dom. August. L. III. c. 8. *e)* v. Nou. 10. 113. & 124.

§. XIV.

Hic demandatum sibi ab *Alarico* Rege negotium ita executus est, vt ex Codice Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano, Nouellis Imperatorum, necnon Paulli sententiis, Gaii Institutionibus & Papiniani libris *Breuiarium* quoddam confecerit, ac cuilibet legi interpretationes, ex Iure Gothico vtplurimum desumtas, subiecerit.

§. XV.

Etsi autem hoc iuris Romani *Breuiarium* genium populi seculique satis redolet, eam tamen mox nactum est auctoritatem, vt, reiectis ICtorum libris & genuinis Principum Constitutionibus, in foris volitauerit, ac loco veri Codicis Theodosiani mox sub lege Romana, mox Theodosiana, a scriptoribus eius ætatis citatum fuerit.

§. XVI.

Patet hoc ex *Papiani* responsorum libro, quem ad imitationem huius breuiarii iussu *Gundobaldi* Burgundionum Regis ex iisdem fontibus in gratiam eorum, qui Romana lege viuere vellent, composuit *a)*

a) v. *Iac. Gothofredus* in biblioth. iur. ciu. cap. 2. §. 11. & *Frider. Lindenbrogius* in prolegom. Codici LL. antiqu. præm.

§. XVII.

Hic enim frequentissime ad Legem Theodosianam prouocat, multasque ex Codice Theodosiano constitutiones, quæ non amplius ibi extant, obseruanti-

bus *Innocentio Cironio a*) & *Antonio Schultingio b*), affert.

a) Lib. V. Obſ. iur. Canon. c. 2. *b*) in Iurisprud. Anteiuſt. p. 827.

§. XIIX.

Eodem breuiario Alariciano vſus eſt mediæ ætatis auctor Conſultationis de pactis, quam, ab *Antonio Loiſello* ſibi miſſam, *Iacobus Cuiacius a*) primus in publicum extulit, *Antonius* vero *Schultingius* Iurisprudentiæ Anteiuſtinianeæ *b*) inſeruit.

a) vti ipſe Lib. VII. Obſ. cap. 27. profitetur *b*) pag. 813.

§. XIX.

Eodem modo *Edilbertus* Rex Cantii hunc Codicem ſuum fecit, ita enim *Beda a*) ait: *Inter cetera bona, quæ genti ſuæ conſulendo conferebat, etiam decreta iudiciorum iuxta exempla Romanorum cum conſilio ſapientum conſtituit, quæ conſcripta Anglorum ſermone hactenus habentur & obſeruantur ab ea.*

a) Lib. II. Hiſtor. Angl. cap. 5.

§. XX.

Nec minus ſub Francis, qui ſeculo poſt N. C. ſexto, interfecto Alarico Gothorum Rege, omnem Galliam ab Aquitania ad Narbonenſem primam ſub ſuam redegerunt poteſtatem, Breuiarii Alariciani remanſit auctoritas; Nam quamuis Francorum Duces nouas condiderint Leges: deuictis tamen gentibus propria etiam iura, ſcilicet Ciſalpinis *Romana*, Burgundionibus *Gundobadica*, Tranſalpinis autem *Longobardica* & *Romana*, intacta reliquerunt.

§. XXI.

Fidem huius rei facit *Chlotarii* Francorum Regis conſtitutio generalis *a*), qua cautum, vt inter Romanos cauſæ controuerſæ Romanis terminarentur legibus, vt & *Hincmarus* Archiepiſcopus Rhemenſis *b*) cum

cum ait: *Sciant se, nec Romanis in die iudicii, nec Salicis, nec Gundobadis, sed diuinis iudicandos;* nec non *Gregorius Turonensis* c) & *Sidonius Apollinaris* d), qui sub Chlotario Francorum rege iuuentutem studio Codicis Theodosiani initiatam fuisse, scribunt e).

a) Circa annum 560. data, quam *Stephanus Baluzius* T. I. Capitul. p. 7. exhibet. b) in libello contra Tietbergam. c) Lib. IV. Hist. Franc. c. 41. d) Lib. II. epist. 1. e) idem *Rutilius Numatianus*, I. Itiner. v. 207. testatur, cum canit:

Facundus iuuenis Gallorum nuper ab aruis
Missus Romani discere iura fori.

Plura de hac re vid. apud Ludou. Antonium Muratorium in præf. P. II. T. I. Script. Rer. Italic. præmissa.

§. XXII.

Vnde *Lex Romana* & *Salica* apud scriptores eius ætatis passim iunguntur a), &, qui Legem *Romanam* sequebantur, vulgo ciues Romani b), qui vero *Salicam*, Franci vel Salici c) vocabantur.

a) Has duas Leges etiam *Eginhardum* in vita Caroli M. cum ait: *Franci duas habent leges*, subintellexisse, *Innocentius Cironius* L. V. Obs. iur. Can. non absque ratione existimat. b) v. *Marculphi* formula 40. & incerti auctoris formula. 8. & 56. c) v. formula 5. incerti auct.

§. XXIII.

Patet hoc etiam ex formulis, ea ætate in iudiciis vsitatis, quæ omnes secundum Legem Romanam, Codicem scilicet Theodosianum, sunt factæ & compositæ; ita in formulis *Marculphi* monachi, quas *Stephanus Baluzius* & *Hieronymus Bignonius* ediderunt, sæpius hæc verba reperiuntur. *Lex Romana exposcit; Quod secundum legem Romanam actum, vt nullatenus reuocetur;* a) idem etiam in formulis veteribus a *Iacobo Sirmondo* editis obseruare licet.

a) v. Diss. nostra *de Codice Theodosiano* c. 3. §. 13.

§. XXIV.

§. XXIV.

Nec minus iuris Romani in Gallia ea ætate obſeruati exemplum præbent matrimonia & teſtamenta, ſecundum ius ciuile condita & celebrata. Ita *Cæſarius* Archiepiſcopus Arelatenſis, teſte *Baronio a)* hanc ſuo teſtamento clauſulam adiecit: *Et ideo* &c. *Deo diſponente hoc teſtamentum condidi & manu propria ſubſcripſi, atque iure prætorio vel iure ciuili, & ad vicem illorum codicillo confirmaui.* Pari modo *Remigius* Epiſcopus Rhemenſis, referente *Flodoardo b)* & *Arcadius* Epiſcopus Lemouicenſis, narrante *Alteſerra c)*, teſtamenta ſua clauſula codicillari muniuerunt.

a) L. VI. Ann. ad a. 506. b) Hiſt. Rhemenſi Lib. I. c. 18. c) L. 3. Rer. Aquitan. c. 8. plura habet *Donato Antonio d'Aſti* in libro; Dell'uſo & autorita' Ragion ciuile nelle prouincie dell'Imperio occidentale c. 7.

§. XXV.

Præterea exemplum immixti iuris Romani in Legibus Salicis, & quidem L. 2. Tit. 14. reperimus, quo loco cautum fuit: *Si quis Sororem aut fratris filiam, aut certe alterius gradus conſobrinam, aut fratris vxorem, aut auunculi ſceleratis nuptiis ſibi iunxerit, huic pœnæ ſubiaceat, vt a tali conſortio ſeparetur; atque etiam, ſi filios habuerint, non habeantur legitimi heredes, ſed infamia ſint notati:* quæ lex eſt particula interpretationis ad L. 3. C. Theod. *de inceſt. nuptiis*, quod erudite *Hieronymus Bignonius a)* obſeruauit.

a) in not. ad Leges Salicas. conf. differt. noſtra l. c. Vnde *Agathias*, Francos Germanosque deſcribens: *Romanæ eos politiæ non omnino exſortes eſſe, Romanasque inter ſe leges & eosdem in contractibus connubiisque mores ſeruare*, dicit.

§. XXVI.

Eodem modo quamplurima ex Lege Romana, i. e. Codice Theodoſiano in *Capitularia* Regum Francorum ſunt translata; ita Capitulare 11. de a. 813. a *Carolo M.*

M. emissum, XX. capitula de iustitiis faciendis ex Lege Salica, Romana & Gundobada continet, & in additione IV. Capitularium capitulo 160. Lex Romana omnium humanarum legum vocatur mater *a*).

a) plura exempla *Stephanus Baluzius* in notis ad Capitularia Regum Francorum collegit.

§. XXVII.

Vnde euenit, vt adhuc hodie quædam Galliæ prouinciæ Lege scripta, aliæ vero moribus, obseruante *Innocentio Cironio a*), regantur, de qua re ex professo doctissimus Antecessor Tholosanus *Ianus à Costa* in tractatu; *De origine iuris in Gallia*, qui tamen lucem expectat, egit.

a) Lib. V. Obs. iur. Can. c. 6.

§. XXVIII.

Fidem huius rei etiam *M. Aurelius Cassiodorus* Senator facit, qui sub Zenone, Anastasio, & Iustino formulas suas dictauit, & promouente Theodorico Rege ad summos honores peruenit, in variarum libris ab eo conscriptis *a*); ibi enim Rex Theodoricus ait: *Delectamur iure Romano viuere, quos armis cupimus vindicare b*),

a) Lib. I. c. 1. & 27. & Lib. III. c. 13. & 43. conf. epist. *Gelasii* Pontificis, quæ in decreto Distinct. X. c. 12. reperitur. *b*) conf. edict. *Theodorici* Ostro-Gothorum Regis a *Frider. Lindenbrogio* Codd. LL. antiqu. insertum. & *Agathias* Lib. I. de reb. Iustiniani.

§. XXIX.

Non maiori autem in pretio habitus fuit Codex Theodosianus quam à Clericis, quippe in quorum fauorem multa ibi, inprimis Libro XVI. erant disposita, vnde maximis non solum eum ornarunt laudibus, sed etiam secundum eum, monente *Rheginone a*), tanquam ecclesiasticam legem vixerunt.

a) Lib. II. de Eccles. discipl. c. 89. add. *Stephan. Baluz.* in not. ad. Capitul. Reg. Franc. p. 996. & c. 1. §. 58. Leg. Ripuar.

§. XXX.

§. XXX.

Maximam inde in Conciliis & decretis ecclesiasticis Codex Theodosianus & praecipue Liber XVI. ex obseruatione *Hincmari a*) habuit auctoritatem; ita enim in Concil. Aurelianensi can. 7. sub nomine Legum citatur, eodem modo L. 3. C. Theodos. *de incestis nuptiis*, quae prima vetuit consobrinorum coniugia, non tantum in Concilio Agathensi eodem anno, quo Codex Theodosianus ab Alarico fuit promulgatus, celebrato, sed etiam in Concilio Turonensi II. anno 567. sub *Chariberto* habito can. 21. fuit recepta *a*).

a) v. *Innoc. Ciron.* Lib. V. Obs. iur. can. c. 2. & 6.

§. XXXI.

Vnde non mirandum est, quod actores, qui seculo X. & XI. canonum adornarunt collectiones, vt *Abbas Prumiensis*, *Burchardus Wormatiensis* & *Iuo Carnotensis* frequentissime ad Legem Romanam prouocent, quod in ipso etiam *Gratiano a*) Decreti compilatore deprehendimus.

a) v. can. *si quem poenituerit* c. 2. qu. 3. & c. 22. c. 2. qu. 6. add. nostra differt. *de Codic. Theod.* c. 3. §. 14.

§. XXXII.

Caue itaque, Ius Iustinianeum semper sub lege Romana intelligi, existimes, nam quoties lex Romana in legibus veterum Germaniae populorum, capitularibus Regum Francorum & a iuris Canonici compilatoribus citatur, *ante-Iustinianeum* non *Iustinianeum*, quippe quod ad seculum fere XIII. hisce gentibus incognitum fuit, intelligitur. *a*).

a) D. *Virginius Valsecbius* tamen in epistola: De veteribus Pisanae ciuitatis constitutis ad Guidonem Grand. Florentiae 1727. 4. edit. probare voluit, quod sub lege Romana etiam apud scriptores Saeculi IX. X. & XI. Codex & Nouellae Iustinianeae intelligantur. vid. Noua litter. a. 1728. p. 659.

CAP.

PARS II.

HISTORIA IVRIS IVSTINIANEI.

CAP. I.

DE IMPERATORE IVSTINIANO, EIVSQVE IN COMPONENDO IVRIS CORPORE ADIVTORE TRIBONIANO.

§. I.

HÆc erat iurisprudentiæ Romanæ facies, hac immani laborabat mole, cum Imperator *Iustinianus* ad eam emendandam, ac in decorum ordinem redigendam, ſeculo ſexto animum adplicaret, manumque ei medicam adhiberet.

§. II.

Non defuerunt quidem, qui ante Iuſtinianum vniuerſalem iuris Romani meditati ſunt collectionem, vt *Cicero*, cuius integrum, de iure ciuili in artem redigendo, librum *Gellius a)* citat, *Iulius Cæſar b)*, *Pompeius c)* & *Conſtantinus M.* ſed irrita horum fuiſſe conſilia, deprehendimus.

a) Lib. I. cap. 22. ipſe quoque *Cicero* Lib. I. de orat. c. 42. luculentam huius operis ſciagraphiam dederat. *b) Sueton.* in eius vit. c. 44. *c)* ſi vera ſunt, quæ *Iſidorus Hiſpalenſis* Lib. V. orig. c. 1. & qui eum exſcripſit *Gratianus* can. fin. diſtinct. 7. referunt.

§. III.

Vnde eo maior laus debetur Imperatori noſtro *a)*, quod

quod inordinatæ Romanæ Iurisprudentiæ ſuccurrere, &, ad amputandam litium prolixitatem, ex multitudine conſtitutionum immenſisque veterum ICtorum libris ortam, nouum iuris corpus, opus a multis ante ſed fruſtra tentatum, conficere voluerit *b*). De cuius vita & indole pauca quædam, ad meliorem hiſtoriæ iuris Iuſtinianei cognitionem facientia, prælibabimus.

a) v. *Paganini Gaudentii* pro Iuſtiniano Imperatore, expoſtulatio, quæ in Inſtar Acad. p. 56 reperitur *b*) Hinc *Warnefridus* I. de geſtis Longob c, 25. de Imperatore noſtro ait: *Leges quoque Romanorum quorum prolixitas nimia erat, & inutilis diſſonantia, mirabili breuitate correxit.* a. dd. *Paulus Diaconus*, 1. De geſtis Longobard. cap. 25.

§. IV.

Vt itaque rem a prima origine repetamus, ſciendum eſt, ſcriptoris neque in anno neque loco natiuitatis Imperatoris noſtri conuenire; *Gipbanius a*) enim A. C. 482. imperante Zenone & Fauſto Conſule, *Theophilus* contra *b*) Iuſtiniani præceptor ſub Zenone & Acacio Patriarcha eum natum eſſe exiſtimant.

a) In comment. de Iuſtiniano p. 4. *b*) in vita Iuſtiniani.

§. V.

Secundum *Antonii Pagi* vero computationem, qui eum fuiſſe XLIII. annorum ait *a*), cum Iuſtino Seniori auunculo ſuo ſucceſſit, quod ſecundum eundem *b*) Kal. Auguſt. A. C. 527. accidit, Imperator noſter A. C. 484. natus eſſe debet.

a) in Crit. ad Baron. T. II. p. 532. *b*) in differt. hypat. de Conſul. Cæſar. pag. 325.

§. VI.

Eodem modo de loco natiuitatis inter ſcriptores non leuis eſt diſſenſio, *Procopius a*) Taureſium patriam Iuſtiniani fuiſſe aſſerit, *Agathias b*) denique illum

lum Achridum vel Ochridum vocat; Sed si dicendum quod res est, *Tauresium* natalis, *Bederina* vero seu *Achridum*, quam deinde Imperator *Iustinianeam primam* adpellauit, & Archiepiscopalem sedem multis priuilegiis ornatam, ibi erexit *d*), locus, vbi Iustinianus educatus est, fuit.

a) Lib. IV. de ædif. Iust. *b*) Lib. V. *c*) Lib. XVII. c. 28. *d*) vid. Nou 11. & *Alemannus* ad Procopium pag. 14. conf. *Henrici Mascampii*: De Patria Iustiniani, Disquisitio, Duisburgi edita.

§. VII.

Mater Iustiniani fuit *Bigleniza*, soror Iustini senioris, pater vero *Sabbathius*, homo obscuro genere natus *a*), fuit; vnde errant, qui illum ex celeberrima *Aniciorum* familia, quâ nulla ferè inter Romanas gentes, teste *Prudentio b*), generosior, vel Christo deuotior fuit, oriundum esse existimant *c*), nec ad rem facit, quod in antiquis nummis *Iustinus*, imperatoris nostri auunculus, *Anicius* habeatur, fortasse enim ab Anicianis in familiam fuit cooptatus, aut sibi ipsi, vti *Alemannus d*) suspicatur, id nominis adsciuit.

a) Genealogiam Iustiniani *Alemannus* in not. ad Procopium pag. 68. sistit. *b*) Lib. I. contra Symmachum: de eadem familia multa Reinesius in Inscript. p. 66. *Lambecius* Libro XI. Biblioth. Vindebon. pag. 478. *Nesselius* in Catalogo Cod. MSStorum Biblioth. Vindeb. T. I. p. 4. & *Montfaucon* in Palæographia Græca p. 207. habent. *c*) in qua opinione est *Arnoldus Wion* de Aniciana familia gradu 20. & 21. & *Pitiscus* in Lexico voce, *Gens Anicia*. *d*) in not. ad Procop. pag. 14.

§. VIII.

Adoptatus ab auunculo suo *Iustino* Seniore *a*) & in imperii consortium Kal. April. A. C. 527. *b*) adscitus, mortuo hoc eodem anno, Kalendis Augusti vna cum *Theodora* vxore imperium suscepit, illud annos 38. menses 7. & dies 13. tenuit, annoque post

N. C. 565. *c*) vitam cum morte, ætatis circiter 82. annorum, commutauit.

a) Vnde *Alciatus* Lib. IV. dispunct. c. 10. & alii *Iustinum* Iustiniani parentem appellant. *b*) v. *Euagrius* Lib. IV. c. 9. *Auctor* Chron. Alexandrini & Nou. 47. c. 1. vbi Imperator eo die Romanorum rebus se a Deo superpositum ipse scribit, annosque imperii sui ab eodem die numerandos iubet. Vnde quam maxime *Grauina* errat, cum in Orig. iur. ciuil. p. 90. Iustinianum triennio ante a Iustino Cæsarem fuisse appellatum, dicit. *c*) *Victor* quidem *Tunnensis* Iustiniani coætaneus in Chronico, ab *Henrico Canisio*, *Iosepho Scaligero*, *Francisco Schotto* & Cardinali *d'Aguirre* edito, Chronicon Alexandrinum, & ex recentioribus *Philipp. Labbeus* in Chronico, *Carolus le Cointe* T. II. & *Alemannus* ad Procopium *Iustinianum* 39. annos regnasse dicunt, eiusque mortem in sequentem annum 566. differunt, verum historicos Græcos annos Imperatorum inchoatos aliquando integros, aliquando transactos appellare, eruditi obseruarunt. vid. *Pagi* diss. hypat. de Consul. Cæsar. p. 327.

§. IX.

Ad mores & ingenium *Iustiniani* quod attinet, plerique quidem *a*) scientiarum rudem & vacuum eum sibi fingunt, sed deceptos illos esse loco *Suidæ*, apud quem in editione Mediolanensi, quam *Demetrius Chalcondyles* seculo XVI. procurauit, ille ἀναλφάβητος legitur, cum tamen omnes Vaticani Codices Ἰȣςῖνος habeant, recte *Alemannus b*), *Triuorius c*), *Kusterus d*), *Relandus e*), *Natalis Alexander f*) aliique animaduerterunt *g*).

a) Nimirum *Alciatus* IV. Dispunct. 17. *Guil. Budæus* P. I. annot. ad *π*. *Du Pin* in Notit. Script. Eccles. p. 62. *b*) in not. ad Procop. p. 17. *c*) in Apologet. Obseru. c. 3. *d*) in not. ad Suidam. *e*) in Fastis Consul. pag. 691. *f*) Hist. Eccles. Seculo VI. p. 476. *g*) *Iustinus* enim scribere non potuit, vnde manum illius aliquis dirigebat, cum subscribendum esset libellis, v. *Borremansius* Var. lect. c. 4.

§. X.

§. X.

Quod autem Imperator noster ἀναλφάβητος non fuerit, ex eo potissimum patet, quod non solum ipse iudicia frequentauerit & sententias tulerit *a*), sed & multas nouas leges conceperit *b*), antiquas vero ad statum Imperii sui præsentem accommodauerit.

a) Hoc ipse Imperator diserte narrat in Nou. 88. *Litem nuper*, ait, *audientibus nobis* (*id quod publice in Regia raro non facimus*) *orta est controuersia* &c & in L. 12. C. qui potior. sunt in pign. *Assiduis aditionibus mulierum inquietati sumus*. *b*) vnde *Procopius* in anecdot p. 63. *Quæ sibi rescripto respondenda forent, hac non, vti mos est, Quæstori committebat, sed vt plurimum sumebat sibi pronuncianda* &c.

§. XI.

Has leges, ab Imperatore latas, *Franciscus Balduinus* ICtus, *in Iustiniano suo, seu de iure nouo commentariorum libris quatuor a*) pro ordine temporis collegit, examinauit, commentariisque suis egregie illustrauit.

a) qui Basil. 1569. 8. prodierunt, digni vt prælo iterum subiicerentur.

§. XII.

Nihil iam de *Iustiniani* progressibus in Philosophia *a*), Mathesi *b*) & Musica *c*) in medium proferam, hoc saltem dicam, eum studiis Theologicis a *Theophilo* præceptore suo ita fuisse imbutum *d*), vt non solum Conciliis ipse summa cum laude præsederit, & uarias ecclesiasticas turbas a Manichæis, Sabbathianis aliisque motas *e*), feliciter sopiuerit, sed etiam, editis scriptis *f*), suam in Theologia scientiam prodiderit.

a) v. *Agapetus* Iustiniani contubernalis in Parænesi. *b*) v. *Procopius* Lib. I. de ædific. *c*) v. *Alemannus* ad Procop. p. 88. *d*) De Theologica Imperatoris scientia v. *Liberati* breuiarium, c. 23. quod *Ioann. Garnier* Paris. 1675. edidit, notisque & dissertationibus egre-

gie illustrauit. e) v. *Arnold.* Kirchen- und Ketzer-Historie/ P. I. p. 248. & *Harduin.* in Act. Concil. T. II. p. 1283. f) quæ *Alemannus* ad Procopium p. 87. *Dupin* in noua Biblioth. Eccles. T. V. p. 55. aliique recensuerunt.

§. XIII.

Ad vitia Imperatoris nostri quod spectat, multi recentiorum omnia fere, nimirum ambitionem, vanam gloriæ cupiditatem, prodigalitatem, auaritiam, iniustitiam, simulationem, hæresin, & quæ alia sunt, in eo se inuenisse firmiter sibi persuadent, sed vix est, vt *Procopio*, affectibus suis sæpius indulgenti, ex quo pleraque sua habent, in omnibus assentiamur.

§. XIV.

Inprimis autem multi, vt *Baronius a*), *Colerus b*), *Paganinus Gaudentius c*) *auctor* dans le Traité de l'incertitude des sciences d) & *Hermannus Postius e*), Imperatori nostro, quod verbis: *diuina nostra, Numen nostrum, pientissimum oraculum, æternitas, perennitas nostra* &c. vsus fuerit, & diuinitatem quandam sibi tribuerit, vitio vertunt, verum, *Numen* non Deum semper sed potentiam, quando de Principe dicitur, apud scriptores veteres etiam Christianos denotare, recte viri doctissimi *Christoph. Cellarius f*) & *Gundlingius g*) monuerunt.

a) in Annal ad a. 527. n. 6. b) Parerg. c. 17. c) de Iustinianei seculi moribus P. I. c. 5. d) qui, in Gallicam linguam versus, Amstelod. 1715. 12. prodiit. e) in differt. Erfurt. de diuinis Imperatorum titulis eorumque origine. 1716. f) in præfat. ad Panegyr. veteres. *Qui sunt*, ait, *ordine medio, aut etiam incerto nomine, non abstinent quidem*, diuinum *aliquid*, *aut* numen *de imperatoribus dicere: sed vel solito illustriores tralationes sunt, vel temporum illorum consuetudo, qua, quæ olim consecrationis fuerant, tanquam majestatis dignitatem honoremque retinuerunt, etiam quum Christianis iam ritibus Imperatores publice addicti essent*, g) in Gundlingian. P. I. n.

I. n. 5. add. *Guido Paneiroll.* I. Var. lect. 2. & *Chifletius* in diss. Apologet. c. 2. & 3.

§. XV.

Quicquid tamen sit, in eo Imperatorem nostrum, quod *Theodoram* mulierem Scenicam & embolariam *a*), humilique conditione natam, cuius vitam *Gundlingius b*) belle describit, imaginem vero musiuo opere, Rauennæ dum adhuc viuebat, expressam *Alemannus* exhibet *c*), non solum in matrimonium duxerit, sed & imperium cum illa communicauerit, minime excusandum esse, censemus *d*).

a) narrat autor de antiquitate vrbis Constantinopolitanæ apud Alemannum ad Procopium p. 3. *Theodoram* in Embolo, vbi scilicet abiectissimæ meretrices corpora prostituebant, vnde apud Plinium Lib. VII. c. 48. *mulier embolaria*, habitasse, hinc non mirandum, quod illa, narrante *Victore Tununensi*, cancri plaga corpore toto perfusa, prodigiose vitam finierit. *b*) in Obseruat. Hall. T. I. n. 8. *c*) in not. ad Procop. p. 47. *d*) vnde etiam *Tiraquellus* in Lib. II. Connub. n. 2 *stolidum, mulierosum, flexum a mulieris arbitrio, in quam vellet partem*, eum nominat.

§. XVI.

Obstant quidem huic matrimonio Leges Romanæ, *a*) nimirum L. 44. D. de *ritu nupt.* rescriptum Constantini ad Gregorium in L. 1. C. de *natur. lib.* nec non rescriptum Impp. Valentiniani & Marciani ad Palladium in L. 7. C. *de incest. & inutil. nupt.* quæ Senatoriis viris matrimonia cum Scenicis mulieribus & meretricibus interdicebant; Sed *Iustinus* senior, non ipse *Iustinianus*, vt bene *Alemannus b*) monuit, has leges antiquauit, in fauorem matrimonii Iustiniani cum Theodora ineundi L. 23. C. *de nupt.* a Iustiniano sæpius, *c*) deinde confirmatam, promulgauit, eaque aditum ad meretricia connubia patefecit.

a) Scilicet L. Iulia & Papia Poppæa. v. Cl. *Heineccius* ad has LL. cap. 1. & 2. *b*) inscriptio enim L. 23. C. *de nuptiis* IVST. quæ in Codicibus manu exaratis reperitur ad *Iustini* non *Iustiniani* nomen interpretari debet.

conf. *Gabr. Triuorius* in diss. apolog. c. 3. & *Heineccius* in Comm. ad L. Papiam Popp. p. 147. *c)* in Nou. 89. c. 15. & Nou. 117. c. 4.

§. XVII.

Quod autem *Iustinianus* imperium cum *Theodora* coniuge sua communicauerit, & in rebus grauissimis eam consiliorum participem habuerit, scriptores eius ætatis ut *Zonaras a)*, *Procopius b)*, *Euagrius c)*, *Victor Tununensis d)*, imo ipse Imperator illud ingenue fatetur *e)*.

a) Lib. XIV. Annal. *b)* in anecdot. p. 47. *c)* Lib. IV. c. 10. *d)* in Chron. p. 37. *e)* in Nou. 8. cap. 1. *Hæc omnia*, inquit, *apud nos cogitantes*, & *hic quoque participem consilii sumentes eam, quæ a Deo data est nobis reuerendissimam coniugem* &c. conf. L. 3. C. *de quadr. præscript.*

§. XVIII.

Ex hoc *Iustiniani* nimio in *Theodoram* amore, varia, conquerentibus illius ætatis scriptoribus, in rempublicam redundarunt incommoda; *Theodora* enim callidissima fœmina imperii habenas sola fere dirigebat, magistratus suo arbitrio constituebat *a)* hæresiarchas fouebat *b)*, vtque varias in fauorem mulierum conderet leges, maritum commouebat.

a) inde omnes, qui prouincias & magistratus suscipiebant, fidem suam *Iustiniano* æque ac *Theodoræ* iureiurando adstringere debebant, formulam iuramenti in Nou. 8 Tit. 3. inuenies. *b)* quare bis anathemate semel ab *Agapeto*, iterum a *Vigilio* Pontifice Romano perculsa fuit vid. *Victor. Tununensis* ad Consulatum Iustini & *Gregorius* Lib. IX. epist. 36.

§. XIX.

Ita Imperator in L. 12. *qui potiores sunt in pignore*, mulieribus hoc priuilegium indulsit, vt omnibus indistincte mariti creditoribus, anteriorem etiam hypothecam habentibus, ratione dotis præferrentur; Eodem modo per Nouellam 134. c. 10. legi 30. C. *de adulter.* a Constantino latæ, in gratiam mulie-

lierum derogauit, adulteræ pœnam gladii remisit, verberatamque in monasterium detrudi voluit *a*).

a) plures leges ab Imperatore nostro in gratiam mulierum latas citat *Gipbanius* in Iustiniano p. 19. conf. *Merillius* VI. Obs. 14. *Paganinus Gaudentius* in expostulatione pro Iustiniano Imperatore, quæ in eius instar Academ. p. 56. reperitur. venerandi soceri nostri *Guilelm. Hieron. Bruckneri* programma: *An Iustinianus Imperator fuerit vxorius* a. 1705. editum & Dn. *Gundling*. T. I. Obs. Hall. 8. nec non J. H. *Boecleri* diss. De Justiniani favore erga fœminas. Argent. 1719.

§. XX.

Vitam imperatoris & res gestas multi Iustinianei seculi scriptores, nimirum *Agathias*, *Corippus*, *Euagrius*, *Ioannes Scholasticus*, *Iornandes*, *Isidorus Hispalensis*, *Cassiodorus*, *Malala*, *Cedrenus*, *Theophanes*, *Liberatus*, *Diaconus*, *Marcellinus* comes, *auctor* appendicis ad Marcellinum, *Theophilus* abbas, *Zacharias*, *Victor Tununensis*, *autor* historiæ Miscellæ, aliique consignarunt *a*).

a) Nec minus Clariss. *Abrah. Wieling* doctissimum Schediasma de Iustiniano & Theodora Franeck. 1729. 4. edidit.

§. XXI.

Omnibus tamen hisce scriptoribus *Procopius* Cæsariensis *a*) qui Iustiniani ætate vixit, plurimorumque eius factorum, quæ literis consignauit, spectator fuit, palmam præripit. Is enim, de rebus ab Imperatore nostro gestis, octo libros *b*) conscripsit, eos legendos illi tradidit, ac viuus adhuc in publicum emisit.

a) notitiam huius auctoris succinctam *Alemannus* in præf. ad Anecdota dedit; conf. *Martinus Hanckius* de rerum Byzantin. scriptoribus Part. I. c. 5. & *Pope Blount* in Censura celebr. auctor. p. 323. *b*) optima editio Procopii est *Claudii Maltreti*, quæ Paris. 1663. in f. Græce & Latine, cum eius variis lectionibus & emendationibus prodiit.

§. XXII.

Hisce octo libris nonum supplementi loco *Procopius* addidit, eumque ἀνέκδοτα inscripsit, in quo multa de *Iustiniano* eiusque facinoribus, auaritia, violentia, venali iustitia, iuris ab eo constituti ambiguitate, innouandique studio, vt & de *Theodoræ* maioribus, meretricio vitæ genere, fastu, vsurpatoque imperio narrantur *a*).

a) recensionem huius libri inuenies apud Dn. *Struuium* in histor. iur. p. 264. & *Georg. Beyerum* Spec. II. auct. iuridic. p. 94.

§. XXIII.

Hæc Procopii ἀνέκδοτα *Nicolaus Alemannus* Bibliothecæ Vaticanæ custos in publicum protraxit *a*), notis illustrauit, operique duas præfationes, quarum vna de Procopio & arcana eius historia iudicium continet, altera vero ad lectorem de Procopii libris & sua editione inscribitur, præmisit.

a) Græce & Latine Lugduni 1623. f. quæ postea Coloniæ Agrippinæ 1669 in f. cum aliis *Procopii* operibus Paris. 1663. in f. vt & Helmstadii cum animaduersionibus *Eichelii* a. 1654. prodierunt.

§. XXIV.

Varios autem *Procopius* eiusque editor *Alemannus* nacti sunt aduersarios, nimirum *Gabrielem Triuorium* Gallum *a*), *Thomam Riuium* Anglum *b*) & *Ioannem Eichelium* Germanum *c*), qui omnia, quæ Procopii & Alemanni fidem labefactare possunt, collegerunt, verum Alemanno ab Eichelio aliisque minime satisfactum esse, viri doctissimi *d*) indicarunt.

a) in Obseruat. apologet. ad inscriptionem orationis ad antecessores Digestis præmissæ Paris. 1631. 4. *b*) in defensione Iustiniani contra Alemannum Francof. 1618. 8. *c*) Titulus libri est: Ἀνέκδοτα siue historia arcana Procopii Cæsariensis, plerisque in locis falsitatis conuicta ab *Ioann. Eichelio* Helmst. 1654.

1654. 4. *d*) v. Dn. *Thomasius* in Næu. n. 3. Dn. *Gundling*. T. I. Obs. 7. & Dn. *Hoffmann* in histor. iur. p. 271.

§. XXV.

Ex recentioribus Iustiniani vitam *Franciscus Hottomannus a*), *Ioannes Cuspinianus*, *Ægidius Perrinus b*), *Obertus Gipbanius c*), *Franciscus Guinetus d*) & *Ioannes Chifletius e*) scriptis consignarunt; orthodoxiam vero Imperatoris *Arnoldus Coruinus f*) & *Conrad. Samuel Schurzfleisch g*) probare annisi sunt.

a) qui vitam Imperatoris Comment. ad Institutiones præmisit. *b*) huius vita Iustiniani editioni corporis iuris glossati Lugd. 1589. accessit. *c*) Ingolstad. 1591. *d*) Paris. 1628. 8. quos ambo *Christoph. Arnoldus* Norib. 1660. 12. coniunctim edidit. *e*) in apologet. differt. *de iuris vtriusque architectis*, *Iustiniano*, *Triboniano*, *Gratiano & Raymundo* Antuerp. 1651. excusa. *f*) in libello cui tit. *Imperator Iustinianus Catholicus*. *g*) in differt. cui tit. *Iustinianus Orthodoxus*.

§. XXVI.

In componendo nouo hoc iuris corpore Imperator Iustinianus *Triboniani* primarii ministri, viri sua ætate doctissimi, in quem summam fiduciam *a*) collocauerat, opera potissimum usus est.

a) v. §. 9. Constit. *de confirmat. Dig. ad Senat. & omn. pop.* §. 2. Constit. *de emend. Cod.* & L. 1. §. 3. C. *de V. I. E.*

§. XXVII.

Hic *Tribonianus*, qui in Pamphilia natus, & Macedoniani filius erat, ab Imperatore nostro primum Magister officiorum, & deinde quæstor fuit creatus, & quamuis propter horrendam seditionem Byzantii excitatam, fuerit exauctoratus, mox tamen receptus ad Consularis dignitatis fastigium assurrexit *a*).

a) v. *Procopius* de bello Pers. Lib. I. c. 24. & 25.

§. XXIIX.

Ad vitam & indolem *Triboniani* quod attinet, ſcriptores inter ſe non conueniunt, quidam enim laudes eius nimis efferunt, alii contra in eum præter meritum acerbi ſunt, ſeque omnia flagitia in hoc viro inueniſſe credunt *a*); Ita Procopii æqualis *Heſychius b*) & *Suidas c*) paganiſmi & atheiſmi Tribonianum accuſant, *Giphanius* contra *d*) & *Guinetus e*) relationem hanc ridiculæ vanitatis pleniſſimam fabulam dicunt.

a) Eiusmodi homines non aſſentiuntur maioribus noſtris,
Qui præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco &c.
Sed.
Vt libet illudunt, lacerant impune, manusque
Tingunt magiſtri ferietas ſanguine.
Hinc in Satyra Menippea *Lipſii* inter ICtos etiam clamores & confuſæ voces Triboniani audiuntur: *Ecce me infelicem! & ô vanos labores meos! non corrigunt me ſolum, ſed corripiunt, quaſi mala imo nulla fide in exſcribendis legibus verſatum* &c. *b*) de viris illuſtribus. *c*) voce Τριβωνιανός. vid. *Colerus* Parerg. cap. 17. *d*) in vita Iuſtiniani p. 63. *e*) in vita Iuſt. p. 37.

§. XXIX.

Eodem modo auaritiam *Triboniani*, quodque leges pretio fixerit atque refixerit *Procopius a*), *Suida b*), *Harmenopolus c*), *Coelius Rhodiginus d*) & *Ludouicus Viues e*) notant; *Guilielmus* autem *Maranus f*) & *Ioannes Chifletius g*) eum ab auaritiæ crimine abſoluunt, & ad leges figendas refigendasque non tam pretio quam inconſtantia rerum humanarum adductum fuiſſe, probare ſatagunt.

a) de bello Perſ. Lib. I. *b*) l. c. *c*) in προχείρῳ Lib. I. Tit. 1. *d*) Lib. XXII. Lect. antiqu. c. 20. *e*) de cauſſis corrupt. art. Lib. I. *f*) in comment. de æquit. & iuſtit. *g*) in diſſert. apologet. c. 2.

§. XXX.

§. XXX.

Alii, vt *Iacobus Ræuardus a*) & *Hieronymus d'Oroz b*), Triboniano, quod multa Iustinianum seque in iure constituisse, quæ iam pridem ab aliis tradita sunt, gloriatus sit, obiiciunt, verum potuisse eum in leges desuetudine abolitas, a se vero reuocatas, ius aliquod Imperatori sibique vindicare recte *Iacobus Cuiacius c*) & *Radulphus Fornerius d*) monuerunt, hacque ratione Tribonianum excusarunt.

a) in Triboniano seu de veris vsucapionum differ. *b*) in apicib. iur. ciu. Lib. V. c. 7. *c*) Lib. VIII. Obs. 16. *d*) Lib. I. Rer. quotid. cap. 17.

§. XXXI.

Nec minus merum esse *Francisci Hottomanni a*), & qui eum sequuntur, commentum, quasi Tribonianus veterum ICtorum libros, ne sua facinora, in digestis commissa, deprehenderentur, suppresserit, illosque flammis mandauerit, censemus; sicuti enim illud L. vnic. §. 9. in f. C. *de caduc. toll.* refellit, ita *Papiniani* libros quæstionum seculo XIV. integros superfuisse, ex *Harmenopulo b*) nouimus.

a) in Anti-Tribon. c. 11. *b*) Lib. II. promtuar. Tit. 4. & *Gaii* Institutiones seculo adhuc XI. integriores superfuisse, quam hodie illas habemus, ex Cyni loco Ampliss. *Bynckersboeckius* in tract. de rebus mancipi c. 7. ostendit.

§. XXXII.

Inter omnes autem Triboniani insectatores primo loco mihi *Franciscus Hottomannus* ICtus Gallus nominandus videtur, quippe qui integro libello *a*) admodum acerbe Tribonianum impetere aggressus est, sed sicuti Iustinianeæ Iurisprudentiæ iniquior est, & quod in aliis scientiis artibusque *Cornelius Agrippa* fecit, idem fere in Iustiniani libris *Hottomannus* tentare videtur, ita quibusdam eius dubiis ex pro-

§. XXIIX.

Ad vitam & indolem *Triboniani* quod attinet, scriptores inter se non conueniunt, quidam enim laudes eius nimis efferunt, alii contra in eum præter meritum acerbi sunt, seque omnia flagitia in hoc viro inuenisse credunt *a*); Ita Procopii æqualis *Hesychius b*) & *Suidas c*) paganismi & atheismi Tribonianum accusant, *Giphanius* contra *d*) & *Guinetus e*) relationem hanc ridiculæ vanitatis plenissimam fabulam dicunt.

a) Eiusmodi homines non assentiuntur maioribus nostris,
Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco &c.
Sed.
Vt libet illudunt, lacerant impune, manusque
Tingunt magistri svietas sanguine.
Hinc in Satyra Menippea *Lipsii* inter ICtos etiam clamores & confusæ voces Triboniani audiuntur: *Ecce me infelicem! & ô vanos labores meos! non corrigunt me solum, sed corripiunt, quasi mala imo nulla fide in exscribendis legibus versatum* &c. *b*) de viris illustribus. *c*) voce Τριβωνιανός. vid. *Colerus* Parerg. cap. 17. *d*) in vita Iustiniani p. 63. *e*) in vita Iust. p. 37.

§. XXIX.

Eodem modo auaritiam *Triboniani*, quodque leges pretio fixerit atque refixerit *Procopius a*), *Suida b*), *Harmenopolus c*), *Coelius Rhodiginus d*) & *Ludouicus Viues e*) notant; *Guilielmus* autem *Maranus f*) & *Ioannes Chifletius g*) eum ab auaritiæ crimine absoluunt, & ad leges figendas refigendasque non tam pretio quam inconstantia rerum humanarum adductum fuisse, probare satagunt.

a) de bello Pers. Lib. I. *b*) l. c. *c*) in προχείρῳ Lib. I. Tit. 1. *d*) Lib. XXII. Lect. antiqu. c. 20. *e*) de caussis corrupt. art. Lib. I. *f*) in comment. de æquit. & iustit. *g*) in differt. apologet. c. 2.

§. XXX.

§. XXX.

Alii, vt *Iacobus Ræuardus a*) & *Hieronymus d'Oroz b*), Triboniano, quod multa Iustinianum seque in iure constituisse, quæ iam pridem ab aliis tradita sunt, gloriatus sit, obiiciunt, verum potuisse eum in leges desuetudine abolitas, a se vero reuocatas, ius aliquod Imperatori sibique vindicare recte *Iacobus Cuiacius c*) & *Radulphus Fornerius d*) monuerunt, hacque ratione Tribonianum excusarunt.

a) in Triboniano seu de veris vsucapionum differ. *b*) in apicib. iur. ciu. Lib. V. c. 7. *c*) Lib. VIII. Obs. 16. *d*) Lib. I. Rer. quotid. cap. 17.

§. XXXI.

Nec minus merum esse *Francisci Hottomanni a*), & qui eum sequuntur, commentum, quasi Tribonianus veterum ICtorum libros, ne sua facinora, in digestis commissa, deprehenderentur, suppresserit, illosque flammis mandauerit, censemus; sicuti enim illud L. vnic. §. 9. in f. C. *de caduc. toll.* refellit, ita *Papiniani* libros quæstionum seculo XIV. integros superfuisse, ex *Harmenopulo b*) nouimus.

a) in Anti-Tribon. c. 11. *b*) Lib. II. promtuar. Tit. 4. & *Gaii* Institutiones seculo adhuc XI. integriores superfuisse, quam hodie illas habemus, ex Cyni loco Ampliss. *Bynckersboeckius* in tract. de rebus mancipi c. 7. ostendit.

§. XXXII.

Inter omnes autem Triboniani insectatores primo loco mihi *Franciscus Hottomannus* ICtus Gallus nominandus videtur, quippe qui integro libello *a*) admodum acerbe Tribonianum impetere aggressus est, sed sicuti Iustinianeæ Iurisprudentiæ iniquior est, & quod in aliis scientiis artibusque *Cornelius Agrippa* fecit, idem fere in Iustiniani libris *Hottomannus* tentare videtur, ita quibusdam eius dubiis ex pro-

professo oratione speciali *b*) *Antonius Schultingius* respondit.

a) Anti-Tribonianus dicto, qui Gallice ab auctore ad mentem *Michaëlis Hospitalii* est conscriptus, & a. 1605. post obitum auctoris editus, ab anonymo vero in sermonem Latinum translatus, Hamburgi a. 1647. sub tit. Anti Tribonianus siue de studio legum prodiit. Fuere equidem, qui *Hottomannum* auctorem huius Scripti esse, dubitarunt, sed dubitationem omnem eximit filius eius *Ioannes*, qui in epistola ad Nicolaum Brulartium Silerium illud parenti aperte tribuit. *b*) Franeckeræ 1695. habita, qua disquiritur; Culpandusne sit Tribonianus, quod ICtor. qui stante libera republica Romana claruere, scripta suppresserit, ac posteriorum, qui sub Imperatoribus floruere, responsa in Pandectas retulerit.

§. XXXIII.

Quamuis autem negandum non sit, Tribonianum humani quid in colligendo iure Iustinianeo passum fuisse, illi tamen, qui talia conuicia in eum euomunt, suo nimium ingenio, suisque indulgent affectibus; quare vtilem meo quidem iudicio *Ioannes Chifletius a*), *Radulphus Fornerius b*), *Guilielmus Maranus c*), *Vlricus Huberus d*) & *Ianus Vincentius Grauina e*) operam præstitisse videntur, quod afflictam Triboniani existimationem ab eiusmodi imputationibus liberare studuerint *f*).

a) in differt. *de iuris vtriusque architectis Iustiniano, Triboniano, Gratiano & Raymundo.* *b*) Lib. I. Rer. quot, c. 17. *c*) de recta iur. docendi rat. & de antecessorum delectu Tholos. 1615. 8. *d*) in digression. Iustin. Lib. III. c. 16 *e*) in Orig. iur. ciu. p. 95. *f*) conf. *Jo. Francisc. Ramos.* apparatus s. De Triboniano & iuris peritis Somnium Criticum, quod in eius Triboniano s. Erroribus Triboniani de pœna parricidii, libro primo reperitur.

CAP.

CAP. II.

DE CODICE IVSTINIANEO.

§. I.

HIc itaque Imperator *Iustinianus*, posteaquam Persas coërcuit, Vandalos ex Africa eiecit, alias vero gentes quamplurimas suæ subiecit potestati *a*), ad enucleandum vniuersum ius vetus, quod inter desperata tum temporis collocabatur, animum adpulit, ac eiusmodi ius, quod in ipsis obtineret rerum argumentis, componere studuit.

a) v. L. 2. p. C. *de V. I. E.* *b*) v. proœm. Instit. & *Christfried. Wachtleri* de vet. iur. enucleando ad Nicetam Spilium Διάσπασμα Argent. 1684. edit.

§. II.

Prima autem *Iustiniani* cura fuit, superiorum principum constitutiones, quas, antea vagas & confusas *Gregorius* & *Hermogenes* ICti priuato studio, *Theodosius* vero iunior publica auctoritate in peculiares Codices coniecerant, colligere, in iustum corpus quoddam illas deducere, hocque sub felici sui nominis vocabulo edere. *a*)

a) sunt verba Imperatoris in Constit. ad *Senatum vrbis Constantinopol. de nouo Codice faciendo.*

§. III.

Causas huius collectionis Imperator sat graues allegat *a*), nimirum I. vt prolixitatem litium amputaret; II. multitudinem constitutionum resecaret, & III. eas in vnum corpus colligeret: Vnde gloriæ cupiditatem minime huius collectionis causam fuisse, etsi αὐτοκρατωρίαν in *Iustiniano* præ cæteris Orientis Imperatoribus eluxisse haud diffiteamur, statuimus.

a) in proœm. Constit. *de nou. Cod. faciendo.*

§. IV.

§. IV.

Laborem hunc Imperator decem viris illustribus & doctissimis *a*) anno post N. C. 528. commisit, iisdemque addendi detrahendique facultatem dedit, qui arduum hoc opus intra anni spatium absoluerunt, nouum *Codicem Iustinianeum*, ex tribus antea recensitis Codicibus & illis, quæ post *Theodosium* iuniorem vsque ad *Iustinianum* Imperatores sanxerant, collectum, confecerunt, eundemque Imperatori obtulerunt *b*).

a) qui pr. Constit. *de nouo Codice faciendo* recensentur.
b) v. §. 2. Constit. *de Iustinianeo Codice confirm.*

§. V.

Verum enim vero, quamuis Imperator, abolitis tribus anterioribus Codicibus *Gregoriano* nimirum, *Hermogeniano* & *Theodosiano*, Codicem suum publice receperit, & singulari constitutione *a*) Id. April. A. C. 529. confirmauerit, post Institutionum tamen & Pandectarum compositionem ille iterum reiectus, aliusque, repetitæ prælectionis dictus, fuit compositus, de quo suo loco dicemus.

a) v. Constit. *de confirm. Cod. Iustin. ad Mennam Præf. Prat.* directa.

§. VI.

Ex hoc Codice nonnullæ in Institutionibus allegantur constitutiones, quæ deinde in Codicem repetitæ prælectionis non translatæ, & iniuria temporum extinctæ sunt, adeoque hodie desiderantur *a*).

a) Exemplum præbet §. 24. Instit. *de action.* v. *Cuiacius* XII. Obs. 22.

§. VII.

Ad historiam huius Codicis Constitutio, *de nouo Codice faciendo ad Senatum vrbis Constantinopolitanæ* A. C. 528. nec non, Constitutio *ad Mennam Præfectum Prætorio* A. C. 529. directa, faciunt.

CAP,

CAP. III.

DE DIGESTIS SEV PANDECTIS.

§. I.

Confecto Codice Iustinianeo Imperator ad immensa veterum ICtorum volumina, quorum numerus secundum *Triboniani* calculum ad duo millia, vel, vt Imperator ait, ad plus quam trecenties millia versuum assurgebat *a*), se conuertit *b*), ex illis certum corpus compilari iussit, eique ad imitationem *Iuliani*, *Celsi*, *Marcelli*, *Alpheni*, *Scæuolæ*, *Vlpiani* & *Modestini* Digestorum & Pandectarum nomen dedit *c*).

a) v. L. 2. & 3. §. 1. C. *de V. I. E.* *b*) v. §. 2. pr. I. *c*) Solebant veteres libros suos *Pandectas* & *Digesta* inscribere, de *Tyronis* Ciceronis liberti τ̃ vid. *Gellius* XIII. 9. eodem modo *Cælii Apicii* Lib. IV. de re culinaria πανδέκτης inscriptus est, v. *Pancirollus* II. Var. lect. c. 184. *Ioseph. Nerius* I. Anal. 38. *Petr. Perrenonius* I. Var. lect. 22. *Caroli Seluagbii*, de origine, ethymo & præstantia Pandectarum, recitationes, quæ T. I. Thes. Iur. Ciu. reperiuntur. quod autem Pandectæ & Digesta differant, *Colerus* c. 23. Parerg. monuit.

§. II.

Dicitur hoc corpus *Digesta*, quia omnia suo ordine proposita sunt, & digesta; *Pandectæ* vero ἀπὸ τῦ πᾶν καὶ δέχομαι, quia omnes iuris materias plenissime tractatas continent; vel vt ipse Imperator ait *a*), *Digesta* vt iuris antiqui διαιρέσεις καὶ διατυπώσεις, *Pandectæ* vero ἐκ τῦ τὸ πᾶν εἰς ἓν ἀθροισθὲν ὑποδέξασθαι.

a) v. §. 1. Constit. *Tanta* & L. 2. §. 1. C. *de V. I. E.*

§. III.

Vtrum vero Pandectarum genus masculinum sit, an

an fœmininum? neque inter Grammaticos, neque ICtos conuenit; *Antonius* enim *Augustinus a)* & qui eum sequuntur *Antonius Faber b)*, *Iosias Mercerus c)*, *Iacobus Gutherius d)*, *Petrus Burmannus e)*, *Laurentius Theodorus Gronouius f)*, *Euerard Otto g)*, *Henricus Stephani h)*, aliique pro virili Pandectarum pugnant genere: a contraria parte *Isaacus Casaubonus*, *Obertus Giphanius*, *Christian Becmann. i)* & *Basilius Faber k)* consistunt.

a) in præfat. Tract. de Nominibus propriis τῶ πανδέκτη præmissa. b) Lib. I. Coniect. 14. c) in vita *P. Pithæi.* d) de offic. Dom. Aug. Lib. I. e) ad calcem Petronii. f) In emendat. Pand. ad exemplar Florent. c. 21. g) in dissert. ad L. 28. §. 27. *ad L. Falcid.* h) de abusu linguæ Græcæ p. 12. i) in schediasm. philog. p. 36. k) in Thes. Latin.

§. IV.

Alii, ne terminatio offenderet, in singulari enunciarunt, & *Pandecten Florentinum* dixerunt a), rursus alii, vt *Philippus Pareus b)*, in singulari masculini generis esse, in plurali fœminini contendunt, alii tandem alia vt *Franciscus Broeus c)* & *Cornelius Eckius d)* in medium afferunt, de quibus omnibus doctissimus *Henricus Brenckmannus e)* ex professo tractauit.

a) vt *Paganinus Gaudentius* de Iustin. seculi mor. Lib. II. c. 29. & *Iac. Aug. Thuanus* de vita sua. b) in Lexico Crit. h. voce. c) ad procem. Instit. d) in Princip. iur. Ciu. ad Tit. de *orig. iur.* e) in histor. Pand. Lib. III. c. 6.

§. V.

Si itaque dicendum quod res est, probabilior eorum videtur sententia, qui Pandectarum nomen masculini generis esse statuunt, quam qui muliebri sexu illud efferunt a), vnde bene faciunt, qui vitandæ litis gratia Digestorum non Pandectarum nomine vtuntur.

a) Nec

a) Nec obſtat §. 11. I. *de nupt.* ibi: Quas in libris Digeſtorum ſeu Pandectarum ex vetere iure collectarum enumerari permiſimus, Codices enim MSCtos in Inſtitutionibus h. l. variare, optime *Laur. Theodor. Gronov.* in Emend. *π*. c. 21. monſtrauit.

§. VI.

Huic labori Imperator *Tribonianum* præfecit, eique facultatem dedit, vt quos probauerit *tam ex facundiſſimis anteceſſoribus, quam ex viris diſertiſſimis togatis ad ſociandum laborem* eligeret *a*), qui etiam XVI. viros *b*), partim iuris in academiis Conſtantinopolitana & Berytenſi Profeſſores, partim cauſarum forenſium patronos prudentiſſimos, ſibi adiutores elegit.

a) v. L. 13. C. *de V. I. E.* *b*) qui recenſentur §. 9. Conſtit. Tanta *de confirmat. Digeſt.* & in L. 2. & 3. §. 9. C. *de V. I. E.*

§. VII.

Hiſce XVII. viris Imperator, vt omnes veterum ICtorum libros & legerent, & elimarent, omnem ex illis materiam colligerent, nullas nec tautologias nec antinomias relinquerent, corpus hoc ſecundum ordinem in Codice & Edicto Perpetuo ſeruatum colligerent, nihil, quod neceſſarium eſſet, omitterent, & tandem nomina ICtorum, ex quorum libris Leges erant hauſtæ, cuilibet legi præmitterent, iniunxit *a*).

a) v. §. 5. Conſtit. *de concept. Dig.* & L. 1. §. 5. C. *de V. I. E.*

§. VIII.

Facultatem præterea Imperator *Triboniano* eiusque in componendo Digeſtorum corpore adiutoribus dedit, vt, quod in veterum ICtorum libris non bene poſitum eſſet, emendarent, corrigerent, & ad ſeculi Iuſtinianei mores accommodarent *a*).

a) v. L. 1. § 7. C. *de V. I. E.*

§. IX.

Hi itaque viri præſtantiſſimi veteris prudentiæ volumina, quæ ab ineunte ætate familiaria habuiſſe, dignum eſt credere, ſumma diligentia pervolutarunt, & ex illis, quod dignum & moribus ſeculi ſui conueniens iudicarent, ſub certos libros & titulos retulerunt, cuique legi ICti nomen & librum, toti vero operi indicem prudentum, ex quorum libris illud compoſitum fuit, præmiſerunt *a*).

a) Iuſſerat enim Imperator in L. 3. §. 10. C. *de V. I. E.* vt non ſolum a quo ICto ſingula accepta eſſent, ſignificaretur, ſed etiam vno loco omnium librorum, ex quibus Digeſta exſcripta fuerant, index ſcriberetur, qui tamen index imperfectus eſt, nec omnes continet libros, ex quibus Leges deſumtæ ſunt. v. *Cuiacius* I. Obſ. 21. *Byntersboeckius* ad L. Rhodiam de Iactu. p. 5. & Cl. *Wieling* in Iurispr. reſtit. p. 61.

§. X.

Hic *Index* ante MSCtum Florentinum magna parte Græce ſcriptus deprehenditur, habet eum etiam editio Haloandrina, qui tamen Latine ſcriptus, a Florentino aliquot locis diuerſus, & ex *Angelo Politiano a*) deſumtus eſt *b*).

a) Et quidem ex epiſt. eius vltima Lib. V. ad *Iacobum Modeſtum Pratenſem* conſcripta, *b*) v. *A. Auguſtini* Emend. & opin. p. 31. & *Laur. Theodor. Gronou.* Emend. π. p. 69.

§. XI.

In numero tamen iurisprudentium, ex quorum libris leges Digeſtorum deſumtæ ſunt, aſſignando, Doctores non conueniunt; *Gregorius* enim *Holoander* XXXIX. *Taurellus* XXXIIX. *Guilielmus Budæus a*) XXXVII. *Ioannes* denique *Mercerius b*) XXXVI. numerat, ſed *Taurelli* ſententiam veriorem eſſe, *Laurentius Theodorus Gronouius c*) & *Bernhardus Henricus Reynoldus d*) commonſtrarunt *e*).

a) In

a) In not. ad *π*. p. 47. b) in conciliat. pag. 13. c) in emendat. *π*. p. 82. d) in notis ad *Mercerii* conciliatorem p. c. e) *Taurellum* tamen & *Gronouium* Claudii Saturnini & Terentii Clementis oblitos esse, V. C. *Wieling* in iurispr. restit. & quidem in praeterm. ad Labittum & Schmuckium pag. 210. monuit.

§. XII.

Ordinem etiam Edicti Perpetui a *Triboniano* eiusque adiutoribus in Pandectis componendis, vti Imperator iusserat a), seruatum fuisse, non solum antiqui iuris interpretes, sed etiam multi recentiorum vt *Antonius Augustinus* b), *Franciscus Duarenus* c) *Georg. Frantzkius* d) & *Kleinschmidius* e) firmiter sibi persuadent.

a) v. L. 1. §. 5. C. *de V. I. E.* b) Lib. I. emend. & opin. c. 1. c) Lib. I. disput. anniuers. c. 55. d) in comment. ad *π*. pr. n. 3. e) in praecogn. iur. Tract. IV. Sect. 11. n. 36.

§. XIII.

Sed, quamuis negandum non sit, Digestorum confectores, vt potuerunt & debuerunt, Edicti Perpetui ordinem fuisse secutos: non tamen semper & vbique eum obseruasse a), multosque titulos, qui in Edicto non reperiebantur, illos Digestis inseruisse, vna cum *Dionysio Gothofredo* b), *Hagemeiero* c), *Erico Mauricio* d), *Cornelio Bynckershoeckio* e), & *Henrico Brenckmanno* f) statuimus.

a) Exemplo erunt ICti praecipue *Paullus* & *Vlpianus*, qui ad Edictum commentati sunt, quae enim illi in primis ad Edictum libris tractarunt, ad finem *π*. leguntur, rursus, quae illi extremis exhibent libris, in principio Digestorum proponuntur; b) ad L. 2. *π de statu hom.* c) de auctor. iur. Lib. III. d) de Libr. iur. comm. §. 8. e) Lib. II. Obs. iur. cap. 25. f) in Diss. *De Legum inscriptionibus* §. 5.

§. XIV.

Cum itaque, Pandectarum ordinem non naturalem sed admodum singularem esse, ex deductis liqueat, in ordine illarum quærendo cum *Wesenbecio*, *Cuiacio*, *Frantzkio*, *Iacobo Gothofredo*, *Lemkenio* & perillustri *Lynckero* temporis iacturam non esse faciendam; non tamen omnem plane Digestorum ordinem cum *Connano*, *Donello*, *Titio*, *Boenickenio* aliisque reiiciendum esse, iudicamus.

§. XV.

Arduum hoc opus, quod Imperator decennio vix integrum perfici posse, existimabat, *Tribonianus* eiusque socii intra triennium absolverunt, illudque Imperatori obtulerunt; quam *Triboniani* festinationem, quamuis adeo non tulerit ægre Imperator, vt miraculi instar, tantum opus intra tres annos consummatum esse, potius habuerit *a*), merito *Arthurus Duckius b*), *Vigilius Zuichemus c*), doctissimus *Hoffmannus d*) aliique notarunt.

a) in L. 2. & 3. C. *de V. I. E. b*) de auctor. iur. Rom. Lib. I. c. 4. §. 8. *c*) in comment. ad. §. 4. l. *de milit. testam. d*) in hist. iur. p. 295.

§. XVI.

Oblatum a *Triboniano* Digestorum corpus Imperator publicauit, III. Kalend. Ian. anno post N. C. 533. vna cum Institutionibus confirmauit *a*), omniaque, quæ ibi habentur, sua fecit. *b*)

a) v. L. 2. §. 23. C. *de V. I. E. b*) v. §. 10. & 19. Constit. *Tanta de confirmat. Digest.* & §. 10. Constit. *dedit nobis Deus.*

§. XVI.

Vnde non immerito quæritur: Vtrum Pandectæ derogent Institutionibus, an hæ illis, quod, cum Institutiones & Digesta vno eodemque tempore iuris acceperint auctoritatem *a*), plerique negant, alterum-

terumque ex altero v. g. §. 25. I. *de Rer. Diuif.* ex L. 7. D. *de A. R. D.* §. fin. I. *de obligat.* ex L. 1. §. 1. D. *de O. & A.* §. 6. I. *de legat.* ex L. 34. §. 3. *de legat.* explicandum effe, ftatuunt.

a) v. L. 2. §. 23. *de V. I. E.*

§. XVIII.

Verum enim vero, licet intentio Imperatoris nequaquam fuerit, vt inftitutiones Pandectis, vel hæ illis derogare debeant, quippe qui vnicam intendebat legislationem, omnesque antinomias ex fua exulare iufferat iurisprudentia: non pauca tamen Digeftorum corpus continere capita, quæ abrogata in inftitutionibus reperiuntur, fi veritatem dicere velimus, fateri cogimur.

§. XIX.

Nec etiam hoc aliter, poftquam ex nouiffimis *Iuftiniani* conftitutionibus Inftitutionibus aliquid infertum *a*), diffenfusque Sabinianorum & Proculianorum in Digeftis relictus, in illis variis fub titulis fublatus fuit, fieri potuit; cuius rei famofum §. 34. I. *de R. D.* præbet exemplum, vbi reiecta *Paulli*, quam in L. 23. §. 3. *de R. V.* de pictura fouit, fententia, *Gaii* ICti *b*) fuit adprobata *c*).

a) Illarum conftitutionum, quarum in Inftitutionibus mentio fit, indicem *Iacobus Cuiacius* compofuit, *Ioannes* vero *van de Water* editioni fuæ Inftitutionum fubiecit. *b*) in L. 9. §. 2. *de A. R. D.* *c*) alia exempla in §. 14. I. *de legat.* & §. 2. *de Societ.* occurrunt.

§. XX.

Duas etiam Imperator confirmationi Digeftorum annectit prohibitiones, unam, ne quis leges per *figlorum* obfcuritates fub pœna falfi in pofterum fcribere audeat *a*), alteram, ne Legibus Pandectarum commentarii annecterentur, fed tantum *paratitla* confi-

 ceren-

cerentur *b*), verum, vtrumque neglectum fuisse, constat *c*).

a) v. Constit. *omnem* §. 8. & L. 2. §. 22. C. *de V. I. E.* de inuentore notarum furtiuique scribendi generis, vti *Gellius* XVII. 9. loquitur, vid. *Lipsius* Cent. 1. epist. 27. *Petrus Marcellinus Corradinus* in Veter. Latio Lib. II. c. 19. *Rad. Fornerius* III. Rer. Quot. c. 2. & 3. *b*) v. Constit. *Deo auctore* §. 7. & Constit. *Tanta* §. 21. *c*) ad posteriorem enim prohibitionem Imperatoris quod attinet, restauratores Iuris Iustinianei primum Summas. mox Glossas, deinde vero immanes Commentarios ad illud conscripserunt. Azonem autem primum hanc Imperatoris prohibitionem contemsisse, *Constantinus Labidus* Enarrat. c. 1. quae Tom. V. Thes. Iur. Ciu. p. 1308. reperiuntur, refert.

§. XXI.

Erant autem *sigla* litteræ singulares, seu singulæ, vti eas *Cicero a*) vocat, vel singulariæ, vt *Gellius b*) loquitur, quæ integram dictionem designabant, vt S. P. Q. R. *Senatus Populusque Romanus*, R. P. *Respublica*, D. M. A. *Dolus malus abesto*, M. *Mille* &c. a quibus notæ iuridicæ & actuariorum, vt & abbreuiaturæ, monogrammata, & consignationes litterarum, de quibus omnibus, post *Valerium Probum c*) *Ioannes Nicolai d*) & *Henricus Brenckmannus e*) erudite tractarunt, differebant.

a) in orat. pro Muræna. *b*) Lib. XVII. N. Attic. c. 9. *c*) de notis Romanorum interpretum, qui vna cum aliis eiusdem notæ auctoribus cura & cum notis *Friderici Lindenbrogii* Lugd. Batau. 1549. 8. prodiit. *d*) de siglis veterum Lugd. Bat. 1703. 4. *e*) in Histor. Pandect. Lib. II. c. 3. add. *Val. Guil. Förster* Lib. I. Lection. Succis. c. 24. *Ioseph. Nerius* II. Anal. 12. *Brisson.* IV. Sel. antiqu. c. 31. *Pancirollus* I. Var. c. 30.

§. XXII.

Non solum autem Romani *siglis* in Legibus, SCtis, Prætorum Edictis, actionumque formulis vtebantur *a*), sed etiam iurisperitorum, quæ extabant, scripta, magna parte per compendium litterarum erant expressa

pressa *b*); hinc euenit, vt *Tribonianus*, & qui in describendo iure ei operam commodarunt, in iis explicandis non raro lapsi fuerint, & sic antinomias *c*) in Ius Iustinianeum induxerint.

a) *Cicero* pro Muræna. *b*) hæc tamen inter figlas publicas & priuatas mihi intercessisse videtur differentia, quod illæ certæ, hæ arbitrariæ fuerint. *c*) De dissidiis legum, quæ ex figlis male intellectis nata sunt, vid. *Cuiacius* ad Vlpian. Tit. XI. *Foquelinus* ad Tit. I. de vulg subst. *Rad. Fornerius* III. Rerum Quotid. c. 2. & 3. *Ger. Noodt* Lib. II. Probab. c. 5. 19. & Lib. III. c. 3. & 5. de iurisd. Lib. I. c. 7. *Reynoldus* in not. ad Mercerii conciliatorem p. 44. *Petrus Pithœus* II. Aduerf. c. 15. & *Hermann. Noordkerk* obseruat. c. 1.

§. XXIII.

Ad *paratitla* quod refert, non titulorum illa erant explicationes, vt plerique falso credunt, sed titulorum ex aliis titulis repletiones, seu admonitoria; Dum itaque Imperator permisit *a*), vt titulis secundum paratitlorum vsum aliquid adscribatur, hæc eius mens fuit, vt liceat, quemuis ad titulos Pandectarum annotare, quæ aliis in titulis ac locis, illum ad titulum pertinentia, reperiuntur; quod plenius *Ioannes Leunclauius b*), *Ianus a Costa c*) & *Ægidius Menagius* exposuerunt *d*).

a) in §. 12. C. *de concept. Digest.* & §. 21. Const. *Tanta.* *b*) in præfat. *De priscor. paratitlorum vsu* tribus antiquis paratitlorum libris, Francof. 1593. editis præmissa. *c*) in præfat. ad Summaria Tit. X. *d*) in amœnit. iur. ciu. cap. 15.

§. XXIV.

Continent *Digesta* L. libros *a*) & CCCCXXXIII. titulos, etsi titulorum numerus variat, prout Digestorum variant editiones; Ita in editionibus *Dionysii Gothofredi* titulus *pro soluto* cum Tit. *De usurpationibus & vsucap.* coaluit, & a L. 46. h. t. incipit; eodem modo Tit. *de priuilegiis creditorum* coaluit cum Tit. *de*

de rebus auctoritate iudicis possidendis & a L. 16. h. t. incipit, qui tamen in Glossato iuris corpore, vt & in Haloandrina editione distinguuntur.

a) v. L. 1. §. 14. & L. 2. §. 1. C. *de V. I. E.*

§. XXV.

Leges in Digestis 9142. numerantur, quamuis Glossa 8134. tantum agnoscat, quae enim a *Iacobo Cuiacio* & *Antonio Contio* ex Basilicis sunt restitutae, & Digestis, inprimis sub Tit. *de interdictis & relegatis*, *& de bonis damnatorum* insertae *a*), pro spuriis habentur, nec ad causarum decisionem faciunt *b*).

a) Spuriae hae leges in editione *Dion. Gothofredi* litteris minusculis notantur. *b*) Etiam *Carl. Hannibal Fabrottus* LL. nonnullas, quae in Digestis deerant, ex Libro LX. Basilic. Tit. 52. & 54. edidit, quae post eius XII. Exercitationes reperiuntur.

§. XXVI.

Secundum Imperatoris constitutionem *a*) *Pandectae* centum quinquaginta millia continent versuum; Quid autem versuum nomine intelligatur, inter Doctores non conuenit; *Franciscus* enim *Duarenus b*); & *Iacob. Fridericus Ludouici c*) de integris versus explicant orationis membris seu periodis, huncque numerandi familiarem veteribus fuisse morem contendunt, *Antonius* vero *Contius d*), *Dionysius Gothofredus e*), & *Antonius Schultingius f*) non periodos sed lineas intelligunt.

a) L. 2. §. 1. C. *de V. I. E.* *b*) Lib. II. Disput. anniuers. c. 6. *c*) in hist. Pand. §. 28. *d*) Lib. I. Lect. Subces. 11. c. 8. *e*) ad L. 2. §. 1. C. *de V. I. E.* *f*) in pr. §. 4. ad πρῶτα.

§. XXVII.

Verum, cum antiqui loco distinctionum, commatum, & colorum nouis lineis, obseruante *Montfauconio a*), vsi fuerint *b*), illasque *versus*, quia vertitur stilus, dum nouam lineam incipimus, appellauerint, illorum sententia, qui versuum nomine, non inte-

integra orationis membra siue periodos, sed lineas in allegata Iustiniani constitutione venire, existimant, verior nobis videtur, quam etiam ex professo doctissimus *Nicolaus Hieronymus Gundlingius c*) defendit.

a) in Palæog. Græca Lib. I. c. 4. b) vnde *Augustus*, hunc veterem scribendi morem negligens, a *Suetonio* in eius vita c. 87. his verbis notatur. *Notaui & in chirographo eius illa præcipue, non diuidit verba, nec ab extrema parte versuum abundantes litteras in alterum transfert, sed ibidem statim subiicit circumducitque.* c) *Gundling.* Part. 4. n. 5.

§. XXVIII.

Habentur etiam in Digestis Græca, ex scriptis *Scæuolæ*, *Papiniani* & *Modestini* potissimum desumta, quæ quis Latine verterit, non satis constat; *Accursius* & *Antonius Augustinus* huius versionis *Bulgarum* faciunt auctorem; *Odofredus a*) contra, *Guido Pancirollus b*) & *Laurentius Pignorius c*) *Burgundioni* iudici & ciui Pisano eam tribuunt, quorum sententia, cum *Bulgarus* Græcarum litterarum omnino expers, *Burgundio* vero illis apprime eruditus fuerit *d*), & nobis probabilior videtur.

a) ad L. 11. D. *de legib.* b) Lib. II. *de clar. LL. interpret.* c. 15. c) Symbol. epistol. epist. 39. d) docente *Menagio* cap. 33. amœnit. iur. ciuil. Sed, quisquis ille fuerit, Græce non admodum peritus fuit, & pleraque perperam interpretatus est, v. *Menagius* ad Laërtium Lib. IV. segm. 50. *Otto* de Aedil. Colon. & Munic. c. 6. §. 3. & in Orat. De vera non simulata ICtorum philos. p. m. 301.

§. XXIX.

In *septem Digesta* ab Imperatore diuiduntur tractatus seu partes, quem septenarium numerum non perperam elegisse, sed *ad numerorum naturam & harmoniam* se respexisse ingenue fatetur *a*), in quo non minimum suæ superstitionis *Iustinianus* dedit argu-

mentum, vt recte, ex veterum superstitione *b*) hoc ortum esse, *Franciscus Duarenus* mihi dixisse videatur.

a) in L. 2. §. 1. & L. 3. §. 1. C. *de V. I. E.* *b*) veteres enim diuinitatem quandam septenario inesse numero crediderunt, v. *Gellius* Lib. II. c. 10. & *Macrobius* Lib. I. de Somn. Scip. c. 6. add. *Pancirollus* II. Var. lect. c. 184.

XXX.

Prima pars τὰ πρῶτα continet, & libris quatuor prioribus absoluitur; *Secunda* pars a libro quinto ad XII. vsque progreditur doctrinamque de iudiciis sistit; *Tertia* a XII. ad XIX. diuersas contractuum species tractat; *Quarta* a XX. ad XXVII. sese extendit & de hypothecis, emtionibus, locationibus, vsuris, probationibus, nuptiis & tutelis agit, mediaque totius operis, μέσον τῦ παντὸς, nec non vmbilicus Pandectarum vocatur *a*).

a) in L. 2. §. 5. & L. 3. §. 4. C. *de V. I. E.*

§. XXXI.

Quinta pars a libro XXIIX. ad XXXVII. doctrinam de successione testamentaria & legitima persequitur: *Sexta* a XXXVIII. ad XLV. de bonorum possessione, interdictis, actionibus & exceptionibus agit; *Septima* denique a XLV. ad finem vsque porrigitur, & materiam de verborum obligatione, vt & de delictis tam priuatis quam publicis continet *a*); Quae septem Digestorum partes in *Dionysii Gothofredi* editionibus accurate designantur.

a) Non tamen negari potest, plurima reperiri, quae sub aliis titulis commodius collocari potuissent, quales leges, fugitiuas dictas, *Cuiacius* ad Tit. I. *de grad. cogn.* collegit, conf. *Labittus* in vsu indicis ff. *Pithoeus* ad tit. 2. in f. Collat. LL. Mos. & Rom. & Cl. *Schulting* in prolegom. ad π.

§. XXXII.

§. XXXII.

Post restauratum, *Irnerii* potissimum studio, in Italia ius Iustinianeum, Digesta in *duo volumina* fuerunt diuisa, quorum alterum circa finem L. 82. *ad L. Falcidiam* incipit; quam diuisionem, antequam glossari inciperent ICti, receptam fuisse, *Albericus Gentilis a*) refert.

a) De lib. iur. ciu. p. 60.

§. XXXIII.

Tandem, *Bulgaro* auctore, vti vulgo creditur, Digesta in *tres* distincta sunt *partes*; Vetus, Infortiatum, & Nouum; *Vetus* ab initio incipit & in Titulo II. Libri XXIV. *de diuortiis & repudiis* finitur; *Infortiatum* seu potius infarctum, infarcitum, infertum *a*) a Titulo III. eiusdem libri orditur, & in vltimo Libri XXXIIX. Titulo desinit; *Nouum* denique reliquos libros ad finem vsque complectitur.

a) Varias huius vocabuli deriuationes glossa ad principium Infortiati, *Riccius* de lib. iur. aphor. 34.& *Ludouici* in historia *π*. §. 8. exhibent. add. *Ferandus Adduensis*, qui Lib. I. Explicat. in Tit. *solut. matrim.* a Græco nomine φορτίον, quod *onus* significat, illud deducit, nec non *Vossius* de vitiis Sermonis Lib. IV. c. 2. *Du Fresne* in Glossar. voce *fortiare* & *Corasius* epist. quæst. c. 22.

§. XXXIV.

Pandectæ vel per litteram D qua *Digesta*, vel per Græcorum *π*, quo *Pandectæ* denotantur, vel etiam per digramma ff. hodie allegantur, de quo postremo citandi modo variæ dantur Doctorum sententiæ seu potius coniecturæ *a*); nobis *Andreæ Alciati b*) coniectura, littera *π*, cui veteres circumflexum hac forma *π̃* suprapofuerunt, incuria librariorum digramma *c*) factum esse, existimantis, admodum probabilis videtur.

a) Quas recenset *Ludouici* in histor. *π*. §. 59. quibus addi possunt coniecturæ *Ferandi Adduensis*, *Ioannis Tilii*,

Tilii, & *Cattelliani Cottæ*, quorum *primus* in explic. Iur. Digesta olim perduplex. (*ll.*) ad denotandum librorum numerum, quos illa continent, fuisse allegata, *secundus* in libro Ration. Quotid. hoc ex errore venisse eorum, qui Longobardicum §. cum linea per mediam litteram illa traducta, adspexerunt, *tertius* in Memoral. voce *Pandecta*, Pandectas per *ff.* scribi, quod *factæ fuerint*, existimat. Imo *Clericus* Tom. XXIII. Biblioth. ancienne & mod. aliquem *ff.* *farraginem farraginum* denotare dixisse, scribit. *b*) Lib. III. dispunct. c. 16.

§. XXXV.

Historiam Pandectarum Constitutiones Imperatoris Iustiniani *de conceptione & confirmatione Digestorum*, & quæ sub Titulo XVII. Libri I. Cod. *de veteri Iure enucleando & de auctoritate prudentium* reperiuntur, nec non *Iacobus Fridericus Ludovici a*) sistunt.

a) In historia Pandectarum doctrinæ eius Pandectarum Halæ 1709. 8. editæ præmissa.

CAP. IV.

DE ILLIS QVÆ PRÆTER MERITVM ET MERITO IN DIGESTORVM LIBRIS A DOCTORIBVS REPREHENDVNTVR.

§. I.

NOn defuerunt, nec adhuc desunt, qui acriter in *Tribonianum* ceterosque Digestorum inuehantur confectores, quod non bona satis fide in excerpendis, inque decorum ordinem redigendis veterum ICtorum libris & responsis versati fuerint *a*).

a) Immemores illius *Ciceronis* pro Plancio c. 23. *Nihil est tam volucre, quam maledictum, nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur.*

§. II.

§. II.

Quodsi enim *Alciati*, *Budæi*, *Balduini*, *Cuiacii*, *Hottomanni*, *Duareni*, *Contii*, *Pancirolli*, *Amelini*, *Prateii*, *Ræuardi*, *Fabrorum*, *Matthæi*, *Wissenbachii*, *Thomasii* aliorumque euoluamus scripta, multa inuenimus animaduersa, quorum nomine *Tribonianus* cum adiutoribus suis reprehendatur, ac incuriæ, negligentiæ, inscitiæ, imprudentiæ & audaciæ accusetur.

§. III.

Sicuti autem cum hisce minime faciendum est, qui nunquam tantopere sibi plaudunt, quam si quid Digestorum confectoribus exprobrandum inuenerint, ita contra indignum esse ICto, ita seruiliter Romana tractare iura, vt omnia effata *Iustiniani* pro oraculis habeat, nullaque in eius collectionem irrepsisse vitia, sibi persuadeat *a*), censemus.

a) Quam persuasionem *Ioannes Mercerius* in Conciliat. p. 11. edit. *Reynold.* Superstitionem, *Reinerus* vero *Bachouius* ac Treutl. Vol. II. Disp. 13. th. 4. cum *Cuiacio* puerilem hæresin appellitat.

§. IV.

Quare hocce capite, ea, quæ præter meritum & merito a Doctoribus Pandectarum obiiciuntur confectoribus, ingenue recensere, simulque errata, in hoc corpore admissa, tanta non esse, quæ vix corrigi, aut sanari queant, ostendere, ab instituto nostro non prorsus alienum esse duximus.

§. V.

Præter meritum itaque a *Francisco Hottomanno a*) Triboniano vitio vertitur, quod ICtorum, qui stante libera Republica claruerunt, scripta suppresserit, ac posteriorum Græcorum scilicet, Syrorum & Africanorum, qui sub Imperatoribus floruerunt, responsa in Digesta retulerit; prudentiæ enim erat, vt ICtos recen-

recentiores consuleret, & iuris tunc temporis recepti notitiam ex illis hauriret, quo in Tribonianum reliquosque Digestorum confectores *Antonius Schultingius b*) strenue contra *Hottomannum* defendit.

a) in Anti-Triboniano cap. 12. b) in oratione Idibus Martii 1715. recitata, quæ nitidissimo eius operi, quod Iurisprudentiam Anteiustinianeam inscripsit, subiecta reperitur.

§. VI.

Nec maioris momenti sunt, quæ *Ioannes Gröningius a*) aliique proferunt, compilatores scilicet Pandectarum multa ex superstitione Romana in hoc corpus retulisse, vt illud *Paulli b*): *Vir simplicitate gaudens, aut desidiæ deditus*, vel *Hermogeniani c*): *De diuortio propter sacerdotium*, vel *Scæuolæ d*): *sponsa priusquam aqua & igni acciperetur*, vel *Vlpiani e*) & *solent, qui liberare eum locum religione volunt, sacra inde euocare.*

a) de Næu. corp. iur. §. 10. b) in L. 25. §. 1. D. *de probat.* quo iniurioso nomine Christianorum conditionem descriptam esse non dubitamus. v. *Merillius* Lib. IIX. Obs. 20. c) in L. 60. *de Donat. inter vir. & uxor.* d) in L. 66. §. 1. eod. v. *Fer. Adduensis* Lib. I. Explic. & *Perrenonius* I. Variar. 6. e) in L. 9. §. 2. *de Diuis. rer.* huc etiam L. 6. & 7. *de offic. Præsid.* & L. 3. §. fin. *de Decur.* referunt. v. *Freher.* II. Parerg. 11.

§. VII.

Demus enim, vestigia quædam ethnicæ superstitionis in Pandectis reperiri a), quia tamen *Tribonianus* non tam compendium fidei Christianæ conscribere, quam corpus quoddam, in quo æqui & iusti regulæ proponuntur, ex scriptis veterum ICtorum collectum, Imperatori suo exhibere voluit, excusari hæc merito debent.

a) Minime tamen hunc in censum L. 19. §. 4. *de minor.* & L. 24. pr. D. *ad L. Iul. de adult.* veniunt, a tole-

tolerantia enim quorundam actuum ad eorum adprobationem non valet consequentia, conf. *Strauchii* differt. de statutis a principe §. 31. & 32.

§. IIX.

Eiusdem farinæ sunt, *Bernhardi Autumni a)*, *Cypriani Regneri b)*, & *Simonis Groenewegii c)* imputationes, Pandectarum corpus multa capita, a moribus Christianorum plane aliena continere, adeoque iustitiam in eo exulare; infirmum enim a moribus Christianorum ad iustitiam vel iniustitiam duci argumentum, quilibet facile cognoscet; quare ab iniquitatis & iniustitiæ nota Ius Romanorum *Benedictus à Jesu Christi d)* *Iacobus Mæstertius e)* & *Vlricus Huberus f)* ex professo liberare voluerunt.

a) In Censura Gall. in ius ciuile Roman. Paris. 1618. 8. *b)* in tractatu, quo iniustitiam quarundam LL. Romanarum aduersus *Mæstertium* propugnat Lugd. 1674. 12. *c)* De LL. abrogat. & inusit. in Holland. Nouiomagi 1677. 4. *d)* in Vindiciis Iustinianismi aduersus istos qui vim ac dignitatem legis diminuunt aut destruunt Ticini 1652. 4. *e)* de LL. Romanarum iustitia Lugd. 1674. 12. & 1676. 4. *f)* in Eunomia Romana siue Censura censuræ Iuris Iustinianei curante *Zacharia Hubero* Franeck. 1700. 4. edita.

§. IX.

Eodem modo superflua *Francisci Hottomanni a)* & *Ioannis Iacobi Wissenbachii b)* mihi videtur censura, quod Pandectarum confectores plurimi de suo addere, ICtorum veterum sententias immutare ac interpolare non veriti fuerunt; licet enim hanc iuris veteris colligendi rationem minime probemus, vix tamen aliter fieri poterat, si mandatis *c)* Imperatoris obedire, ac corpus quoddam, moribus seculi Iustinianei conueniens, componere vellent, quamuis, imprudentia *Triboniani* esse factum, quod emblemata sua non signo aliquo notauerit, lubenter illustri *Thomasio d)* concedamus.

a) In Anti-Tribon. c. 12. *b)* qui emblemata *Triboniani* collegit, quæ *Iacobi Friderici Ludouici* Doctrinæ Pan-

Pandectarum, Halae 1714. editae, subiecta reperiuntur. Tribonianismos etiam se congessisse & edere voluisse. *Nicolaus Catharinus* Lib. Obseruat. iur. ad L. 197. *de R. I.* testatur. *c*) quae in §. 2. Constit. *de concept. Digest.* & L. 2. §. 10. C. *de vet. iur. enucl.* dedit. v. *Rauardus* IV. Var. c. 17. *d*) in delin. hist. iur. §. 47.

§. X.

Nec ad rem facit, quod hoc modo magnam veteris ciuilis prudentiae particulae, in primis responsa prudentum, passae fuerint vim ac iniuriam, quodue non tam *Papiniani*, *Vlpiani*, *Paulli* aliorumque prudentum quam *Triboniani* sententiae in hoc corpus fuerint relatae; non enim quid veteres statuerint, sed quomodo & qua ratione Imperator suam illorum facere voluerit sententiam *a*), inquirendum est.

a) Vnde Imperator §. 7. Constit. *Deo auctore* ait: *Et in tantum volumus eadem omnia, cum reposita sunt, obtinere, vt, etsi aliter fuerant apud veteres conscripta, in contrarium autem in positione inueniantur, nullum crimen scripturae imputetur, sed nostrae electioni hoc adscribatur.*

§. XI.

Neque aliud iudicium de repetitionibus & geminationibus in Digestis occurrentibus, quas magno labore *Pardulphus Prateius a*), *Radulphus Fornerius b*) & *Guido Pancirollus c*) collegerunt, ferre possumus; sicuti enim exiguum imo nullum plane in iurisprudentiam nostram exinde redundat damnum, ita Digestorum confectoribus hic aliquid esse indulgendum, & excusanda haec, non reprehendenda, ipse Imperator monuit *d*).

a) Lib. I. Iurisprud. Med. quae Lugd. 1591. 8. prodiit. conf. Obs. Hallens. 8. T. 1. *b*) Lib. I. Rer. quotid. c. 17. *c*) Lib. I. Thesaur. var. lect. c. 78. *d*) in L. 2. §. 14. C. *de V. I. E.*

§. XII.

Merito autem *Tribonianus* ceterique Digestorum con-

confectores a viris eruditis reprehendi nobis videntur, quod multas contradictiones & discrepantes sententias, quas vulgo antinomias vocant, in hoc corpore reliquerint, & tot cruces *a*) ac ænigmata ICtis imprudenter satis posuerint.

a) Leges difficiliores v. g. L. cum societas *pro socio* L. frater a fratre *de condictione indebiti*, L. lecta 40. *de Reb. Cred.* L. Barbarius Philippus 3. *De offic. Præt* quarum, longam seriem, versiculis quibusdam comprehensam, videre est in principio Corporis iuris glossati, cruces ICtorum nuncupantur. Huc etiam pertinet sequens distichon:

Damnatur mater, damnatur lectaque frater,
Damnatur Gallus, damnatur filius eius.

§. XIII.

Scio ego quidem non deesse, qui in illis, quæ extant Romani iuris voluminibus, nihil residere contrarii, omnesque suaui harmonia & connexione Leges coniungi, seu, vt vulgo loquuntur *a*), ad vnam consonantiam omnia esse redacta, arbitrentur; Verum esse quasdam in Digestis sententias, nulla ratione componendas, nulloque fœdere sociandas, fateri cogimur, nisi in verba *Triboniani* iurare, aut hominem eum non fuisse, nec falli potuisse, nobis persuadere velimus, quas antinomias *Ioannes Mercerius b*), *Antonius Matthæi c*), *Ioann. Iacob. Wissenbachius d*) aliique annotarunt.

a) Imitati *Iustinianum* in §. 2. pr. I. & L. 2. pr. *de V. I. E.* *b*) in Conciliatore. *c*) in differt. de antinomiis. *d*) in exercitat. ad Pandect. conf. *Hieron. Elenus* Lib. II. Diatrib. Iur. Ciu. c. 24.

§. XIV.

Ipse sane Imperator *Iustinianus*, cui operis difficultas & humani ingenii imbecillitas bene cognita erat, non temere, omnem ab hoc volumine abesse antinomiam, asserere voluit, vnde, *contrariam autem aliis legibus legem ex his, quæ in hoc volumine positæ sunt, non facile quis reperiet*, dixit *a*).

 a) In

a) In L. 3. §. 15. C. *de V. I. E.* licet in Constit. *de concept. Digest.* nullum contrarium inueniri posse Imperator professus sit.

§. XV.

Sicuti autem prudentis medici est, non solum veras morborum causas scire, sed etiam remedia adhibere, morbis conuenientia: ita etiam illis, qui Digestorum volumen clariori lumine perfundere cupiunt, incumbit, ea adhibere media, quibus antinomias dissoluere, ac crucem, vel imprudentia *Triboniani*, vel librariorum incuria fixam, refigere queant feliciter.

§. XVI.

Plures equidem fuerunt, qui pugnantes has Digestorum sententias conciliare tentarent *a*) *Vdalricus* nimirum *Zasius*, *Ioannes Wurmserus*, *Euerhard Bronkhorst*, *Gilbertus Regius*, *Nicolaus de Passeribus*, *Gratianus de Garzatoribus*, *Obertus Giphanius*, *Iacobus Brandmüllerus*, *Reinerus Bachouius*, *Helfricus Hunnius*, *Georg. Adam. Struuius*, *Luderus Menckenius* & perillustris *Ioannes Henricus Bergerus*; sed cum horum quidam misere sæpius in legum obstantium conciliatione sese torquere, alii, quam legis interpretationem animo conceperunt, emendatione iuuare, alii denique nihil aliud, quam, non recte vel perperam scriptum aliquid esse, proferre soleant: quomodo ea, quæ contraria videntur, & tamen non sunt *b*), conciliari possint, ac quænam huius rei sint adminicula, paucis exponemus.

a) Antinomiis colligendis etiam *Photium* operam dedisse, librumque περὶ ἐναντιοφανῶν conscripsisse, ipse *Nomocan.* tit. 4. c. 1. testatur. *b*) In conciliatione enim eorum, quæ vere contraria sunt, nullum tempus est consumendum, sed vtrum ex pluribus sequi seruareque oporteat, inquirendum.

§. XVII.

Ad Legum itaque, quæ sibi contrariari videntur, con-

conciliationem quod attinet, I. *De vtriusque legis, quæ ſibi inuicem opponuntur, lectione conſtare debet*; Cum enim librarii, genus hominum imperitiſſimum, hoc ante diuinum typographiæ inuentum, fungerentur munere, vt auctorum libros deſcriberent, accidit, vt, cum litterarum figuras verborumque compendia non intelligerent, aliud pro alio reponerent, & ſic totam auctoris ſententiam corrumperent *a*).

a) Vnde *Martialis* II. Epigram. 8. ait:

Non meus eſt error, nocuit librarius illis.

& *Seneca* I. Controu. c. 7 ait: *Ego dictaui; duplum dabo, ſi manus non præcideritis: librario vna Syllaba excidit*, NON, *& ſcripſit, ſi præcideritis*, add L. 92. *de R. I.* & *Rad. Fornerius* IV. Rer. Quot. c. 2. 3. 26. & 27. v. *Ioannes Mercerius* in Conciliat. p. 20. & præfatio *Cornelii Bynkersboeckii* Obſeruat. iur. præmiſſa.

§. XVIII.

Præuidit hoc ſacratiſſimus Imperator *Iuſtinianus*, vnde, ne per ſingularium captiones & compendioſa ænigmata, quæ multas per ſe & ſuum vitium induxerunt antinomias, eius volumina conſcriberentur, iuſſit *a*), ſed eius iuſſui paritum non fuiſſe, Codices MSCti, in publicis & priuatis bibliothecis extantes, fidem faciunt.

a) in L. 1, §. 13. C. *de V. I. E.* conf. Conſtit. *Omnem* §. 8.

§. XIX.

Acceſſit & correctorum inſana libido *a*), qui ſcindentes, vrentes, ſecantes, quicquid cerebello ſuo non placebat *b*), nullum non iuris textum temerarunt, pluraque vulnera & cicatrices illi intulerunt, quam ſuſtulerunt.

a) Leges emendandæ & corrigendæ non niſi rariſſime, & ſumma cum cautione, nec a iuris tyronibus ſed a ICtis, alias de illis vere dici poteſt, quod de aliis *Quinctilianus* IX. Inſt. Orat. c. fin. dixit: *Dum librariorum inſectari volunt inſcitiam, ſuam confitentur.* conf. P.

Faber. II. Semeſtr. c. 13. & 16. *Hugo Donellus* ad L. 34. *de V. O. Delrio* ad L. 18, C. *de Transact. Val. Guil. Förſter.* de iur. interpr. Lib. I. c. 2, V. A. *Bynkersboeck.* in præf. Obſeru. præm. & Cl. *Heinecc.* in præf. ad easd. Obſeru. v. *Ant. Auguſtinus* Lib. I. Emend c. 3. *Iacobus Gothofredus* in præf. Libro animaduerſionum præmiſſa, & *Bynkersboeckii* Præf. cit. *b*) exemplo eſſe poterit *Antonius Faber*, ICtus alias acuti & præſtantis ingenii, qui ſecutus Tribonianum ſuo arbitratu leges fixit atque refixit.

§. XX.

Quo itaque de vera legum diſcrepantium lectione conſtet, Digeſta, ad exemplum MSCti Florentini edita, ſunt conferenda, horum enim ope multa recentiorum editionum vitia, in primis verba, quæ ex gloſſis in contextum irrepſerunt, detexerunt *a*), infinitasque *Antonius Auguſtinus, Iacobus Cuiacius, Franciſcus Hottomannus, Iacobus Gothofredus, Gerbardus Noodt, Cornelius Bynckersboeckius* aliique viri celeberrimi diſſoluerunt antinomias.

a) *Ant. Auguſtini* Emend. & opin. Lib. I. c. 2. & Lib. IV. cap. vlt. *Val. Guil. Förſter* de Iur. interpret. Lib. I. c. 2. n. 4. & *Deſiderius Heraldus* Obſeru. & emend. cap. 1.

§. XXI.

Multa vero in collatione Digeſtorum, ad exemplar Florentinum editorum, iuris cultori, obſeruanda ſunt, quæ, ſi negliget, ad veram legis lectionem non perueniet; I) enim leges ab interpunctionis vitio liberare, & II) permutationes, geminationes, nec non traiectiones literarum atque vocum, &, quæ ſunt alia ſcripturæ vitia atque compendia, librario Codicis Florentini admodum communia, probe pernoſcere debet. De quibus omnibus *Guilielmus Fornerius a*), *Radulphus Fornerius b*), *Petrus Faber c*) *Ioſephus Nerius d*), *Thomas Reineſius e*), *Iacobus Cuiacius f*), *Ezechiel Spanbemius g*) *Euerard Otto h*), &, qui ex profeſſo hanc ſpartam ornauit, *Guilielm. Beſt i*) ſolide tractarunt.

a) Lib. III. Select. 2. *b*) Lib. I. Rer. Quot. c. 10. & 30. Lib. II. c. 1. 2. 3. 6. 9. & 10. *c*) Lib. I. Semestr. 24. *d*) I. Anal. 1. *e*) epist. 35. ad Rupertum. *f*) Lib. I. Obs. c. 38. *g*) de præst. Numism. Diss. II. p. 120. *h*) in præf T. I. Thes. Iur. Ciu. præm. *i*) in libro: *De ratione emendandi Leges*, Vltrai. 1707. 8. edito. ad hunc libellum monita quædam B. *Wächtlerus* Actis Erudit. a. 1708. p. 512. inseruit & cum *Bestius* in cit. Actis a. 1710. p. 51. responderit, ille uberiorem suorum monitorum illustrationem in Actis Erud. eiusd. a. p. 236. cum erudito orbe communicauit.

§. XXII.

Quodsi autem Florentinum exemplar, vtpote in quo plura reperiuntur, quæ manifeste corrupta sunt, & quorum vel nulla plane sententia, vel non idonea est *a*), genuinam non suppeditat lectionem, Græci interpretes, nimirum *Theophilus*, *Harmenopulus*, sunt adeundi, nec non libri Basilicôn dicti, consulendi *b*); ex hisce enim, cum integriora Digesta, ex vero Iustiniani Prototypo Latino fideliter translata, habuerint, quæcunque sunt in Pandectis Florentinis lacunæ aut vitia repleri ac emendari commode possunt *c*).

a) Exemplo sit L. 7. §. 1. ff. de *Captiu. & postlim. reu.* *b*) existimant quidem *Ioannes Mercerius* in conciliatore p. 41. aliique, præter MSCtum Florentinum alios MSCtos Codices esse consulendos, sed cum ex illo MSCto omnia, quotquot exstant Digestorum volumina, manarint, exiguam hanc collationem præstare vtilitatem, *Reynoldus* in notis ad Mercerium l. c. monuit. *c*) v. *Mercerius* in Concil. p. 51. & sequ. *Anton. Contius* Lib. I. Disput cap 6. & *Guilielm. Best* in ratione emend. leges cap. 1. p. 40.

§. XXIII.

Cognita legis lectione II. *Ad sententiam eius progrediendum est*: quia, monente *Celso* ICto *a*): *Scire Leges non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem*; Commode autem legis sententiam eruimus, si & orationis & verborum, in ea occurrentium, significationes excutiamus, ad quod lectio eorum librorum, qui ea, qua ICti floruerunt ætate, sunt conscripti,

 non

non ICtorum & Hiſtoricorum tantum, ſed & Comicorum ac Poëtarum, multum conducet.

a) In L. 17. π. de LL.

§. XXIV.

Scio ego quidem non paucos eſſe, qui Poëtis & Comicis Romanis nullam in rebus, ad ius noſtrum ſpectantibus, tribuant fidem, ex eo,quod Græcorum comœdias verterint, illorumque mores plerumque expreſſerint, aſt Poëtarum in iure noſtro utilitatem, Poëticesque & iurisprudentiæ Romanæ adfinitatem *Scipio Gentilis a*), *Valentin. Guil. Förſter b*) & *Cornelius Eckius c*) egregie monſtrarunt.

a) Lib. II. parerg. iur. c. 2. b) de interpr. iur. Lib. I. c. 7. c) In duabus Orat. *De ſtudio poetices coniungendo cum ſtudio iuris Romani*; quæ principiis eius iuris Romani præmiſſæ reperiuntur.

§. XXV.

Quodſi autem ICti oratio ita ſit ambigua, vt in varios torqueri poſſit ſenſus; ea ſignificatio, monente *Iuliano a*) ICto, eſt accipienda, quæ rei gerendæ aptior eſt, quæque minimum a naturali abhorret æquitate.

a) L. 61. de R. I.

§. XXVI.

Perſpecta legis lectione & ſententia, nihil magis ad tollendas antinomias conducit,quam ut III. *Quæ verbis & ſententiæ legis conuenit ſpecies, ſeu, vt veteres loquuntur, caſus ponatur*; probe hoc primi iuris Iuſtinianei intellexerunt interpretes, vnde nihil magis tentarunt, quam vt caſum, verbis ſententiæque legis conuenientem, proponerent a).

a) Hinc cogniti ſunt verſus:

Præmitto, ſcindo, ſummo, caſumque figuro,
Perlego, do cauſas, connoto & obiicio.

qui

qui reperiuntur apud *Matthaeum Gribaldum Mopham* Lib. I. de rat. ſtud. c. 14. & quos *Val. Guil. Förſter* Lib. II. de interpr. iur. c. 1. expoſuit.

§. XXVII.

Exiſtimant quidem nonnulli, faciliorem eſſe hanc operam in illis Legibus, quæ in Codice habentur, quam quæ in Digeſtis, ex eo, quod illæ totam cauſam ſiue factum cum omnibus circumſtantiis complectantur, in his vero pleræque quæſtiones ex facto ab ICtis tractatæ ſint; verum cum Imperatores etiam ad quæſtiones, ex facto propoſitas, reſcripſerint, imo libelli ſupplicantium & relationes iudicum, quibus ſubſcripſerunt vel reſponderunt principes, non amplius extent, æque difficilem Legum Codicis quam Digeſtorum eſſe interpretationem, recte *Iacobus Cuiacius* a) & *Gerardus Noodtius* b) arbitrantur.

a) in epiſtola dedicatoria ad Paulum de Foix, paratitlis Codicis præmiſſa. b) in Diocletiano & Maximiniano cap. 2.

XXVIII.

Ad ſpeciem autem legis ponendam nihil aptius erit, quam ſi diligenter legum, in Digeſtis huc vel illuc per diuerſas rubricas diſtractarum diuulſarumque, inſcriptiones diſcutiamus, ac diſperſa hinc inde diſſitaque membra ad proprios artus reuocemus, & non ſolum cuius ICti lex, & ex quo eius libro deſumta, ſed etiam ſub quibus titulis reliquæ eius partes ſint translatæ & collocatæ, probe inſpiciamus & ſpectemus a).

a) Bene itaque *Seneca* epiſt. 33. *Depone iſtam ſpem*, ait, *poſſe te ſummatim degustare ingenia maximorum virorum, tota tibi inſpicienda ſunt; tota tractanda. Res geritur & per lineamenta ſui ingenii opus nectitur, ex quo nihil ſubduci ſine ruina poteſt; Nec recuſo, quo minus ſingula membra, dummodo in ipſo homine conſideres.* Probe hoc ICtus

ICtus celeberrimus *Henricus Brenckmannus* perpendit, vnde etiam leges Digestorum dissecare & dissectas suis quasque locis conglutinare, diu meditatus est, &, vt consilii sui rationem vberius aperiret, *Pandectas Iuris Ciuilis auctoribus suis & libris restitutas* Amstelod. 1709. 8. edidit v. Acta Erud. Lips. a 1710. p. 531. & excerpta e litteris *Christfr. Wächtleri* in Act. Erud. a. 1711. pag. 21.

§. XXIX.

Sic enim Pandectarum corpus contemplanti amplus aperitur campus, in quem excurrere & inquirere liceat, quam singuli ICti in scribendo, respondendo, disputando ac interpretando methodum in vnoquoque libro suo & tractatu secuti sint, quaenam ICti fuerit sententia, & quisnam genuinus cuiuslibet legis sensus.

§. XXX.

Plane non alio fine Imperator, vt, a quo ICto singula accepta essent, significaretur, vno autem loco omnium librorum, ex quibus Digesta confecta ac compilata sunt, index scriberetur, vtque numeri librorum per consequentias litterarum, non per sigla manifestarentur, iussit *a*), quam vt diligenti & accurata capitum, ab vno eodemque ICto profectorum, coniunctione & comparatione genuinus cuiuslibet legis sensus erui, leges fugitiuae ad suas sedes, unde perperam deiectae sunt, reuocari, ac ita commode loca obscuriora ex clarioribus illustrari & deprauata emendari ac sanari possent.

a) In epist. ad antecess. §. 10. & L. 5. §. 10. C. *de V. I. E.*

XXXI.

Quare non satis laudandam *Iacobus Labittus* ICtus Gallus praestitit operam, quod collectum a se indicem legum omnium, quae in Pandectis continentur, in quo singulae ad singulos ICtorum libros, ex qui-

quibus desumtæ sunt, vt earum monet inscriptio, referuntur, in publicum emiserit *a*); quem omnibus iuris studiosis vna cum *Ioannis Mercerii* ICti Conciliatore *b*), *Iacobo* filio inscripto, de meliori commendamus.

a) Index *Labitti* primum lucem vidit Paris. a. 1557. in 8. deinde cum librorum iuris indice *Ioannis Baptistæ Ziletti* Venetiis a. 1596. fol. prodiit, postea Lipsiæ a. 1616. 8. cum annotationibus *Guilielmi Schmuckii* publicamlucem adspexit, recusus denique Lugd. Batau. a. 1674. & 1724. Francofurti & Lipsiæ curante doctissimo *Gundlingio*. *b*) q·i post varias editiones cura & cum notis *Bernbardi Henrici Reynoldi* Vltraiecti a. 1713. 8. prodiit.

§. XXXII.

Huc merito viri Cl. *Abrahami Wielingii Iurisprudentiam restitutam a*) siue *indicem chronologicum in totum iuris Iustinianei corpus ad modum Iacobi Labitti, Antonii Augustini & Wolfgangi Freymonii collectum*, referimus, quippe quo leges suis auctoribus restituuntur, aditusque ad interiora Themidis penetralia masculæ iurisprudentiæ sectatoribus aperitur.

a) Quæ Amstelod. 1727. 8. prodiit, cuique varia doctissimorum virorum opuscula, iudicia, nec non suas animaduersiones & prætermissa ad Labittum, Schmuckium, Hahnium & Reinoldum subiecit.

§. XXXIII.

Nec minus illorum Iuris cultoribus commendamus labores, qui leges ICtorum, in digestis dispersas, ad suas reduxerunt sedes, pristinæque figuræ quadantenus restituerunt; Sic *Antonius Augustinus* leges ex Modestini ICti libro de excusationibus singulari *a*); *Franciscus Balduinus* vero ex Scæuolarum libris *b*) sumtas, & in Digestorum corpus relatas, variisque sub titulis disiectas, collegerunt, perturbata dispofuerunt, suisque commentariis illustrarunt.

a) qui *Augustini* Modestinus eius emendationum & opi-

nionum Libris subiectus reperitur. *b*) *Balduini* Scaeuolae siue de Iurispr. Muciana commentarius Basileae 1558. in 8. prodiit.

§. XXXIV.

Eodem modo ICtorum princeps *Iacobus Cuiacius* lacera *Africani* per Pandectas membra iterum concinnauit & disposuit; *Papiniani* libros responsorum, definitionum, quaestionum reliquaque eius opera, vt & *Paulli* ad Edictum & quaestionum, *Modestini* differentiarum, *Saluii Iuliani* nonaginta digestorum, *Paulli*, *Neratii*, *Marcelli*, *Vlpiani*, *Modestini* & *Scaevolae* responsorum libros in ordinem redegit, commentariis illustrauit, pristinoque suo nitori restituit *a*).

a) Quae scripta omnia inter opera eius, a *Carolo Hannib. Fabrotto* Paris. 1658. in fol. edita, reperiuntur.

§. XXXV.

Pariter *Edmundus Merillius a*) librum singularem differentiarum iuris restitutum ex libris Manualium Iulii Pauli scripsit; *Iacobus Lectius b*) Leges ex Aemilii Macri libris de publicis iudiciis & Modestini *c*) libro de poenis, *Antonius* vero *Dadinus Alteserra* ex Tryphonini XXVI. libris disputationum *d*), in Pandectas relatas, rursus collegerunt, singulasque leges commentariis suis illustrarunt.

a) Qui Paris. 1638. 4. & inter opera eius Neapolis 1720. 4. edita reperitur *b*) qui liber Lugdun. 1597. in 8. prodiit. *c*) a. 1592. in 8. *d*) Tolosae 1679. 4.

§. XXXVI.

Tandem etiam *Ioannes Schilterus a*) & *Henricus Brenckmannus b*) Modestini librum περὶ εὑρηματικῶν i. e. de cautelis inscriptum, idem *Brenckmannus* Alfeni Vari reliquias *c*), & *Henricus Theodorus Pagenstecher d*) Pomponii leges quae ex libro ad Sabinum in Digestis reliquae sunt, collegerunt, disposuerunt, & ita in maiori luce collocarunt.

a) *Schil-*

a) *Schilteri* Modeſtinus Argent. 1687. 4. prodiit. *b*) huius diatriba, qua Modeſtinum reſtituit, Lugdun. Batau 1711. 8. publicam adſpexit lucem. *c*) in Conſpectu Pandectarum Amſtelod. 1706. 8. edit. *d*) Lemgou. 1725. 4. nec minus V. Clar. *Franc. Car. Conradi* Leges ex Iulio Paulo libro ſingulari, de iure ſingulari collegit & illuſtrauit Lipſ. 1728.

§. XXXVII.

Scio ego quidem multos eſſe *a*), qui ex ſingularum legum inſcriptionibus tam in ſcholis quam in iudiciis infirmum admodum duci argumentum, eam ob cauſam arbitrantur, quod Imperator *Iuſtinianus* collationem priſci Iuris, eiusque in foro allegationem ſub pœna falſi ſeueriſſime interdixerit *b*), ſed iuſtam hiſce *Ioannes Strauchius c*) *Bernhardus Henricus Reynoldus d*), *Ioannes Mercerius e*), *Petrus Perrenonius f*), *Valentin. Guilielm Förſter* g), *Henricus Brenckmannus h*) illuſtris *Gundlingius i*) & *auctor k*) dixerunt ſententiam.

a) Ita ſentit *Lauterbachius* in Concluſ. Theoret. pract. Exercit. 1. §. 5. &, quod mirandum, *Alb. Gentilis* Lib. I. Lect. & epiſt. c. 13. & in Diſp. I. de poteſt. regia abſol. ad L. 1. *de conſtit. princip.* *b*) in Conſtit. ad Tribon. § 7. *c*) in programm. Ienæ d. 24. Maii. a. 1668. edito, quod *Georg. Schubartus* in ſuas exercit. de fatis iurisprud. Rom. coniecit. *d*) in orat. de LL. inſcriptionibus. *e*) in Conciliatore. *f*) Lib. II. animadu. c. 15. *g*) Lib. II. de interpret. iur. c. 2. §. 4. *h*) in diſſert. de LL. inſcriptionibus. *i*) in præfat. Labitti indici præmiſſa. *k*) In Proluſione academica: De vtilitate ex diligenti comparatione omnium eiusdem inſcriptionis in Digeſtis capitum capienda, deque huius artificii inuentoribus & promotoribus, Ienæ 1724. edit.

CAP.

CAP. V.

DE PANDECTARVM SEV DIGESTORVM EDITIONIBVS.

§. I.

QUamuis tres regulariter Pandectarum a Doctoribus numerentur editiones, *Vulgata*, *Haloandrina*, siue *Norica*, & *Florentina*, non tamen illorum plane reiiciendam esse sententiam, qui aut pauciores, aut plures Pandectarum esse editiones, contendunt, censemus.

§. II.

Ita *Ericus Mauricius a)* plures x. esse editiones ex eo statuit, quod non solum illæ, quæ Haloandrinam & Florentinam præcesserunt, non vna sed variæ, verum etiam *Heruagiana* & *Hugonis a Porta* editiones a tribus illis editionibus longe diuersæ fuerint, imo subsecutæ editiones, nimirum *Antonii Augustini*, *Russardi*, *Contii*, *Charondæ*, *Hottomanni*, *Pacii*, *Dionysii Gothofredi* & *Simonis Leeuwenii* singulæ quid habeant, quo a tribus illis commemoratis editionibus discrepent.

a) De lib. iur. comm. th. 7.

§. III.

Henricus Habnius contra *a)* duplicem Pandectarum esse editionem *Vulgatam* & *Florentinam* scribit, illamque *Haloandrinam* sub se comprehendere, non sine ratione statuit, imo si eorum sententiam, qui ex MSCto Florentino omnia, quotquot extant Digestorum volumina, manasse defendunt, amplectamur, vnicam tantum esse Pandectarum editionem, commode dicere possumus.

a) Ad Wesenbec. diss. 1.

§. IV.

§. IV.

Cum tamen vulgo tres a Doctoribus recenseantur r. editiones, *Vulgata, Haloandrina*, seu *Norica*, & *Florentina*, quænam illæ fuerint, vnde sic dictæ, & quomodo inter se differant? hoc & sequenti capite docebimus.

§. V.

Vulgata, seu vulgaris, ea Pandectarum dicitur editio, quæ in omnium fuit manibus, eamque illa lectionem constituit, in quam plures antiquæ editiones conspirant; seu *Vulgata* non est certa quædam editio, certumque exemplar, sed consensus plurium exemplorum in eandem lectionem *a*).

a) v. *Alber. Gentilis* de lib. iur. ciu. c. 2. & *Riccius* de lib. iur. aphor. 36.

§. VI.

Non enim vna eademque *Vulgata* erat editio, sed multiplex; prout enim Doctor quidam insignis huius vel illius legis lectionem variandam putabat, ita aliud exemplar conficiebatur; vnde variantes Vulgatæ lectiones non solum Glossa, sed & *Dionysius Gothofredus a*) annotauit.

a) in notis ad Corpus iur.

§. VII.

Licet autem in *Vulgatam* non pauca irrepserint vitia, quia tamen illa primi Iuris Iustinianei restauratores vsi fuerunt, in praxi ea est recepta, & *Haloandrina* ac *Florentina* non tam in foris, quam scholis ad indagandam genuinam legis sententiam vtimur.

§. VIII.

Secunda Pandectarum editio *Haloandrina* dicitur ab auctore *Gregorio Haloandro*, alias *Hoffmann* dicto, Zuiccauiensi, qui, postquam suasu & sumtibus *Iulii Pflugii* iuris studio se totum manciparat *a*), Italiam adiit,

adiit, ibique ſummos in iure honores capeſſiuit, Venetiis, cum iuuandæ iurisprudentiæ cauſa in Italiam rediret, miſere, non ſine veneni ſuſpicione *b*), extinctus eſt *c*).

a) Vid. Dedicat. Pand. præmiſſa. *b*) v. *Anton. Auguſtinus* Lib. I. Emend. cap. pen. & *Spigelius* apud Conringium de orig. iur. German. cap. pen. *c*) v. *Melchior Adami* in eius vita, *Viglius Zuichemus* in præfat. ad Carolum V. Theophilo præmiſſa, & *Henricus Brenckmannus* in hiſt. Pand. Lib. IV. cap. 3.

§. IX.

Hic *Haloander*, deſcriptis Bononiæ *Ludouici Bolognini* libris, adiutusque a *Ioanne Baptiſta Egnatio* Veneto & conſilio & vetuſtis codicibus *a*), Pandectas ad nouam quandam venuſtatem redegit, illasque, ſumtibus ampliſſimi ordinis Norimbergenſis anno 1529. *b*) in eadem ciuitate, multis mendis, maculis & næuis ſublatis *c*), tribus voluminibus in 4to edidit.

a) Vid. dedicat. Pandect. præmiſſa. *b*) vnde *Franciſcus Broeus* in hiſtor. iur. chronolog. Haloandrinam editionem anno demum 1541. lucem publicam adſpexiſſe falſo exiſtimat. *c*) Hinc *Antonius Auguſtinus*, qui alias multa in Haloandrina damnat, omnium editorum librorum optimos eos Lib. I. Emend. & opinion. iur. c. 2. & Lib. III. c. 4. vocat.

§. X.

Eadem *Haloandri* editio, quia partim ſumtibus ampliſſimi Senatus Norimbergenſis, partim in eadem ciuitate typis *Ioannis Petreii* fuit exſcripta, *Norica* dicitur, vnde quam maxime *Andreas Schottus*, diuerſas eſſe Haloandrinam & Noricam editiones, exiſtimans *a*), errat.

a) In vita Anton. Auguſtini.

§. XI.

§. XI.

Ipſum autem MSCtum Florentinum *Gregorius Haloander* non inſpexit, ſed *Ludouici Bolognini* ICti libros, qui Bononiæ ſua aſſeruabantur ætate, quique ex *Angeli Politiani* ſchedis, cui *Laurentius Medices*, Summus Etruriæ dux, inſpiciendi illius MSCti dederat facultatem *a*), manauerant, exſcripſit.

a) v. *Angeli Politiani* epiſt. 4. Lib. X. non tamen ille archetypum deſcripſit, ſed tantum exemplar typis expreſſum ad illud contulit. v. *Henrici Brenckmanni* hiſtor. Pand. Lib. IV. c. 1.

§. XII.

Imo ne quidem *Angeli Politiani* ſchedas *Haloander* vidit; nam quamuis notas Florentinas, quas *Angelus Politianus* deſcripſerat, ſe in commune proferre, ipſe profiteatur *a*), illum tamen *Politiani* libros nunquam vidiſſe, ſed potius ſua ex *Bolognini* deſcriptione hauſiſſe, *Antonius Auguſtinus b*) detexit.

a) In Dedicat. *π*. præm. *b*) Lib. III. Emend. & opin. 3. & Lib. IV. c. 14.

§. XIII.

Cum itaque *Gregorius Haloander* neque MSCtum Florentinum, neque *Angeli Politiani* libros inſpexerit, ſed tantum *Bolognini* deſcriptione vſus fuerit, non in omnibus eius editio cum Florentina conuenit; *Politianus* enim non ſemper diligentiſſimus fuit, nec, qui a Politiano ſua accepit, *Ludouicus Bologninus a*) ſemper Politianum, vti potuit, deſcripſit.

a) Quem hominem neque natura acutum, neque inſtitutione eruditum, Græcarumque litterarum expertem *Antonius Auguſtinus* Lib. IV. Emend. & opin. cap. pen. nominat. conf. *H. Brenckmann.* Lib. IV. Hiſt. *π*. c. 2.

§. XIV.

§. XIV.

Difcrepantes Haloandrinæ & Florentinæ editionis lectiones fumma cura ac diligentia *Antonius Auguftinus a)* in elegantiffimis emendationum ac opinionum libris *b)* annotauit, fimulque Noricorum librorum errores indicauit *c)*, & emendauit.

a) Huius ICti vita ab *Andrea Schotto* confcripta reperitur in Leickerriana collectione, conf. *Henr. Brenckmanni* in hift. ✝. Lib. IV. cap. 4. *b)* qui Venetiis a. 1543. in 4. prodierunt, fæpius deinde recufi: *c)* quæ enim prima Noricorum librorum parte mendofa funt. Lib. III. c. 6. quæ fecunda, Lib. III. c. 7. quæ tertia parte c. 9. recenfet.

§. XV.

Non tamen in omnibus *Haloander* Ludouici Bolognini libris fidem habuit, fed alios etiam MSCtos Codices, in primis vero Vulgatam adhibuit lectionem *a)*, licet illam etiam fæpius correxerit; ita in L. 19. §. 2. *de iudiciis* in Vulgata legitur: *Nam vbi fic venit, vt confeftim difcedat, quafi a viatore emtis &c.* aft Haloander vocabulum *emtis*, quia fenfum turbat, omifit; eodem modo in L. 34. §. 4. *de Iureiur. neque patrono neque parentibus* legitur, Haloander vero *æque patrono & parentibus* legit, quamuis alii *b)* geminum illud *neque* recte fefe habere, exiftiment.

a) In Dedicat. ✝. proæm. *b)* conf. Clar. *Wieling* in præterm. ad Labittum & Schmuckium pag. 211.

§. XVI.

Nec minus *Guilielmi Budæi* & *Andreæ Alciati* coniecturas fuas fecit; multa ex ingenio fuo reftituit, &, fi de genuina legis lectione dubitauit, integrum ad lectorem transmifit iudicium, ac afterifco illud notaque adfcripta teftatus eft *a)*.

a) vid. Dedic. ✝. præmiffa.

§. XVII.

§. XVII.

Multa præclara *Haloandrina* continet editio, non ſolum enim Græcam loquendi rationem *Haloander* indicauit, & in fine operis Græcorum omnium, quæ in Pandectis occurrunt, interpretationes adiecit, ſed etiam iuris ſtudioſis per faſtos conſulares quam maxime conſuluit, & maioribus literarum formis Legum, Edictorum, actionum & exceptionum, formulas deſcribi curauit, vt non immerito *Antonius Auguſtinus a) omnium editorum optimos Haloandri libros* vocauerit.

a) Lib. I. Emend. & opin. c. 2.

§. XIIX.

Summa prætetea laude dignum nobis videtur, quod ſingulorum capitum inſcriptiones, quo iuris cultores, ex quo ICto, quoque eius libro leges deſumtæ eſſent, videre poſſint, quatuor & viginti fere libris primus ediderit; ceteras enim, quia neque *Politianus*, neque *Bologninus*, ex quibus ſua hauſit, illas deſcripſerant; nec etiam ceteri, quibus vſus fuit, Codices MSCti illas habuerunt, edere non potuit *a*).

a) v. Dedic. π. præmiſſa.

§. XIX.

In hoc tamen *Haloander* cenſuram *Antonii Auguſtini a*), *Henrici Brenckmanni b*) aliorumque mereri videtur, quod multa ſui arbitrii fecerit, particulas variauerit, ſæpiusque verba textui detraxerit, alia vero adiecerit, & ſic mirum in modum a lectione vulgata & Florentina receſſerit, nouamque plane lectionem ſubſtituerit.

a) *Ant. Auguſtinus*, Haloandrum ſe nimis audacem oſtendere, recte dixit. b) in hiſtor. Pand. Lib. IV. c. 3.

§. XX.

Si itaque dicendum quod res eſt, plana quidem ac perſpicua plerumque in *Haloandrina* editione eſt lectio, vnde etiam multos inuenit amatores, non tamen ſemper accurata, elegantiæque magis ſermonis, quam genuinæ lectionis habita fuit ratio.

§. XXI.

Poſt editionem Pandectarum ab *Haloandro* Norinbergæ anno 1529. tribus Tomis in 4to procuratam, ad exemplar eius Pandectæ editæ ſunt Pariſiis apud *Carolam Guillardam* anno 1540. vndecim voluminibus in 8. Pariſiis apud *Carolum Guillard*, viduam Cheuallonii & Guilielmi des Boys a. 1552. & 1553. ſeptem voluminibus in 8. Baſileæ apud *Thomam Guarinum* a. 1570. cum aliis iuris Iuſtinianei voluminibus tribus Tomis in f.

CAP. VI.

DE EDITIONE PANDECTARVM FLORENTINA VT ET MSCTO FLORENTINO.

§. I.

Tertia denique Pandectarum editio eaque præcipua dicitur *Florentina*, a MSCto illo Pandectarum vnico, quod Florentiæ inter κειμήλια Magni Ducis Etruriæ hodie ſeruatur, & olim Piſanum *a*), Litteræ Piſanæ *b*); Pandectæ Piſanæ *c*), Codex Piſanus *d*), & Archetypum Piſanum eſt dictum, ex eo quod MSCtum hoc a Piſanis Amalphis primum repertum, iure belli acquiſitum, & Piſas translatum fuit.

a) Quo nomine in gloſſis citari ſolet. *b*) ab *Accurſio* ad L. 9. π. *de pecul.* & L. 8. *de acceptat.* *c*) a *Guil. Budæo* in annot. ad L. 3. *de Legib.* *d*) ab *Andr. Alciato* Lib. II. diſpunct. c. 15.

§. II.

§. II.

Cum enim feculo XII. anno 1135. *Rogerius* Siciliæ Rex Amalphin ciuitatem in Apulia fitam aggresfus fuiffet, dominiisque fuis adieciffet, terrore omnem Neapolin impleuiffet, Pifani, implorati a *Roberto* Capuæ Duce reliquisque regni Neapolitani principibus *a*), claffem miferunt; Amalphim *b*) improuifo occuparunt, & cum cetera præda præftantiffimum Pandectarum MSCtum, cafu fortaffe, uti *Henricus Brenckmannus* fatis probabiliter coniicit *c*), Pifas transtulerunt *d*).

a) Caufam & occafionem huius belli *H. Brenkmannus* in hiftor. π. Lib. I. c. 6. & diff. pofteriori de Amalphi a Pifanis direpta, refert: *b*) non tamen Amalphin cum Melphi, ciuitate in agro Picentino fita, effe confundendam idem differtatione priori de Republica Amalphitana monuit. *c*) L. 1. c. 8. *d*) non tamen vt victores, vti vulgo creditur, fed vt victi a *Rogerio* Pifas rediere, vid. *H. Brenckmanni* diff. altera de Amalphi a Pifanis direpta §. 34.

§. III.

Vnde errant, qui duas diuerfas Pifanorum expeditiones *a*) confundunt, & Pifanis hoc MSCtum pro nauata opera, vel ab Imperatore *Lothario* II. *b*), vel ab *Innocentio* II. Pontifice & Imperatore fimul *c*) effe donatum, ftatuunt; nec minus errant, qui MSCtum hoc a Pifanis Neapoli *d*), vel Conftantinopoli *e*), vel in *Mathildæ* cuiusdam comitiffæ Italiæ bibliotheca ab ipfo Imperatore *Lothario* II. inuentum effe, credunt.

a) Quas bene *Henricus Brenckmannus* Lib. I. c. 7. diftinxit, multosque communes errores reiecit. *b*) vt *Taurellus* in Epiftola ad Cofmum Medicem Pand. Florent. præmiffa, vbi etiam inftrumentum donationis eius, per *Lotharium* in Pifanos collatæ, meminit, & *Henr. Spelmann.* in Gloffar. voce *Pandecta*, fed vid. *Brenckmann.* Lib. I. c. 7. *c*) vti *Marquard Freberus* in epift. ad Rudolphum II. Iuri Græco præm. & *Iac. Gothofredus*

dus in hist. iur ciu. c. 9. *d*) *Giouanni Ant. Summonte* dell' Istor. di Napoli Lib. II & *Franc. de Petris* Historia Napol. Lib. I. c. 6. *e*) *Iac. Thuanus* de vita sua Lib. I.

§. IV.

Remansit Pandectarum exemplar Pisis, vbi in minus eruditi ICti manus incidit *a*), & violentas falsasque, conquerente *Antonio Contio b*), manus pertulit, vsque ad annum 1416. quo a Florentinis per Ducem *Ginum Caponium* subacta est Pisanorum Respublica, & MSCtum illud Florentiam translatum *c*), vbi adhuc hodie in publico Reipublicæ palatio, non vero in Magni Ducis Bibliotheca, aut palatio, aut museo, vti multi falso sibi persuadent, & quidem in pretiosa cista sanctissime seruatur *d*).

a) Quod ipse *Henr. Norisius* in Cenotaph. Pisan. diss. 4. c. 3. profitetur. *b*) in præfat. ante ∓. *c*) v. *Taurelli* præfat. ∓. præmiss. & *Angelus Politianus* epist. 4. Lib. X. ad *Marquardum Breisacum* ICtum Germanum conscripta, quæ multa singularia de hoc MSCto continet. *d*) v. *Mabillon* de Re diplom. Lib. V. Tab. 7. p. 356.

§. V.

Quo tempore hic codex scriptus sit, inter Doctores non conuenit; *Angelus* enim *Politianus a*) non solum ætate Imperatoris Iustini illum esse conscriptum, sed & ipsius Imperatoris archetypon fuisse, statuit, *Andreas* contra *Alciatus b*) multis post Iustinianum seculis, illum scriptum esse, asseruit.

a) Lib. X. epist. 4. & cap. 41. Miscellan. *b*) Lib. III. dispunct. cap. 12.

§. VI.

Verum enim vero hunc Codicem neque ipsius *Iustiniani* vel *Triboniani* exemplar fuisse, neque ea ætate conscriptum esse, partim ex mendis quamplurimis, quæ in eo reperiuntur, partim quod quibusdam in locis

cis *a*) numerorum & verborum notis librarii vſi fuerint, quas notas tamen & verborum compendia Imperator tribus conſtitutionibus ſub pœna falſi fieri prohibuit, *Franciſcus Taurellus b*), *Antonius Auguſtinus c*) & *Henricus Brenckmannus d*) iudicant.

a) v. g. in tit. *de Legibus & Senatusconſultis.* *b*) in præfat. τ. præmiſſa. *c*) Lib. I. Emendat. & opin. c. 1. *d*) Lib. I. cap. 2.

§. VII.

Quare accuratiores, nimirum *Henricus Brenckmannus a*), *Ioannes Mabillon b*) & *Iuſtus Fontaninus c*), illum Codicem a Græco homine in ipſa imperii ſede Conſtantinopoli proxime poſt exceſſum Imperatoris *Iuſtiniani*, & quidem ſeculo VI. eſſe conſcriptum, ex ipſarum litterarum antiqua forma & ſcripturæ comparatione probabiliter coniiciunt.

a) Lib. I. hiſt. π. c. 3. & 4. *b*) de re diplomat. Lib. V. Tab. 6. *c*) de antiquit. Hortæ Lib. I. c. 5. n. 6.

§. VIII.

Sed valde diſceptatur inter eruditos; Vtrum ex Manuſcripto Florentino omnia, quæ ſuperſunt Pandectarum exempla, manauerint? Negatiuam *Iacobus Cuiacius a*), *Cornelius Eckius b*), *Ianus Vincentius Grauina c*), *Antonius Schultingius d*), *Chriſtian. Godofredus Hoffmannus e*) aliique, affirmatiuam vero *Antonius Auguſtinus f*), *Franciſcus Taurellus g*), *Franciſcus Balduinus h*), *Ericus Mauricius i*), *Vlricus Huberus k*), aliique tuentur.

a) Lib. II. Obſ. c. 1. *b*) in princip. iur. ciu. ſub tit. de origin. iur. n. 16. *c*) Lib. I. orig. iur. ciu. c. 140. *d*) in Iurispr. Anteiuſtin. in not. ad vitam Iulii Paulli a *Guil. Grotio* conſcriptam. *e*) in Hiſt. iur. Lib. II. c. 21. §. 9. *f*) Lib. I. Emend. c. 1. *g*) in dedic. ante π. Florent. *h*) in προλεγομ. de iure ciu. *i*) de lib. iur. comm. n. 9. *k*) in digreſſ. Iuſtin. P. 2. Lib. I. cap. 1.

 §. IX.

§. IX.

Rationes *negantium* sunt I. Quod MSCtum hoc a Pisanis & Florentinis omni tempore summa cum religione fuerit custoditum, vt omnes Codices MSCtos, qui hodie in Bibliothecis reperiuntur, ex eo manasse, exinde non sit probabile *a*): II. Quod magna sit lectionum varietas, & hoc vel illud exemplar meliorem, & analogiæ iuris conuenientiorem lectionem sæpius exhibeat *b*); III. Quod *Iuo Carnotensis c*) Pandectas citet, qui tamen anno MCXVI. & ita XIX. annos ante repertum Amalphi MSCtum, mortuus esse dicitur *d*); IV. Quod eodem tempore, quo Amalphi r. inuentæ, etiam Rauennæ aliud exemplar repertum fuerit.

a) Ita sentit *Hoffmann* in histor. iur. p. 311. *b*) in hac opinione idem vt & *Schultingius* in Iurisprud. Anteiust. in not. ad vitam Paulli ICti est. *c*) epist. 99. & 134. quas *Innocentius Cironius* Lib. V. Obs. Iur. Can. citat. *d*) in Chronico *Alberici* apud Leibnitium inter scriptores Rer. Brunsu.

§. X.

Rationes *affirmantium* præcipuæ hæ sunt I. Quod præposterum ordinem vltimarum paginarum sub titulo: ; *de regulis iuris* cum Florentino omnes Codices MSCti communem habeant *a*); II. Quod Tituli: *de ventre in possessionem mittendo*, & *de coniungendis cum emancip. liberis* in omnibus Codicibus manuscriptis præpostere scripti sint *b*); III. Quod quatuor capita finalia Tituli *de vsurpationibus & vsucapionibus* separatum Titulum *pro soluto* in omnibus MSCtis constituant *c*); IV. Quod lacunæ post Titulos: *de bonis damnatorum* & *de interdictis & relegatis*, quas *Cuiacius* & *Contius* supplerunt, in omnibus tam scriptis quam editis Pandectarum exemplaribus reperiantur; Quibus adhuc alias sat prægnantes *Antonius Augustinus d*), & *Henricus Brenckmannus e*) addunt.

a) v. *Anton. Augustinus* c. 2. Emend. c. 1. & Taurellus in præf. ad . b) Titulus enim: *de ventre in possessionem mittendo,* ante titulum: *de coniung. cum emanc. lib.* est scriptus. c) *A. Augustinus* Lib. III. Emend. c. 1. d) Lib. III. c. 3. e) Lib. III. c. 1.

§. XI.

Et hæc affirmantium argumenta validiora nobis videntur rationibus negantium; Non enim sequitur: difficilis ad hoc MSCtum semper fuit aditus, ergo non omnes Codices MSCti ex eo manarunt; sufficit enim, quod vnus vel alter describendi copiam acceperit a), quem deinceps mille alii describere potuerunt, nec varietas lectionum nos turbare debet, vt affirmatiuam deferamus sententiam; variantes enim in vulgaribus Codicibus lectiones vt plurimum sunt mendosæ, & si aliquando melior & plenior in illis, quam in Florentina sit lectio, illam ingenio & eruditioni ICtorum, mendosam MSCti Florentini lectionem emendantium, non antiquo cuidam MSCto, a Florentino diuerso, tribuendam esse credimus.

a) Exemplo esse potest *Angeli Politiani* collatio, quam deinceps *Ludouicus Bologninus*, *Antonius Augustinus*, *Victorius* & alii descripserunt.

§. XII.

Maioris quidem momenti videntur esse tertium & quartum negantium argumentum; sed vt ea, quæ de MSCto Pandectarum Ravennatensi a Doctoribus proferuntur, dubia plane ac incerta sunt, ita particulas Pandectarum, quas *Iuo* citat, alibi laudatas inuenisse, vel MSCtum, si quod habuit, antequam ab aliis descriptum fuit, vti probabiliter *Henricus Brenckmannus* a) coniicit, potuit.

a) L. 3. c. 2.

§. XIII.

Constat autem MSCtum duobus voluminibus pro-

ne quadratis in membrana conſcriptis, quorum alterum libros nouem & viginti, alterum vnum & viginti reliquos continet, Græcum in fronte epigramma eſt. Græcae præfationes, Græcus auctorum, ex quibus Leges ſumtæ & in Digeſta relatæ, index conſpiciuntur *a*).

a) *Ang. Politian.* epiſt. Lib. X. *Anton. Auguſtinus* Lib. III. emendat. & opin. c. 3. & *H. Brenckmann.* Lib. II. c. 1.

§. XIV.

Scriptura huius Codicis maiuscula eſt & continua, atque non orationibus ac periodis ſolum, ſed ne verbis quidem more veterum librorum diſtincta *a*); inueniuntur tamen in eo, inprimis ſub Titulo: *De Legibus & Senatusconſultis*, quædam notæ, abbreuiaturæ, monogrammata, contignationes, aliaque ſcripturæ compendia. *b*)

a) *Anton. Auguſt.* Lib. I. Emend. c. 9. add. *Chriſtian. Vlrici Grupen.* Tract. Quod melius ſit virginem ducere, quam vxorem, Ienæ 1721. edit. vbi in fin. de Virgine Florentina i. e. *Codice ff.* agit, illumque non maiuſculis & verſalibus ſemper litteris ſcriptum eſſe, monſtrat. *b*) idem L. 1. c. 1. *Franciſcus Taurellus* in præf. cit. & *Henricus Brenckmann.* Lib. II. cap. 3. & 4.

§. XV.

Et licet librarii ſummam in deſcribendo hoc Codice adhibuerint diligentiam; tamen, cum homines ſimplices & minus eruditi fuerint illorum imperitia, negligentia ac ineptia varia in hunc Codicem irrepſerunt vitia, quæ *Antonius Auguſtinus a*), *Laurentius Theodorus Gronouius b*) & *Henricus Brenckmannus c*) annotarunt.

a) Lib. IV. Emend. c. 2. *b*) in emendat. π. ad exemplar Florent. *c*) Lib. II. c. 5.

§. XVI.

§. XVI.

Ita libro Pandectarum XXXIIX. post Titulum *de dotis collatione* sequitur titulus: *De ventre in possessionem mittendo*, omisso medio titulo *de coniungendis cum emancip. liberis a*) Pariter sub titulis: *De bonis damnatorum* & *de interdictis & relegatis* multa desiderantur capita, a *Iacobo Cuiacio* & *Antonio Contio* ex libris Basilικῶν deinceps restituta.

a) Quo igitur de ordine horum titulorum lectori constaret, initio tituli: *De ventre in possessionem mittendo* librarius in margine sequentia adposuit. οὗτος ὁ τίτλος μετὰ τὸν ἑξῆς ἐστιν i. e. hic titulus post sequentem est, v. *Brenckmann.* Lib. I. c. 3.

§. XVII.

Eodem modo cum librarii, homines Græci, linguam Latinam non callerent, voces sæpius perperam distinxerunt *a*), syllabas vocum immutarunt *b*), multaque alia imperitiæ & simplicitatis suæ specimina, obseruante *Henrico Brenckmanno c*), dederunt.

a) Ita cum in L. 1. §. 52. *depositi* in apographo scriptum fuerit : *quem dominum eius putasti cum non esset*, librarius, *quem dominum eius puta Stichum non esset*, posuit, sic alibi sub Tit. *ad SCtum Turpilianum* pro *in Turpilianum* scripsit *inter pupillianum*. *b*) ita *pars bodie* pro *rapsodiæ*, *supertus* pro *subreptus*, *iurna* pro *ruinæ*, *domus* pro *modus*, *susceptam* pro *suspectam*, *nepotum quantibus* pro *quantum nepotibus*, *damnatum* pro *mandatum* scriptum esse *Antonius Augustinus* Lib. IV. Emend. c. 2. annotauit. *c*) L. 2. c. 5.

§. XIIX.

Paria fata Codex Florentinus a friuola & inepta correctorum manu, in primis a correctionibus, quæ Pisis in illum irrepserunt, expertus est; vt enim correctores eiusdem farinæ homines erant ac librarii, sic partim Latinæ linguæ, partim antiquitatis ignorantia,

ſæpius ab illis fuit peccatum; & loco veræ ac genuinæ falſa lectio ſuperinducta; ineptæ falſæque correctionis exempla quamplurima *Henricus Brenckmannus a)* adducit.

a) Lib. II. hiſt. π. c. 6.

§. XIX.

Summa autem huius MSCti ab eo ſtatim tempore, quo Piſas eſt translatum, fuit auctoritas; cum enim, Piſanum illud MSCtum *Iuſtiniani* eſſe archetypon, omnium ſtudioſorum, a maioribus accepta, & a veteribus præceptoribus per manus quaſi tradita eſſet opinio; eius lectionem ſummo in pretio habebant, & ſi controuerſiæ inter illos orirentur, ad hoc exemplar, tamquam Apollinis oraculum & ſacram quaſi anchoram, confugiebant.

§. XX.

Patet hoc non ſolum ex gloſſis, ſeculo XII. & XIII. a primis iuris Iuſtinianei interpretibus ad hoc conſcriptis, in quibus frequens ad lectionem Piſanam, ſeu vt *Accurſius* loqui amat *a*), literam Piſanam, eſt prouocatio; ſed etiam ex aliis Pandectarum Codicibus, manu ea ætate exaratis, in quibus frequenter lectio Piſana adfertur.

a) ad L. 9. in f. *de pecul.* & L. 8. *de acceptilat.*

§. XXI.

Optimum præterea huius rei, decantata *Bartoli* legatio Piſas præbet teſtimonium; Cum enim illi cum *Accurſio* minore ſiue *Franciſco Accurſio a*), non vero *Baldo*, vti *Antonius Auguſtinus b*), *Carolus Labbæus c*) aliique ſentiunt, neque cum *Franciſco Tigrino*, quem *Ianus Vincentius Grauina d*), communem opinionem refutans, in locum *Baldi* ſubſtituit, magna de re eſſet contentio, & de cuiusdam capitis ſcriptura dubitaretur, Piſas miſerunt, huiusque MSCti lectionem conſuluerunt *e*).

a) Ipſe

a) Ipſe *Bartolus* aduerſarium ſuum ad L. 3. C. *de Condict. ob cauſ. dat.* n. 4. nominat. b) Lib. I. Emend. c. 1. c) in Dedic. ante Synopſin Baſilικῶν. d) in orig. iur. ciu. Lib. I. c. 164. e) legationis huius, vt maxime memorandæ, ipſe *Bartolus* ſæpius meminit, nimirum ad L. nemo *de pactis*. ad L. ſi creditor §. fin. *de Distract. pign.* ad L. 114. §. 14. *de leg.* 1. ad L. 135. §. ſi ita *de V. O.*

§. XXII.

Mirum in modum huius MSCti, poſteaquam poſterior ætas litteras elegantiores attulit, illasque cum ſtudio iuris ciuilis coniunxit feliciter, creuit auctoritas; ICti enim, non contenti vulgarium librorum lectione, frequenter illud conſuluerunt, omnibus vulgatis exemplaribus antepoſuerunt, eiusque beneficio varia Pandectarum capita mendoſa, manca & mutila reſtituerunt.

§. XXIII.

Primus, qui renaſcentibus elegantioribus litteris MSCtum hoc adiit, contulit, & in ſuos vſus conuertit, *Angelus Politianus*, bonarum litterarum reſtaurator egregius, fuit: non tamen, vti vulgo creditur, illud deſcripſit, ſed tantum exemplar typis impreſſum ad illud ſtudioſe ac diligenter contulit a).

a) v. *Brenckmann.* Lib. IV. c. 1.

§. XXIV.

Poſt Angelum Politianum *Ludouicus Bologninus* ICtus, cuius maxima in corrigendis reſtituendisque iuris libris fuit diligentia, non contentus illius collatione, quam deſcripſit, ipſum MSCtum ad vnguem euoluit a), aliosque Codices cum eo contulit, & Pandectarum editionem magna cura parauit, quæ tamen poſt eius demum obitum publicam adſpexiſſe lucem videtur b).

a) Vt ipſe in libris π, quæ Bononiæ in ædibus S. Dominici aſſeruantur, profitetur, vnde errat *Ant. Augustinus*

ftinus, dum *Bologninum* libros Florentinos contulisse, negat. *b*) & quidem Lugd. a. 1516. apud. *Franciscum Fradin* vti doctissimus *H. Brenckmannus* Lib. IV. c. 4. coniicit.

§. XXV.

Praeterea Florentinum exemplar *Guilielmus Budaeus a*), *Andreas Alciatus b*) & *Antonius Augustinus c*) etiam inspexerunt; quorum hic circa annum 1540. tres Menses illud diligentissime euoluit, cum libris editis summa solertia comparauit, ac quamplurima, in primis Noricorum librorum, loca ope huius Codicis correxit *d*).

a) Vti ipse ad L. 1. *de I. & I.* L. 3. *de Leg.* & L. 10. *de pollic.* profitetur. *b*) vt ipse in dedicat. ante libros dispunctionum testatur. *c*) *Brenckmannus* Lib. IV. hist. π. c. 4. *c*) de quo elegantissimi eius Emendationum & opinionum libri satis superque testantur.

§. XXVI.

Cum autem incredibile ICtorum, publice libros Florentinos inspiciendi, esset desiderium, gratum hoc *Laelius Taurellus* ICtus vniuerso ICtorum ordini praestitit officium, & non solum Pandectas ab innumeris, quibus scatebant, sordibus liberauit, sed etiam illas ad exemplar MSCti Florentini, iussu *Cosmi* Magni Etruriae Ducis, per *Franciscum* filium in adspectum lucemque protulit, *a*) puramque ac putam Florentinarum Pandectarum lectionem exhibuit *b*).

a) & quidem Florentiae a. 1553. in f. Typis *Laurentii Torrentini* pulcherrimis. *b*) posteaquam fere decennium in conferendis Florentinorum libris contriuit, vid. eius praef. ante π. Fasciculus IV. Nouae rariorum librorum collectionis, quae Halae 1715. 8. prodiit, vbi quaedam de vtroque *Taurello* patre & filio adferuntur, & *H. Brenckmannus* Lib. I. c. 11. & Lib. IV. c. 5.

§. XXVII.

Ediderunt etiam Digesta ad exemplar Florentinum ante Taurellum *Hugo* a *Porta* Typographus Lugdunensis anno MDLI *a*), & *Ludouicus Miræus* Parisiis MDLII. & post Taurellum *Ludouicus Russardus* Lugduni MDLXI. *Antonius Contius* Parisiis MDLXII. *Ludou. Charondas* Antuerpiæ MDLXXV. aliique, sed puram putam lectionem Florentinam illos non exhibere, ex collatione harum editionum cum Taurelliana statim patet.

a) De *Hugonis a Porta* editione ita *Taurellus* in præf. ante *. iudicat: *Hic quidem puram putam, quam prætendit Florentinarum Pandectarum lectionem, nunquam vidit: accepit autem multa ex quodam bono viro, cui familiariter suorum priuatorum librorum Lælius pater non adeo tunc emendatorum copiam fecerat, ex quibus tum alia, tum annotatiunculas nonnullas desumpsit, Hugonique exhibuit nobis ignaris, plurima tamen omisit, plurima secus quam in Florentino exemplari habeantur, tradidit; vt clare vobis legentibus apparebit.*

§. XXVIII.

Vt autem non omnibus eruditis Taurelliana, quod quædam sui arbitrii *Taurellus* fecerit, alia vero eius diligentiam effugerint, Pandectarum satisfecit editio *a*), *Laurentius* vero *Theodorus Gronouius* ex sua MSCti Florentini collatione, circa annum MDC LXXX. instituta *b*), nihil præter emendationes in Pandectarum constitutiones præuias & indicem auctorum ad exemplar Florentinum *c*) cum erudito orbe communicauit; ita doctissimus *Henricus Brenckmannus* ICtus, ad exornandam elegantiorem iurisprudentiam diuinitus excitatus, communis vtilitatis causa Italicum iter ad excutiendum MSCtum Florentinum suscepit, Florentiam adiit, & antiquissimum illud archetypum a capite ad calcem inspexit.

a) Accusationes & querimonias *Antonii Contii*, *Alberici Gentilis* aliorumque aduersus Taurellum *Brenckmannus* Lib,

Lib. IV. c. 5. recenset, simulque defensionem *Taurelli* subiicit. vid. *Georg. Conr. Crusii* desiderium quod Tom. I. Thes. iur. Ciu. p. 642. reperitur. *b*) de hac *Gronouii* ad MSCtum Florentinum admissione conf. *Norisius* in Cenotaph. Pis. Diss. II. c. 17. *c*) quæ Lugduni Batau. 1685. 8. prodierunt.

§. XXIX.

Ac posteaquam integros quatuordecim menses in conferendo MSCto Florentino contriuit, & omnia, quæ *Angeli Politiani*, *Antonii Augustini*, *Lælii Taurelli*, *Laurentii Theodori Gronouii*, & reliquorum, quibus licuit MSCtum illud consulere, ἀκρίβειαν effugerunt, ope *Antonii Mariæ Saluini*, hominis κριτικωτάτου, diligenter annotauit, & in ordinem coëgit, in eo iam occupatus est *a*), vt quam emendatissime accuratissimeque Pandectarum prodeant libri; quod opus multo desiderio expectamus, doctissimoque auctori ad illud perficiendum & vitam & vires adprecamur.

a) ceu in eius historia Pandectarum seu fato exemplaris Florentini Traiecti ad Rhenum 1712. 4. edita legimus, add. Tom. II. Diarii Veneti & Acta Erudit. Lips. a. 1710. p. 468.

§. XXX.

Ad auctoritatem denique exemplaris Florentini quod attinet, quidam vt *Angelus Politianus a*), *Franciscus Taurellus b*) aliique nimium eam efferunt, vulgariumque librorum lectionem omnino aspernandam esse credunt *c*); alii, vt *Andreas Alciatus d*), *Nicolaus Henelius e*) & *Ioannes Robertus f*) nimium illi detrahunt, imo vulgarium librorum lectionem maiori in pretio, quam Florentinam habent; rursus alii, vt *Ioannes Goeddæus g*) & *Elbertus Leoninus h*) Codices vulgatos pari cum Florentina habent.

a) Lib. X. epist. 4. *b*) in præfat. ante π. *c*) nimiam MSCti Florentini suo tempore auctoritatem *Anton. Faber* Lib. I. Coniect. c. 14. incusat. *d*) Lib. III. dispunct. c. 12. *e*) de vet. ICtis c. 2. *f*) Lib. I. re-

recept. lect. c. 8. g) in tit. *de Verb. signif.* b) Lib. VII. Emendat. c. 21.

§. XXXI.

Quamuis autem errores MSCti Florentini haud celemus, quos etiam *Antonius Augustinus*, strenuus alias illius defensor, non inficiatur, & *Iacobus Cuiacius*, *Franciscus Hottomannus*, *Iacobus Gothofredus*, *Gerard Noodtius & Cornelius Bynckerboekius* variis locis ostenderunt: esse tamen, cum ceteri Codices omnes ex illo manarint, reliquis omnibus libris illud anteponendum, & a scriptura eius non temere recedendum a), firmiter concludimus.

a) Vnde recte *Ioachim. Hagemeyer* nobis sentire videtur, cum de auctor. iur. ciu. & can. c. 4. ait: *Codex Florentinus non immerito praefertur vulgatis exemplaribus, modo nihil absurdi, iniqui aut duri habeat, vel quod expressis textibus iuris & rationi aut naturali aequitati aduersetur: si vero tale quid ibi reperiatur, tum non facile ab antiquis editionibus recedendum est.* add. *Detlev. Langerbeck* Annotat. iur. c. 41. & *Petr. de Toullieu* in Diss. ad Legem cum societas *pro socio* c. 9.

CAP. VII.

DE QVINQVAGINTA IMPERATORIS IVSTINIANI DECISIONIBVS.

§. I.

CVm autem Imperator *Iustinianus*, de Pandectis componendis cogitans, quamplurimas discrepantes in libris veterum ICtorum reperiret sententias, post editionem prioris sui Codicis, eo quidem tempore, quo Pandectae, conficiebantur, quinquaginta Decisiones *Triboniani* potissimum industria a) edidit, illisque iuris antiqui altercationes, quae vix decidi posse *Iustiniano* videbantur b), feliciter composuit.

a) Ipse

a) Ipse *Tribonianus* sibi quinquaginta Decisiones in §. 7. I. *de libertinis* his verbis tribuit: *& dedititios quidem per constitutionem nostram expulimus, quam promulgauimus inter nostras decisiones, per quas, suggerente nobis Triboniano, viro excelso, Quaestore, antiqui iuris altercationes placauimus.* b) L. pen. C. *de necess. seru. her. instit.*

§. II.

Sunt itaque quinquaginta Imperatoris Decisiones post primi Codicis Iustinianei editionem *a*) tribus illis annis 530. 31. & 32. seu 4. 5. & 6. imperii *Iustiniani* anno promulgatae, & permixtim ad *Iulianum & Ioannem* P. P. *Lampadio & Oreste* Coss. & post Consulatum *Lampadii & Orestis* anno secundo scriptae: anno enim sequenti 533 *Iustiniano* III. & *Paulino* Coss. quatuor Institutionum libros, in quibus Decisionum suarum meminit *b*), edidit & confirmauit *c*).

a) Ita enim Imperator in constitut. *de Emendat. Cod. Iustin.* §. 1. ait. *Postea vero, cum vetus ius considerandum recepimus, tam quinquaginta decisiones fecimus, quam alias ad commodum propositi operis pertinentes plurimas constitutiones promulgauimus, quibus maximus antiquarum legum articulus emendatus, & coarctatus est; omneque ius antiquum superuacua prolixitate liberum atque enucleatum in nostris Institutionibus & Digestis reddidimus;* b) §. f. I. *de libertin.* c) vnde *Wilhelm Ludwell.* L. Decisiones eodem tempore, quo Institutiones compositae sunt, editas esse, existimans, errat in diss. inaugur. *de L. Decis.* §. 5.

§. III.

Quare L. vlt. C. *Quando tutores vel curatores* & L. 12. C. *de contrahenda stipulatione*, ad quinquaginta Decisiones, quamuis altercationes iuris antiqui in illis componantur, haud sunt referendae, quia, vt docet illarum subscriptio, 3. & 9. Idib. April. *Decio* V. Con-

Consule sunt promulgatæ; adeoque quibusdam diebus primi Codicis editionem præcesserunt.

§. IV.

Etsi autem iisdem tribus annis, quibus Digesta conficiebantur, quinquaginta Decisiones ab Imperatore fuerunt promulgatæ: prius tamen illarum, quam Digestorum compositionem aggressus est; exemplo erit L. I. C. *de communi seruo manum.* quæ vna ex quinquaginta Decisionibus,& Kal. April. *Lampadio* & *Oreste* Coss. edita est: cum tamen Pandectarum confectio 18. Kal. Ianuar. iisdem Coss. *Triboniano* demum mandata fuerit *a*).

a) Vti ex subscriptione Constit. *de Concept. Digest.* colligitur. conf. *Edmundus Merillius* prolegom. ad L. Decisiones.

§. V.

Numerus harum Decisionum valde incertus ac dubius est, nam licet, Imperatorem *Iustinianum* quinquaginta post primi sui Codicis editionem promulgasse, certissimum sit *a*): incertum tamen est, utrum pauciores, an plures in Codicem, quem iam habemus, repetitæ prælectionis fuerint coniectæ; *Edmundo* sane *Merillio q*) vtrumque probabile videtur, & quidem prius, quia, omnes in posteriorem Codicem relatas esse Decisiones, non constat, posterius vero, tum quod quasdam Decisiones ex priori Codice posteriori inseruerit *c*), & alias in diuersa capita secuerit *d*), tum quia fieri potuerit, vt quinquaginta Decisionibus, quas antea fecerat, alias adiecerit.

a) Ex §. I. C. *de Emend. Cod. Iustin.* *b*) in prolegom. ad L. Decis. *c*) vt L. f. C. *Quando tut vel curat. esse desinunt* & L. 12. C. *de contrah. vel comm stipulat.* *d*) v. §. 2. C. *de emend Cod. Iustin.* exemplo erunt L. 6. C. *de cur. fur.* & L. 9. *qui testam. fac. possunt.* quas vnam fuisse Decisionem, in duas dissectam, *Edm. Merillius* l. c. probabiliter conicit.

§. VI.

Eodem modo non satis constanter Quinquaginta Decisiones in Codice Iustinianeo *Ioannes Strauchbius* ICtus consignasse videtur; nam in catalogo seu tabula chronologica LIII. Decisiones exhibet, in subsecuta vero decem legum tractatione tres Decisiones, quarum tamen nulla in tabula mentio, nimirum L. 35. §. 1. C. *de inoffic. testam.* L. f. C. *vbi & apud quem in integr. restitut.* L. 12. *de usufructu* proponit, & prolixe explicat.

§. VII.

Sequentem quinquaginta Decisionum catalogum, secundum ordinem temporis, quo editæ fuerant, *Edmundus Merillius*, qui omnium accuratissime rem expendisse videtur, *a*) confecit;

Decisiones editæ *Lampadio* & *Oreste* Coss.

Lex 1. *de comm. seru. manum.* L. f. C. *ad SCtum Macedon.* L. 24. C. *de nuptiis.* L. 12. C. *de vsufr.* L. pen. C. *de cond. ind.* L. pen. C. *ad SCt. Vellei.* L. f. C. *de contrab. emt.* L. 20. C. *de furt.* L. f. C. *de præt. pign.* L. 13. C. *de contrab. & comm. stipul.* L. f. *arbitr. tut.* L. 6. *de cur. fur.* iuncta L. 9. *Qui testament. fac. poss.* L. f. *de furt.* L. pen. *de adopt.* L. 13. 14. 15. 16. *de vsufr.* L. f. *de cond. ind.* L. 25. & 26. *de nupt.* L. 21. *de furt.* L. f. *ad SCt. Orphit.* L. 14. *de fideic. libert.* L. f. *de dot. promission.* L. f. *per quas pers. nob. acquir.* L. antep. *de necess. seru. her. inst.* L. pen. *de post. hered. instit.* L. 23. *de legatis,* L. pen. & vlt. *de fideic. libert.* L. f. C. *de comm. seru. manum.* L. f. C. *de neg. gest.* L. f. C. *de post. her. instit.*

Decisiones editæ post Consulatum *Lampadii* & *Orestis.*

L. pen. *de fideic.* L. pen. *de necess. seru. her. instit.* L. 24. C. *de legat.* L. 20. *de iure delib.* L. 4. *de verb.*

verb. signif. L. 21. *de iure delib.* L. pen. & vlt. *de impub. & aliis subst.* L. vlt. *qui & adu. quos in integr. restit.* L. vlt. *de vsufr.* L. f. *de reb. cred. & iurei.* L. f. *de pact. int. emt. & vend. comp.* L. f. *de acquir. & retin. poss.* L. f. C. *de seruit. & aq.*

Decisiones editæ post consulatum *Lampadii* & *Orestis* anno secundo.

L. vlt. *de condit. insert.* L. vlt. *de remiss. pign.*

a) Et ex eo Dn. *Struuius* in hist. iur. p. 315. *Hoffmannus* in hist. iur. p. 355. & *Wieling*, qui catalogum harum Decisionum secundum ordinem temporis, quo editæ fuerunt, Iurisprudentiæ restitutæ p. 144. inseruit, nec minus *Francisc Raguellus* post præfat. Comm. ad Constit. & Decis. Iustin. Paris. 1610. 4. aliam seriem L. Decisionum exhibet.

§. VIII.

Vt autem permixtim quinquaginta Decisiones & variæ constitutiones ab Imperatore *Iustiniano* fuere editæ *a*), ac ipse Imperator promiscue Decisionum & Constitutionum nomine vtitur *b*), nec in omnibus *Iustiniani* Decisionibus verbum Decisionis reperitur *c*); ita Decisiones a Constitutionibus dignoscere, & quisnam verus quinquaginta Decisionum externus pariter ac internus sit character, exprimere, admodum difficile est.

a) v. §. 1. Const. *de emendat. Cod. Iustin.* *b*) ita L. 1. C. *de comm. seruo manumisso* est decisio, quæ tamen in §. f. I. *de donat.* dicitur Constitutio, L. pen. C. *de necess. seruo hered. instit.* est Decisio in §. idemque iuris I. *Quib. ex causis manum. non licet*, eadem constitutio nominatur, plura exempla *Edmundus Merillius* in proleg. ad L. Decis. adducit. *c*) sed tantum in 29. ex illis L. Decisionibus Decisionis verbum reperitur.

§. IX.

Videtur quidem hæc inter Constitutiones & Deci-

fiones intercedere differentia, quod in his controuerfiæ antiquorum ICtorum decidantur *a*), in illis vero vel ius obfoletum abrogetur, vel, quod certum, immutetur, vel, quod dubium erat, interpretatione fuppleatur, vel, quod fuperfluum, coarctetur, vel differentia quædam tollatur; verum non omnes decifiones & conftitutiones, quibus iuris veteris altercationes tolluntur, ex quinquaginta effe decifionibus, recte *Edmundus Merillius b*) & *Wilbelmus Ludwellus c*) animaduerterunt.

a) v. §. fin. I. *de Libert. b*) in prolegom. ad L. decif. *c*) in differtat. inaugur. *de L. Decifion.* §. 10.

§. X.

Primo enim illæ Decifiones, quæ prioris Codicis editionem præcefferunt *a*), quamuis ICtorum controuerfiæ illis decidantur, quinquaginta Decifionibus non recte annumerantur; deinde illæ quoque decifiones, quibus iuris controuerfiæ non circa fpeciem aliquam, fed generaliter tolluntur *b*), aut quibus in iudiciis aliqua contentio deciditur *c*), aut inter aduocatos Illyricianæ, Palæftinæ & Cæfarienfis aduocationis lis aliqua dirimitur *d*), in Decifionum numerum haud referendæ funt.

a) Vt L. vlt. C. *quando tutor. vel curat.* & L. 12. C. *de contrab. & committ. ftipul. b*) veluti circa petitionem hereditatis in L. vlt. C. *de heredit. pet.* nudum ius Quiritium in L. vn. C. *de nudo iure Quir. toll.* præfcriptionem longi temporis, in L. vlt. *de præfcript. long. tempor.* miffionem in bonorum poffeffionem rei feruandæ caufa, in L. f. C. *de bon. auctorit. iud. poffid.* fententias in L. vn. C. *de fentent. quæ pro eo, quod intereft.* nouationes in L. vlt. C. *de Nouation. c*) vt in L. f. C. *de natur. lib.* L. 1. & f. C. *de annal. exc.* L. vlt. C. *de ædific. priu.* L. f. C. *Qui bon. ced. poff.* L. 14. C. *de contrab. & comm. ftipul. d*) vt in L. f. C. *de pact.* L. f. C. *de aduoc. diu. iud.* L. f. C. *de V. S.* L. f. C. *vnde vi* L. pen. C. *de fideiuff.*

§. XI.

§. XI.

Si itaque dicendum quod res eſt, eæ tantum Deciſiones *Iuſtiniani*, quæ poſt primi Codicis editionem ſunt promulgatæ, quibusque controuerſiæ iuris antiqui non generaliter, ſed circa ſpeciem aliquam componuntur, in numerum quinquaginta Deciſionum Iuſtinianearum referri debent.

§. XII.

Externam harum L. Deciſionum notam *Andreas Alciatus, a)* & cum eo plerique recentiorum, faciunt inſcriptionem *ad Ioannem* vel *Iulianum P. P.* & ſubſcriptionem *Lampadio & Oreſte* Coſſ. vel *poſt eorum Conſulatum*; ſed ab inſcriptionibus differentiam Deciſionum & aliarum conſtitutionum non commode peti, ex eo quod quamplurimæ aliæ conſtitutiones *ad Iulianum & Ioannem P. P.* eodem quidem tempore quo L. Deciſiones promulgatæ ſunt, editæ fuerint *b)*, ſatis cognoſcitur.

a) Lib. VI. Parerg. c. 12. *b)* Imperator hoc ipſe in §. 1. Conſt. *de Emend. Cod. Iuſtin.* profitetur.

§. XIII.

Licet autem L. Deciſiones diuerſo tempore nimirum A. C. 530. 31. & 32. fuerint emiſſæ: illas tamen mox eſſe collectas, & in vnum corpus redactas, quia Imperator non ſolum in plurali eas frequenter citat *a)*, ſed etiam Deciſiones a Conſtitutionibus ſollicite ſeparat *b)*, admodum probabile nobis videtur.

a) Vt in L. vn. §. his ita C. *de caduc. toll.* & §. 5. I. *de obligat. quæ ex delicto.* *b)* vt in §. fin. I. *de libert.*

§. XIV.

Poſteaquam vero Imperator *Iuſtinianus* priorem Codicem emendare, illumque, quem iam habemus, conficere iuſſit; has L. Deciſiones, quæ extra illum hactenus diuagabantur, decerptas, & ad competentes

 titu-

titulos a *Triboniano* relatas, in Codice repetitæ Prælectionis iam conſpicimus *a*).

a) Ita enim Imperator §. 2. Conſtit. *de emend. Cod. Iuſtin.* hæc quæ a nobis dicta ſunt, vlterius declarat: *Sed cum Nouellæ noſtræ tam Deciſiones quam Conſtitutiones, quæ poſt noſtri Codicis confectionem latæ ſunt, extra corpus eiusdem Codicis diuagabantur, & noſtram providentiam noſtrumque conſilium exigere videbantur, quippe cum earum quædam ex emerſis poſtea factis, aliquam meliore conſilio permutationem vel emendationem deſiderabant, neceſſarium nobis viſum eſt, per Tribonianum virum excelſum* &c. *easdem conſtitutiones noſtras decerpere, & in ſingulas diſcreta capitula, ad perfectarum Conſtitutionum ſoliditatem competentibus ſupponere titulis, & prioribus conſtitutionibus eas aggregare.*

§. XV.

Vtrum vero L. Deciſiones Pandectarum derogent Legibus annon? inter Doctores non conuenit; affirmatiuam enim *Franciſcus Duarenus a*), *Eguinarius Baro, Hunnius* aliique quamplurimi, ex eo quod iuris antiqui controuerſiæ, quæ in Digeſtis ſuperſunt, hiſce Deciſionibus tollantur, tuentur; verum cum ius antiquum, quod in veterum ICtorum libris reperiebatur, iam ante Pandectarum compilationem hisce Deciſionibus fuerit emendatum, atque ita demum in Pandectarum corpus relatum, non poſſe L. Deciſiones tanquam priores poſteriores Digeſtorum leges corrigere, alii ſtatuunt.

a) Quod ipſe Imperator §. 1. C. *de emend. Cod. Iuſtin.* profitetur.

§. XVI.

Has L. Deciſiones, in Codice repetitæ prælectionis diſtractas, rurſus collegerunt, eruditisque ſuis commentariis *Edmundus Merillius a*), *Petrus Franciscus Linglois b*), *Ioannes Strauchius c*) & *Dominicus Baſſi d*) illuſtrarunt: dolendum tamen, quod omnes, præter *Merillii*, labores imperfecti, nec ad finem perducti fuerint.

a) Pariſ.

a) Parif. 1618. 4. & inter opera Neapol. 1720. 4. coniunctim edita. b) Antuerp. 1661. f. c) Giessæ 1676. 4. cuius tamen eruditus commentarius ad X. tantum leges dirigitur. d) in rediuiuo ingenii partu, siue De Iustin. Imp. L. Decisionibus, præcipuis controuersiis ex vniuerso iure communi desumtis, solide illustratis, iurique Bauarico passim accommodatis Viennæ 1708. 4. v. Acta Erud. a. 1709. p. 216.

§. XVII.

Historiam L. Decisionum, præter scriptores historiæ iuris Iustinianei, *Edmundus Merillius* a), *Franciscus Balduinus* b), *Ioannes Strauchius* c) & *Wilhelmus Ludwellus* d) tradiderunt.

a) In prolegom. Comment. *ad L. decis.* præmissa. b) in Iustiniano siue de iure nouo commentario. c) Diss. I. *ad L. Decis.* c. 1. d) in Dissert. inaugur. *de L. Decisionibus*, quæ eius exercit. XVIII. ad Ius Iustin, Altorf. 1663. 4. editis subiecta reperitur.

C A P. IIX.

DE INSTITVTIONIBVS IVSTINIANEIS.

§. I.

ANtequam autem Imperator *Iustinianus* Digesta emitteret, libros Institutionum a) quatuor componendos curauit, vt essent prima legum principia & elementa b), vtque a principio ipso studiosi legum vocem principalem audire c), & eiusmodi ius, quod in ipsis obtineret rerum argumentis, addiscere possent d).

a) Veteres etiam dixerunt *Instituta*, vt *Priscianus* Lib. VI. in f. laudat *Gaium* Lib. I. Institutorum, & *Boëthius* in Top. Cic. Lib. II. Vlpianum citat in suis Institutis, sed hoc posterioris minusque probatæ latinitatis esse, & multum apud Latine loquentes differre *Institutio-*

tutiones & *Instituta*, *Schulting* in not. ad Gaium pag. 1. notauit. conf. *Colerus* Parerg. c. 23. & *Constantinus Landus* Libri Enarrat. cap. 3. *b*) §. 4. pr. 1. *c*) §. 3. pr. I. Tempore enim *Iustiniani* legum studiosi quadriennio integro, antequam ad Constitutiones principum venirent, in veterum ICtorum libris erant occupati. *d*) §. 3. cit. ibi *Imperator*: vt *liceat vobis prima legum cunabula, non ab antiquis fabulis discere, sed ab imperiali splendore appetere*: sed vocabulum *fabulis* delendum esse, auctoritate quorundam librorum veterum *Muretus* in notis monet.

§. II.

Labori huic Imperator Triumuiros illos *Tribonianum* Magistrum & Ex-Quæstorem sacri palatii, nec non *Dorotheum* & *Theophilum* viros illustres antecessores præfecit, vtque compendium aliquod ex veterum ICtorum Institutionibus ac principum constitutionibus conficerent, & sic viam ad Iurisprudentiam Romanam studiosis redderent commodiorem, iussit *a*).

a) v. §. 3. & 6. pr. I.

§. III.

Eadem ratio *Saluium Iulianum*, *Vlpianum*, *Callistratum*, *Florentinum*, *Paullum*, *Martianum* & *Gaium* ad componendas Institutiones permouit, haud tantum, vt illis ciuium diffidentium lites sopirentur, vti *Lactantius a*) quidem sensit & ex eo *Iacobus Ræuardus b*), sed vt diffusam Romanorum Iurisprudentiam ad simplicia & indubitata principia reuocarent, & viam ad eam, hactenus asperam & horridam, planam accessuque facillimam redderent.

a) Lib. I. Instit. diu. c. 1. *b*) Lib. III. coniect. c. 13.

§. IV.

Hi itaque Triumuiri, quorum incredibilem solertiam vehementer extollit *Iustinianus a*), compendium aliquod, in quatuor libros & nonaginta nouem titulos,

los, quorum ſinguli ſuas habent rubricas *b*) & §§. *c*,) diuiſum, ex magno fragmentorum & conſtitutionum aceruo collegerunt, illudque Imperatori obtulerunt.

a) §. 3. pr. Inſtit. *b*) Veteres enim librorum exordia minio notare, illaque *rubricas* vocare ſolebant. Hinc apud Iuuenalem Sat. 14. *Rubræ maiorum leges*, & apud Perſium, *Maſſuri rubrica*, conf. *Ioſeph. Nerius* II. Anal. 35. *Coler.* Parerg. c. 37. Cl. *Henricus Brenckmannus* in diſſ. de Legum inſcriptionibus & *Mabillon* de Re diplom. Lib. I. c. 10. §. 3. *c*) Cur autem paragraphus ſub hac forma §. ſcribatur, docet *Ferandus Adducnſis* Lib. I. Explic. n. 1. & *Colerus* Parerg. c. 39.

§. V.

Commode autem Inſtitutiones in procemium & tractationem diuiduntur, illud pleniſſimum robur his Inſtitutionum libris conciliat; tractatio generalia & ſpecialia complectitur, illa primis duobus libri primi titulis abſoluuntur, horum materia triplex eſt; Ius perſonarum, Rerum, & actionum.

§. VI.

Perſonarum ius, i. e. multiplices perſonarum differentias & qualitates primus Inſtitutionum liber tradit; *Rerum ius* Libro ſecundo, tertio & prioribus quinque libri vltimi titulis traditur; *Actionum* denique *ius* titulo ſexto libri quarti vsque ad finem operis exponitur.

§. VII.

Fontes, ex quibus *Tribonianus* eiusque in colligendis Inſtitutionum libris adiutores doctrinam hauſerunt ſuam, varii fuerunt; primo enim ex *Gaii* ICti *a*), quem *ſuum* exinde Imperator nominat *b*), elegantibus & doctis lucubrationibus, Inſtitutionum nimirum & rerum quotidianarum libris & commentariis

quamplurima depromſerunt, ac in compendium hoc transfuderunt.

a) Qui *Hadriani* ætate vixit conf. *Theodor. Marcilius* in not. ad § 6. pr. Inſtit. *Aeg. Menagius* in amœn. iur. ciu. cap. fin. & *Ioannes van de Water* Lib IX. Obſ. iur. 16. b) non quod ſua ætate vixerit, ſed quod eius lucubrationes ei in deliciis fuerint. v. *Ant. Auguſtinus* Lib. I. Emend. & opin. c 5.

§. IIX.

Vnde ſolidæ iurisprudentiæ cultores *Gaii* Inſtitutionum fragmenta cum Inſtitutionibus Iuſtinianeis ſedulo conferre debent; hac tamen adhibita cautione, vt, quæ ab *Aniano* & *Weſt-Gothis* illis ſunt addita, a genuinis *Gaii* laboribus prudenter ſeparent, ne cum *Ezechiele Spanhemio*, viro alias doctiſſimo, a), *Gaio* manumiſſionem in eccleſia b), quæ æuo demum *Conſtantini* inualuit, tribuant; plures eiusmodi Gothorum interpolationes *Antonius Contius* c) & *Iacobus Gothofredus* d) annotarunt.

a) In orbe Romano exercit. 2. c. 5. & in add. p. 578. b) cuius Lib. I. fragm. *Gaii* tit. 2. fit mentio. c) Lib. I. Diſput. c. 12. d) in prolegom. Theod. c. 5.

§. IX.

Quamplurima etiam ex veteribus Romanorum Legibus, Plebiſcitis, Senatusconſultis, a) & reſponſis prudentum, in Digeſta relatis, ſunt deſumta & in Inſtitutionum libros collocata; vnde frequenter imperator *ad latiores Digeſtorum libros* prouocat, eoque lectorem remittit b).

a) Indicem Legum & Senatusconſultorum veterum, quorum in Inſtitutionibus fit mentio, *Ioannes van de Water* editioni ſuæ Inſtitutionum p. 653. ſubiecit. b) notabile vexatiſſimus §. 2. I. *de actionibus* præbet exemplum ibi: *Sane uno caſu qui poſſidet, nihilominus actoris partes obtinet, ſicut in latioribus Digeſtorum libris opportunius apparebit*, hunc enim vnicum caſum ICti in Digeſtis hactenus reperire non potuerunt,

runt. vid. *Ioannis Douiatii* Anteceſſoris Pariſienſis diſſertatio ad §. 2. I. *de Act. Theophili* paraphraſi ſubiecta.

§. X.

Nec minus ex antecedentium Principum Legibus & conſtitutionibus nimirum *Auguſti*, *Tiberii*, *Neruæ*, *Traiani*, *Hadriani*, *Pertinacis*, *Pii*, D. *Marci*, *Seueri* & *Antonini*, *Gordiani*, *Valentiniani*, *Theodoſii* & *Arcadii*, *Leonis*, *Zenonis*, *Anaſtaſii* & *Iuſtini* plurima, nomine eorum expreſſo & non expreſſo, in libris Inſtitutionum adducuntur.

a) Horum Indicem exhibet *van de Water* poſt Inſtitut. p. 652. & *Dn. Wieling* p. 183.

§. XI.

Præ ceteris autem ingens Imperatoris *Iuſtiniani* Deciſionum & Conſtitutionum, quibus ius vetus vel emendatur, vel confirmatur, vel ampliatur, quibusque iuris antiqui dirimuntur controuerſiæ, in Inſtitutionibus refertur numerus *a*), vt iure meritoque hos libros *Iuſtiniano* attribuamus potius, quam vlli alii Imperatori vel iuris auctori, ex cuius libris deſumta ſunt cetera, quæ in Inſtitutionibus Iuſtinianeis conſpiciuntur.

a) Index Deciſionum & Conſtitutionum Imperatoris *Iuſtiniani*, quarum mentio in Inſtitutionum libris fit, operâ *Iacobi Cuiacii* compoſitus, poſt editionem *Ioannis van de Water* p. 655. reperitur, alium harum Deciſionum & Conſtitutionum indicem, ex Cuiacio, Vulteio & Baudoza collectum, Cl. *Wielingius* Iurispr. reſtitutæ p. 179. inſeruit.

§. XII.

Ad conſtitutiones *Iuſtiniani* illæ etiam ſunt referendæ, quas imperator in Inſtitutionibus fecit, quæque alibi non reperiuntur, nimirum Conſtitutio, *de SCto Pegaſiano tollendo a*), *de data minori XX. annorum ſeruorum manumittendorum poteſtate b*); *de herede*

rede vetito in testamento testimonium perbibere c), nec non, *de satisdationibus in iudiciis præstandis d)*.

a) v. §. 7. 9. *de fideic. hered. b)* v. §. fin. I. *Qui & ex quib. causs. c)* §. 10. I. *de testam. ordin. d)* §. fin. *de satisd.*

§. XIII.

Tandem etiam Institutionum libri Constitutiones quasdam continent, quæ priori aut repetitæ prælectionis Codici non fuerunt insertæ, aut iniuria temporum periere; Memorabile exemplum præbet constitutio *Iustiniani* correctoria *de personis incertis*, ad quam nos Imperator in §. 27. I. *de legatis* & §. 1. I. *de Bon. Possess.* remittit, quæ tamen in Codice repetitæ prælectionis non reperitur *a)*.

a) Nudum enim titulum *de personis incertis* Codex Iustinianeus Lib. VI. Tit. 48. nobis proponit, sine nigro seu nulla lege rubricæ subiecta. Huc etiam pertinet Constitutio, *de iure patronatus*, cuius §. pen. *de legit. agn. successione* facit mentionem, nec non Constitutio *de plus petitionibus*, de qua in §. 24. & 33 *de Action.* agitur, & Constitutio condictitia in §. 24. I. *de action.*

§. XIIII.

Existimat quidem *Reinerius Bachouius a)* in priorem tantum Codicem hanc constitutionem esse positam, sed Codici, quem habemus, repetitæ prælectionis illam etiam insertam fuisse, ex *Photio b)*, & *Balsamone c)*, qui nullo alio Codice quam repetitæ prælectionis vsi sunt, liquido constat *d)*.

a) Ad Treutl. Vol. I. Disput. 10 th. 7. *b)* in Nomocanone Tit XII. c. 9. *c)* in *συλλογῇ τῶν ἐκκλησιαστικῶν διατάξεων* ex Libro I. Codic. in paratitl. ad tit. 2. *(d* conf. *Ioannis Strauchii* differt. ad Tit. 48. Lib. VI. Cod. *de personis incertis* Ienæ 1671, ventilata & ibidem 1714. recusa.

§. XV.

Quamuis autem quidam sibi, variā *παροράματα* næuos-

uosque quamplurimos in hisce quatuor Institutionum libris sese inuenisse, persuadeant; esse tamen illos opus laude dignum, censemus, vtilemque Iurisprudentiæ Romanæ a *Triboniano* nauatam operam debitis laudibus cum *Iacobo Cuiacio a*) & *Antonio Fabro b*) prosequimur.

a) Lib. II. Obs. c. 38. *b*) in pr. Rationalium.

§. XVI.

Quodsi enim percurramus ipsas, de quibus sermo nunc est, Institutiones, ea, quæ ad iuris introducti originem & causam, ad ritus, formulas, solemnia populi Romani verba, ipsumque veterum iudiciorum ordinem pertinent, sine quibus intelligi haud possunt leges Romanorum, accurate satis pertractata, detegemus *a*).

a) Exemplo Tit. I. *de Testam. ordin. de Lege Falcidia, Codicillis, de fideicommiss. heredit.* & *ad SCtum Trebell.* &c. erunt.

§. XVII.

Cum itaque hi Institutionum libri haud exiguam Romanæ antiquitatis contineant partem, adeoque a nemine, nisi qui interiorem sibi antiquitatis comparauerit scientiam, commode, monente *Francisco Hottomanno a*), intelligi queant; elegantioris iurisprudentiæ sectatoribus viri doctissimi *Ioannis Gottlieb Heineccii Antiquitatum Romanarum, iurisprudentiam illustrantium, Syntagma, secundum ordinem Institutionum digestum b*), in quo ad singulos Institutionum titulos ea, quæ ex antiquitatibus, ad intelligendam illam iuris materiam faciunt, explicantur, & omissa a *Triboniano* supplentur & emendantur, de meliori, vt nihil penitus antiquitatis ignoretur *c*), commendamus.

a) Ad pr. I. *de testam. ordin.* *b*) Halæ 1719. 8. edit. & Argentor. 1724. recusum. *c*) sunt verba Imperatoris in pr. I. *de testam. ordin.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Non minorem laudem hi Inſtitutionum merentur libri, quod controuerſiæ inter Proculianos & Sabinianos, vehementi ſpiritu olim agitatæ, a *Triboniano* vero in Digeſtorum libros incaute relatæ, nec tamen ſopitæ, feliciter ſæpius componantur, ac, reiecta vnius ſcholæ ſententia, altera, vel reiecta vtriusque ſcholæ opinione, media quædam ſententia auctoritate publica muniatur ac firmetur.

§. XIX.

Exemplum huius rei §. 3. I. *Qui & quibus ex cauſis* &c. præbet, vbi reiecta *Caii* ICti ſententia, quæ in L. 10. D. *eodem* proponitur, reliquorum iuris auctorum *a*) opinio, qui ad fraudulentam manumiſſionem & fraudandi animum & euentum fraudis requirunt, confirmatur.

a) Nimirum Vlpiani in L. 4. §. 19. D. *de fideicommiſſ. lib.* Papiniani in L. 77. *de Reg. iur.* & Imperat. Alexandri in L. 1. C. *Qui manum. non poſſ.*

§. XX.

Plura ſublati veterum ICtorum diſſenſus exempla in §. 13. 34. & 37. *de Diuiſione rerum*, §. 2. *de vſucap.* pr. *de hered. inſtit.* §. 10. & 14. *de legatis*, §. 2. *de aſſign. libert.* §. 2. *de Emtione & vendit.* §. 4. *de locatione & conduct.* §. 2. & 9. *de Societate* §. 6. & 8. *Mandati* aliisque quamplurimis in locis occurrunt.

XXI.

Nec minus ad laudes Inſtitutionum Iuſtinianearum referimus, quod multa ſingularia, quæ fruſtra in aliis iuris noſtri libris & auctoribus quæruntur, contineant; Quis enim veterum ICtorum fideicommiſſorum & Codicillorum originem aperuit? quis diuerſa furtorum genera tam accurate recenſuit, & furti concepti mentionem iniecit? Qui Legem Hoſtiliam

ab

ab obliuione, quam *Tribonianus*, vindicauit? Taceo reliqua, quorum *Iacobus Cuiacius* a) longum catalogum contexuit.

a) Lib. II. Obs. c. 38. qui etiam apud *Hoffmannum* in hist. iur. p. 317. *Ioannem van de Water* post Institutiones pag. 657. & *Wielingium* p. 189. reperitur. dolendum tamen quod Justinianus quamplurimas CC. post Institutionum compilationem ediderit, quibus nonnulla harum Institutionum loca mutata sunt; Indicem illarum Cl. *Wieling* p. 190. exhibet.

§. XXII.

Vt autem Institutionum harum confectores, *Tribonianus*, *Dorotheus* & *Theophilus* homines fuere; ita quibusdam illas laborare næuis ac vitiis, quæ *Tribonianum* iustæ doctissimorum hominum subiecerunt censuræ, lubenter concedimus; non enim connexio tantum hisce in libris sæpius est neglecta, sed etiam quamplurima inutilia, obsoleta & antiquata a), alia perperam posita, in iis reperiuntur.

a) Exemplo erit doctrina Lib. III. *de successionibus ab intestato*, quæ per Nouellam 118. penitus est immutata.

XXIII.

Hisce vitiis merito annumeramus, quod ne quidem prima fundamenta, in materiis maxime necessariis, vt in doctrina de sponsalibus, dote, diuortio, pignore, hypotheca, pactis, contractibus innominatis restitutione in integrum, iurisdictione, foro competente & inprimis processu iudiciario, cuius particulæ quædam tantum libro quarto recensentur, tacta fuerint, ideoque Doctoris supplementa necessario desiderent.

§. XXIV.

Has itaque Institutiones Imperator *Iustinianus* XI. Kal. Decembr. A.C. DXXXIII. publicauit, illisque *plenissimum Constitutionum suarum robur* accommodauit. Hinc certo respectu priores sunt Pandectis, certa ratione posteriores, certo considerandi modo etiam coætaneæ; *priores* sunt Digestis ratione promul-

ga-

gationis *a*), *posteriores* ratione compositionis *b*), & *coætaneæ* ratione confirmationis; vno enim eodemque die cum Pandectis vim iuris acceperunt *c*).

a) v. §. 6. pr. I. *b*) §. 3. & 4. pr. I. *c*) v. §. 23. Const. *Tanta de confirm. Digest.* & L. 2. §. pen. C. *de V. I. E.*

§. XXV.

Variæ post diuinum Typographiæ inuentum Institutionum prodiere editiones, quarum antiquissima videtur, quæ anno 1468. in membrana per *Petrum Schoyffer de Gernsheyn* Moguntiæ est excusa *a*), quam Louaniensis a. 1473. Romana 1475. Moguntina 1476. Veneta 1478. Basileensis anno 1486. aliæque sunt insecutæ; ex recentioribus Institutionum editionibus *Ioannis van de Water* *b*) & *Böhmeri* *c*) reliquis præstant.

a) v. *Michaëlis Maittaire* Annal. Typogr. T. I. p. 64. & Celeberrimi *Fabricii* Bibl. Græc. Vol. XII. p. 355. *b*) quam cum integris *Theodori Marcilii*, *M. Antonii Mureti* & *Iani a Costa* notis Traiecti ad Rhenum 1714. adornauit. *c*) quæ Halæ 1728. prodiit.

§. XXVI.

Germanice Institutiones Francof. 1535. f. opera *Ortholphi Fuchspergeri*, Dillenburgi a. 1551. & 1565. 8. Cothenis 1632. 8. Ingolstad. 1549. & 1592. f. & Augusti Vind. 1717. 4. Belgice ex versione *C. Ortwini*. Lugd. Bat. 1715. 4. Gallice studio *Du Teilii* Paris. 1670. 12. & *Claudii Iosephi de Ferriere* Paris. 1719. 12. & 1722. publicam lucem adspexerunt *a*).

a) v. *Fabricius* Vol. XII. Bibl. Græcæ l. cit. v. Nouell. Liter. a. 1722. p. 954.

CAP.

CAP. IX.

DE CODICE REPETITÆ PRÆLECTIONIS.

§. I.

CVm autem variæ poſt Iuſtinianei Codicis editionem nouæ Conſtitutiones, vt & quinquaginta deciſiones, quibus vetus valde corrigebatur iurisprudentia, eſſent promulgatæ; Imperator *Iuſtinianus*, vt prior Codex emendaretur, nouusque auctior & emendatior, inſertis illis Conſtitutionibus & Deciſionibus, conficeretur, iuſſit *a*).

a) Vid. Imperat. Conſtitutio *de emendat. Cod. ad Senat. vrb. Conſtant.* §. 1. & 2.

§. II.

Laborem hunc ſuo iterum *Triboniano*, vt & *Dorotheo*, *Mennæ*, *Conſtantino* & *Ioanni* viris eloquentiſſimis commiſit, illisque, vt priorem Codicem a ſuperfluis, contrariis & obſoletis purgarent, nouasque Conſtitutiones ac quinquaginta Deciſiones decerperent, & per titulos diſtributos, nouo Codici infererent, negotium dedit *a*).

a) v. §. 2. Conſt. *de emend. Cod.*

§. III.

Qui etiam, emendata prioris Codicis editione, *nouum Codicem* tum ex variis anteriorum principum conſtitutionibus, in tres illos Codices *Gregorianum*, *Hermogenianum* & *Theodoſianum* relatis, tum potiſſimum Imperatoris *Iuſtiniani* collectum, confecerunt, & in illum præcipuam iurisprudentiæ partem, quæ Iuſtinianeo florebat ſeculo, coniecerunt *a*).

a) Indicem legum Codicis, ordine alphabetico & chronologico digeſtum, Cl. *Wieling* Iurispr. reſtit. inſeruit.

§. IV.

Sicut autem, fatente ipſo Imperatore *Iuſtiniano a)*, *in nullo aberrare, ſeu in omnibus irreprehenſibilem & inemendabilem eſſe, diuinæ vtique ſolius non autem mortalis eſt conſtantiæ*; ita confectores huius Codicis Conſtitutiones principum, in illum relatas, non raro interpolarunt, plures in alium ſenſum detorſerunt, falſique genus non vnum admiſerunt; innumeras Legum, Codice *Theodoſiano* contentarum, interpolationes *Iacobus Gothofredus b)* annotauit & recenſuit.

a) V. L. 3. §. 13. C. *de V. I. E.* b) In comment. ad ſingulas Leges Cod. Theodoſ. & in prolegom. c. 4.

§. V.

Quæ cum ita ſint, fragmenta Codicis Gregoriani & Hermogeniani, a *Ioanne Sichardo*, *Iacobo Cuiacio* & *Antonio Schultingio* notis illuſtrata, inprimis vero Codicem Theodoſianum, cum omni eruditione refertis *Iacobi Gothofredi* commentariis, iuris Iuſtinianei cultoribus de meliori commendamus *a)*; hiſce enim ducibus ad genuinum conſtitutionum imperialium, a *Triboniano* interpolatarum, ſenſum commode peruenire poterunt.

a) V. Diſſert. auctoris inaug. *de Codice Theodoſiano, eiusque in Codice Iuſtinianeo vſu*, Ienæ 1719. habita.

§. VI.

Abſoluitur Codex XII. libris, quilibet ſuos habet titulos, titulus vero ſuas leges *a)*; tituli eiusdem plerumque ordinis ſunt, ac in Digeſtis, ita, vt multis quoque ad imitationem Edicti Perpetui ille compoſitus videatur.

a) Diſtinctio librorum titulorumque memoratur quoque apud *Euagrium* Lib. I. Hiſt. Eccl. cap. 12.

§. VII.

Continet autem Codex conſtitutiones Principum ſingu-

ſingulares, id eſt, ad propoſitam facti ſpeciem emiſſas, vnde etiam in illis non valet argumentum a contrario ſenſu, vel, quod idem eſt, ab vnius incluſione ad alterius excluſionem; quod bene *Hartmann Piſtoris a), Vulteius b)* & *Valentin Guilielm Förſter c)* aliique monuerunt.

a) Lib. I. qu. 30. n. 23. b) Diſcept. 15. c) Lib. Obſ. Succiſ. c. 24.

§. VIII.

Singulæ huius Codicis Leges ſuas inſcriptiones habent, nonnunquam & ſubſcriptiones, vt & loca, vbi conſtitutio data, a quibus tamen, cum in illis varia incuria typographorum irrepſerint vitia a), ad auctorem legis eiusque ætatem non tuto ſemper argumentari licet; quare vtilem *Iacobus Gothofredus b*, *Petrus Relandus c)* & illuſtriſſimus quidam Neapolitanus d) iurisprudentiæ nauarunt operam, quod inſcriptiones & ſubſcriptiones Codicis Iuſtinianei a mendis purgare, & ſic conſtitutiones in illum relatas maiore in luce collocare voluerint.

a) Obſeruat hoc *Antonius Pagi* in Crit. ad Baronium ad a. 287. *Corrigendus error*, ait, *collectorum Codicis Iuſtinianei, qui in titulis legum emiſſarum Diocletiano II. & Ariſtobulo Coſſ. ac Maximo II. & Aquilino ante Kal. Aprilis ſcripſere Impp. Diocletianus & Maximianus A. A. cum id temporis vnus Diocletianus imperaret. Porro in titulos legum Codicis Iuſtinianei & in harum ſubſcriptiones toties error irrepſit, vt fateri cogamur valde plerumque vrgentia non eſſe quæ inde deducuntur argumenta.* b) In Chronologia Codicis Theodoſiani. c) In Faſtis Conſularibus Traiecti 1715. d) Scilicet *Diego Vincenzio Vidania* in ſpecimine maioris operis ſub h. T. edito: *Inſcriptiones & ſubſcriptiones Iuſtinianei Codicis a Typographorum iniuriis vindicatæ*, cuius *Henricus Brenckmannus* in epiſtola *de Conſulibus, quorum in Pandectis ſit mentio*, meminit. add. *Giornali* de Letterati D'Italia Tom. Veneſ. A. 1725. p. 440.

§. IX.

Inſcriptiones legum nomina Imperatoris, vel etiam plurium, nec non Præfecti Prætorio, vel alterius magiſtratus, ad quem Conſtitutio data eſt, continent; Sed nomina legislatorum, inprimis *Conſtantini Conſtantii* & *Conſtantis*, *Ioueani* & *Iuliani*, *Valentiniani* & *Valentis*, *Iuſtini* & *Iuſtiniani* ſæpius confundi, *Iacobus Gothofredus a*), *Thomas Reineſius b*) & *Petrus Relandus c*) non vno loco annotarunt.

a) In Chronol. Cod. Theod. *b*) in epiſt. ad Rupertum. *c*) in Faſtis Conſul. p. 282. 691. & alibi.

§. X.

Subſcriptiones nomina Conſulum, non ſuffectorum ſed ordinariorum, quorum Conſulatu conſtitutiones emiſſæ ſunt, exhibent; Reſcriptis enim principum, etiam iis, quæ in Codices *Theodoſianum* & *Iuſtinianeum* ſunt relata, non ſuffectorum ſed ordinariorum Conſulum nomina fuiſſe addita, *Antonius Pagi a*) aduerſus *Baronium* & *Panuinium*, & *Petrus Relandus b*) contra *Cuperum* recte monuerunt.

a) In diff. hypat. ſeu *de Conſulibus Cæſar.* p. 57. *b*) in Faſtis Conſularibus p. 23. exinde *Henricus Dodwellus* aduerſus *Falconerium*, qui *Seuerum* & *Sabinianum*, quos A. V. C. 908. Faſti Conſulares exhibent, non *ordinarios* fuiſſe, ſed *ſuffectos* contendebat in inſcriptionibus athleticis, etiam telum depromſit.

§. XI.

Præterea plures in Codice Iuſtinianeo leges hac notantur formula: *Poſt Conſulatum*, quæ a *Conſtantini M.* tempore inualuit *a*), maximeque fuit frequentata, poſtquam idem Romanum Imperium in orientale & occidentale diuiſit, atque, vt ex duobus Conſulibus, quos annuos eſſe voluit, alter Romæ, alter Conſtantinopoli deſignaretur, ſtatuit.

a) Legitur ea primum in Faſtis Idatianis a. 307. quo *Maximinianus Herculius* IX. & *Conſtantinus* Conſules ordinarii fuere.

§. XII.

§. XII.

Hoc enim modo, notante *Onuphrio Panuinio a*) euenit, vt ob bella & ciuilia & externa, vel alias etiam ob causas annus sine ordinariis Consulibus aliquando fuerit, ac Consules, qui superiori anno Consulatum gesserant, fastis nomen dederit, de quo *Antonius Pagi b*) ex professo tractauit, variaque formulæ *Post Consulatum* genera simul recensuit.

a) Lib. II. Fastor. b) in diss. hypat. p. 316. seq. conf. *Mabillon* de re diplom. Lib. II. c. 25. §. 3.

§. XIII.

Dies denique & menses, quibus latæ fuerunt, legibus additæ reperiuntur *a*); & quamuis legum subscriptionibus respectu dierum & mensium non semper fidere liceat, quoniam non omnes leges datæ sunt illis diebus, qui subscripti sunt, sed quædam REDDITÆ, quædam PROPOSITÆ, LECTÆ aliæ; non tamen mensium & dierum obseruationem, quum aliam præstet vtilitatem, plane esse negligendam, bene *Hadrianus Relandus b*) monuit.

a) Quare *Freymonius* in Simphonia iuris anno 1574. edita leges Codicis secundum seriem dierum, quibus illæ latæ sunt, digessit. b) in præfat. Fastis Consularibus *Petri Relandi* fratris sui præmissa.

§. XIV.

Cum itaque in Codice Iustinianeo non alio charactere anni distinguantur, quam nominibus consulum *a*), non minimum autem ad iuris scientiam accurata temporum & interuallorum distinctio conferat *b*); Fastorum Consularium euolutio Iuris Iustinianei cultoribus curæ cordique esse debet.

a) Eundem computandi modum priorum seculorum scriptores obseruarunt, vnde *Iulianus* Orat. II. consulatum ἐπώνυμον τῶ ἔτους ἀρχὴν vocat. add. *Seneca* III. de Ira c. 31. & *Rad. Fornerius* II. Rer. Quotid. 18. b) quod *Antonius Schultingius* in oratione de Iurisprudentia

tia historica Franecq. recitata, *Henricus Brenckmannus* in Alfeno ICto, *Mercerius* in Concil. pag. 118. *Val. Guil. Forster* Lib. I. de interpr. c. 5. & *Theodorus Ianson ab Almelouéen* in praef. Fastis Consularibus praemissa indicarunt.

§. XV.

Ad quem finem, prae ceteris Fastorum Consularium scriptoribus *a*), *Petri Relandi* ICti *Fastos Consulares ad illustrationem Codicum Iustinianei & Theodosiani secundum rationes temporum digestos atque auctoritate scriptorum atque lapidum antiquorum confirmatos a*) commendamus, quippe qui labor ordinem & successionem Imperialium Constitutionum, omnemque eius temporis rationem mirifice illustrat.

a) cit. pag. *b*) quos frater eius *Hadrianus Relandus* Traiecti Batau. 1715. in 8. edidit., simulque Fastos Consulares Graecos ex Codice MSCto Bibliothecae Medicae & Latinos ex MSCto Bibl. Oxon. nec non *Henrici Brenckmanni* epistolam *de Consulibus, quorum in Digestis fit mentio*, operi subiecit.

§. XVI.

Codici suo Imperator *Iustinianus* peculiari constitutione, XVI. Kal. Decembr. DXXXIV. data, auctoritatem legalem tribuit *a*) ei *Repetitae Praelectionis* nomen imposuit, vtque ex die quarto Kal. Ian. in iudiciis, exclusis ceteris Constitutionibus, quae extra corpus hoc legerentur, allegaretur, iussit *b*).

a) v. Constit. *de Confirmat. Codic. Iustin. ad Senat. Vrb. Constantinop.* data. *b*) Vtrum vero etiam antinomiae in Codice dentur v. *Charonda* Lib. II. Pithan. c. 1.

§. XVII.

Quod autem Codicem suum *Repetitae Praelectionis* Imperator appellauerit, eius rei rationem ipsemet reddit in Constitutione sua *de Emendatione Codicis a*); ait enim secundas editiones a veteribus *Repetitas Praelectiones* appellatas fuisse, idque exemplo *Vlpiani*

piani, qui libros suos ad Sabinum hoc titulo donauit, probat.

a) §. 3. Quinam autem prælector dictus *Gellius* Lib. XXIIX. c. 5. & quænam prælectiones *Iacobus Cuiacius* in pr. paratitl. in Cod. docent.

§. XIIX.

Vtrum vero Codex repetitæ prælectionis Pandectis deroget, an secus? valde inter Doctores disceptatur: sunt enim qui negatiuam simpliciter defendant, vt *Obertus Gipbanius a*), *Adam. Georg. Struuius b*) & *Georg. Frantzkius*, alii quinque illas Constitutiones, quæ L. 2. *de Præf. Africæ*, L. f. C. *de Iurei. propter calumn. dand.* L. f. C. *de testam.* L. f. C. *de legit. hered.* L. f. C. *de Caduc. tollend.* continentur, vtpote quæ post Pandectarum editionem publicatæ sunt, leges in Pandectis corrigere, existimant.

a) In pecul. libro. *b*) in Syntagm. iur. ciu. Ex. 1. §. 62. *c*) in pr. *π*. n. 17.

§. XIX.

Viciffim alii per quinquaginta Decisiones tantum Pandectarum ius abrogari, per alias leges non item, vt *Helfricus Vlricus Hunnius a*), *Edmundus Merillius b*) existimant; alii denique, vt *Albericus Gentilis c*), *Benedictus Carpzouius d*), *Ericus Mauritius e*), *Wolfgangus Adam. Lauterbachius f*) & *Ioachimus Hagemeier g*) simpliciter præcipuam auctoritatem legibus in Codice, vtpote posterioribus, tribuunt.

a) De auctorit. iur. c. 1. qu. 1. *b*) in prolegom. ad L. Decis. *c*) de libr. iur. ciu. c. 1. *d*) P. 2. C. 7. def. 6. *e*) de libr. iur. comm. th. 14. *f*) in Compend. Pandect. p. 3. *g*) lib. singul. *de auctor. Iur. ciu. & Can.* c. 5.

§. XX.

Verum enim vero cum Codex repetitæ prælectionis præter L. Decisiones & quinque illas Constitu-

tiones, post Pandectarum editionem datas, Digestis complectatur ius recentius *a*), & constitutiones tempore posteriores, monente *Modestino* ICto *b*), potiores sint his, quæ ipsas præcesserunt; illorum, qui Codicem, nullo habito respectu ad L. Decisiones vel alias constitutiones, Pandectis derogare statuunt, sententiam merito amplectimur.

a) *Purgatum enim & candidum, omnibus & circumductis & additis & repletis, factum esse Codicem repetitæ prælectionis*, ipse Imperator §. 4. Const. *Cordi nobis est*, profitetur. *b*) in L. vlt. π. *de Constit. Princ.*

§. XXI.

Huius Codicis repetitæ prælectionis maior olim fuit auctoritas, quam Pandectarum, partim quod ius nouum exhiberet, partim quod multa in fauorem Clericorum *a*) statuta in eo reperirentur; vnde etiam euenit: vt plura Codicis, quam Pandectarum exempla extent: quæ tamen exemplarium multitudo quamplurimas etiam variantes lectiones *b*) induxit.

a) Vnde *Theodorus Balsamon* collectionem legum ecclesiasticarum ex corpore Iuris Iustinianei instituit, quæ apud *Iustellos* in Biblioth. iur. Can. vet. p. 1225. reperitur. conf. *Conring.* de Orig. Iur. Germ. c. 20. *b*) de hisce *Antonius Contius* in præf. Codici præm. conqueritur.

§. XXII.

Cum autem multæ inde iniuria temporum exciderint Constitutiones; illas opera *Antonii Augustini*, *Iacobi Cuiacii* & *Antonii Contii* *a*) ex Basilicis, Photii Nomocanone, aliisque iuris Græci Scriptoribus restitutas habemus *b*), quæ tamen omni in foris nostris destituuntur auctoritate, & ne quidem in casibus, iure ciuili haud decisis, docentibus *Alberico Gentili c*), *Christophoro Besoldo d*), *Arthuro Duckio e*), *Christophoro Richtero f*), *Lauterbachio g*) aliisque, allegari possunt.

a) Qui, se Codicem plus quam centum quinquaginta Græcis Constitutionibus suppleuisse, in præf. ad * gloriatur. b) huc pertinet L. fin. C. *de sponsal.* quæ nemini, antequam *Leunclauius* eclogam suam. Basili*κῶν* 1575. edidit, cognita fuit, quamque *Cuiacius* nouo additamento, quod in nullo Codice MSCto *Fabrottus* & *Labbæus* inuenerunt, cap. 18. Obs. Lib. XI. edidit, & deinceps Codici repetitæ prælectionis inseruit. v. litteræ V. Clar. *Christfr. Wächtleri* in Act. Erud. a. 1719. Mens. Aug. de lib. iur. ciu. c. 6. c) de lib. Iur. Ciu. c. 5. d) de libris Iur. Ciu. c. 6. e) de auctor. iur. ciu. Lib. I. c. 4. f) P. 1. D. 37. g) in Concl. Theor. Pract. Exercit. 1. §. 7.

§. XXIII.

Variæ Codicis repetitæ prælectionis reperiuntur editiones: in antiquioribus tamen nouem tantum priores conspiciuntur libri; optima illarum est, quæ studio & opera *Antonii Contii*, ex magno Codicum MSCtorum numero emendata, Parisiis MDLXII. in f. publicam lucem adspexit.

CAP. X.

DE AVTHENTICIS.

§. I.

Præter Romanorum Principum Constitutiones, in Codice repetitæ prælectionis etiam quam plurimæ *Authenticæ*, legibus subiectæ & literis minusculis notatæ, reperiuntur, quæ duplicis potissimum sunt generis; aut enim sunt *Friderici* I. & II. Imperatorum, eorum iussu in Codicem relatæ, aut sunt excerpta ex Nouellis, illis Legibus Codicis, quibus derogant, eum in finem, vt statim pateat, in quo Nouella a Codice abeat, addita.

§. II.

Ad *Fridericorum* Imperatorum Constitutiones pertinent Authentica *Sacramenta puberum* C. *si aduersus venditionem a*), Authentica *Cassa* C. *de S. S. Ecclesiis*, Auth. *Item nulla* C. *de episc. & Cler.* Auth. *Credentes* C. *de haeret.* Auth. *Habita* C. *ne filius pro patre*, Auth. *Nauigia* C. *de furt.* Auth. *Agricultores* C. *quae res pign.* &c. quae in foris nostris, non quod ab auctoribus illis legis auctoritas fuerit data, sed quod vsu & obseruantia receptae *b*), auctoritate legali gaudent.

a) De origine huius Authent. vid. auctoris prolusio academ. *De Sectis & controuersiis Iuris Iustinianei interpretum, quos vulgo Glossatores nominamus.* *b*) v. *Conradi Sinceri* diss. epistol. *de Germanic. LL. vet. ac Romani iur. in republ. nostra origine*, Thomasii Vsui mod. π. subiecta, p. 381.

§. III.

Ad Authenticarum genus posterius quod attinet, magna de illarum aetate non minus ac auctore inter Doctores est disceptatio; quidam enim, vt *Carolus Molinaeus a*), *Ioannes Strauchius b*), & *Alexander Arnold Pagenstecher c*) paullo post *Iustiniani* tempora illas factas esse, sibi persuadent, alii *Irnerium* omnium Authenticarum faciunt auctorem, veluti *Tiberius Decianus d*), *Conradus Rittershusius e*), & *Ioann. Iacob Wissenbach f*), alii denique, vt *Cornelius Bynckershoeckius g*) & *Georg. Beyerus h*) media incedunt via, & statim post tempora *Iustiniani* summaria Nouellarum Legibus Codicis quidem subiecta, aucta tamen deinde per *Irnerium* aliosque eius aetatis ICtos illa fuisse, statuunt.

a) In Lect. Dolan. III. n. 20. *b*) in Irnerio non errante cap. 2. *c*) in prolusione, Irnerio iniuria vapulanti praemissa. *d*) in apolog. pro Iurisprud. aduersus *Alciatum* c. 8. n. 6. *e*) in Promulside errorum Irner. *f*) in Syllog. err. Irner. *g*) de auct. & authorit. Authent. c. 3. *h*) in Posit. ad π. p. 30.

§. IV.

Qui *Irnerium* Authenticarum plane non eſſe auctorem, ſed illas paullo poſt *Iuſtiniani* tempora, ante lapſum ſcilicet ſeculi ſexti Codici inſertas fuiſſe, ſtatuunt, ad *Gregorii* I. pontificis, quem non vltra viginti quinque annos ab obitu *Iuſtiniani* ſediſſe conſtat, auctoritatem confugiunt, eumque non ſolum Auth. *Presbyteros C. de epiſc. & Cler.* citare, ſed & ad verbum referre *a*), contendunt.

a) Lib. XI. epiſt. 54. ibi: *Ne vero obiiciatur*, ait, *quod de Clerico hoc loquitur, non de Presbytero, ſciendum eſt, quod in eadem conſtitutione L.* 1. *Cod. legitur appellatione Clericorum & Presbyteros & Diaconos contineri. Verba autem legis ſunt iſta: Presbyteros & Diaconos & Subdiaconos, Cantores, & Lectores, quos omnes Clericos appellamus.* vid. tamen *Niellius* Diſp. feud. 2. th. 5. & *Bynckersboeck.* de auth. Auth. p. 57.

§. V.

Nec minus ad *Burchardum Wormatienſem* & *Iuonem Carnotenſem* canonum collectores, quorum ille iam A. C. 1010. ſcripſit, hic vero 1114. antequam *Irnerius* ius profiteri cœpit, obiit, prouocant, & in illorum libris varias Authenticas, v. g. Auth. *item prædium* & Auth. *ſed & permutare C. de SS. Eccleſ.* nec non Auth. *qui res vero*, ſeſe inueniſſe credunt, indeque, *Irnerium* nullas Authenticas in Codicem retuliſſe, concludunt *a*).

a) Vt *Pagenſtecher* in Sicilimentis ad compend. Lauterbach. manip. tertii inprimis appendice, quem cum *Cornelius Bynckershoeckius*, edita diatriba: *de auctoribus auctoritateque Authenticarum*, inter ceteros confutaſſet, *Irnerium*que ſi non omnium, tamen quarundam Authenticarum fuiſſe auctorem, docuiſſet, magna inter illos orta eſt contentio; *Pagenſtecherus* enim *Bynskersboeckio* auditorem quendam obiiciebat, cui *Bynckerboeckius* in *Contentione literaria* reſpondebat, mox *Pagenſtecherus Irnerium iniuria vapulantem* Grœningæ, 1701. 4. edebat, & in præfatione ad lectorem aduer-

aduerſus *Bynckersboeckium* diſputabat, cuius tela hic in præfat. ad librum ſingularem *ad L. Rhodiam de Iactu* Hagæ 1703. editum, excepit.

§. VI.

Qui vero *Irnerium* omnium Authenticarum fuiſſe auctorem contendunt *a*), illorum aſſertio nullo alio nititur fundamento, quam fama diuturni temporis, nec ex *Odofredo b*), ad quem prouocant, ſuam intentionem probant, quippe qui non ipſam Authenticam *Irnerio* adſcribit, ſed ab eo aliquid ad illam adiectum adſutumque fuiſſe, ſaltim narrat.

a) Vt præter auctores §. 3. citatos *Didacus Couarruuias* ad cap. ſi heredes X. de teſt. n. 7. *Guido Pancirollus* de claris LL. intrepret. Lib. II. c. 13. & *Ianus Vincentius Grauina* de ortu & progreſſu iur. p. 172. *b*) ad Auth. *qui res* C. *de S.S. Eccleſ. Or ſignori*, ait, *vos non debetis hic plus habere in ipſa Authentica: tamen quidam hic habent plus, ſed iſta verba non ſunt iuſti, quia non ſunt in corpore Authenticarum, ſed hæc ſunt verba Irnerii.* conf. *Ioan. Strauchii* Irnerius non errans, c. 2.

§. VII.

Qui quasdam denique *Irnerio* Authenticas tribuunt, partim ad conſtantem Doctorum famam prouocant, partim teſtimonia Gloſſatorum, inprimis *Azonis a*) *Accurſii* & *Odofredi*, quibus *Irnerius* quarundam Authenticarum auctor expreſſis verbis declaratur, afferunt.

a) Qui in ſumma ad Tit. de SS. Eccleſiis n. 13. *re caret*, inquit, *& penſionem ſoluere tenetur ſingulis temporibus etiam futuris, prout conuentum eſt; Et ſic videtur adieciſſe Guarnerius*; plura collegit ampliſſimus *Bynckersboeckius* de auct. auctoribusque Auth. cap. 3.

§. IIX.

Si itaqae in re tam controuerſa & dubia dicendum quod res eſt, ſtatim poſt exceſſum *Iuſtiniani* interpres qui-

quidam, quia Nouellæ nondum in ordinem erant redactæ, summaria quædam Legibus Codicis subiecisse videtur, quæ deinde ab *Irnerio* reliquisque Iuris Iustinianei, qui seculo XII. & XIII. vixerunt, interpretibus fuere auctæ, Authenticarumque nomen illis tributum, quam sententiam amplissimus *Cornelius Bynckersboeckius a*) late de duxit, & adargumenta dissentientium solide respondit.

a) in diatriba *de auctor. auctoribusque Authenticarum* a. 1699. edit.

§. IX.

De numero harum Authenticarum certo non constat, quamuis *Conradus Rittersbusius a*) CCXXIII. numeret, multas enim a veteribus citari, quæ hodie nuspiam apparent, alias vero, veteribus plane incognitas, hodie deprehendi, idem *Cornel. Bynckersboeckius b*) ostendit.

a) in Comment. ad Nou. p. 77. b) de auctor. auctoribusque Auth. p. 46. seq.

§. X.

Multis Authenticas scatere vitiis, viri doctissimi ex professo monstrarunt; *Conradus Rittersbusius a*), quadraginta Authenticas partim falsas, partim impertinentes, partim omissas esse, vbi apponi debuissent, docuit; eodem modo quindecim *Irnerii* errores *Ioannes Iacobus Wissenbachius b*) perstrinxit, quodque quamplurimas Authenticas perperam descripserit, alias in alienum locum transtulerit, adeoque oscitanter consarcinauerit, grauiter conquestus est.

a) in promulside errorum Irnerianorum, quæ cura *Georgii* Filii prodiit & annexa est edit. nouiori expos. Nouell. methodicæ Argentorati 1669. 4. b) in sylloge errorum Irnerianorum, quæ adiecta est eius diatribæ de mutuo Franeck. 1660.

§. XI.

§. XI.

Causam tamen Irnerii *Ioannes Strauchius a)* & *Alexander Arnoldus Pagenstecher b)* strenue egerunt, & non solum, eum nullas in Codicem Authenticas retulisse, sed etiam in Authenticis, Codici insertis, nihil admissum esse erroris, contenderunt.

a) in Irnerio non errante, quae inter dissert. academicas Ienae 1673. editas num. 4. est. *b)* in Irnerio iniuria vapulante Groeningae 1701. 4.

§. XII.

Ad auctoritatem Authenticarum quod attinet, *Franciscus Balduinus a)*, *Ioseph Maria Suaresius b)* & *Ioannes Strauchius c)* illas, si non *Lotharii* II. sanctione expressa, tamen a *Friderico* I. auctoritate imperatoria fuisse donatas, existimant; verum dictas Authenticas neque ab initio, neque ex post facto expressa sanctione, sed vsu potius, & obseruantia vim legis accepisse, probabilius videtur.

a) in protheoria ad Nouell. *b)* in notitia Basilic. *c)* in Irnerio non errante c. 2.

§. XIII.

Vtrum vero Authenticis, a sensu Nouellarum licet alienis, fidendum sit nec ne, inter Doctores non conuenit; *Albericus Gentilis a)* & cum eo communis ICtorum schola Authenticas non aliter valere, quam quatenus cum fontibus, vnde manarunt, conueniunt, statuit; contra illas simpliciter valere, imo Nouellis, vnde desumtae sunt, praeferendas esse, *Paulus de Castro b)*, *Christophorus Besoldus c)*, *Matthias Berlichius d)* & *Ioannes Strauchius e)* contendunt.

a) de lib. iur. ciu. cap. 6. *b)* in Auth. *Res quae C. comm. de legat.* n. 4. *c)* de lib. iur. c. 5. vers. sed sunt. *d)* Part. II. Decis. 257. n. 44. *e)* in Irnerio non errante cap. 2. th. 7.

§. XIV.

§. XIV.

Nos priorem amplectimur ſententiam, *a*) hac tamen addita limitatione, niſi Authentica, recedens a Nouella, vſu & obſeruantia maiorem, quam ipſa Nouella, nacta ſit auctoritatem; ita Auth. *Bona damnatorum* C. *de bon. præſcript.* quæ mentionem facit collateralium ad tertium vsque gradum; cum tamen Nouella 134. cap. fin. ex qua deſumta eſt, deſcendentes ſolum & aſcendentes commemoret, ipſi Nouellæ præfertur; Eodem modo Authentica *ſed iudex* C. *de Epiſc. & Cler.* per quam Clericis, teſtimonium perhibentibus, iuriſiurandi neceſſitas remittitur, Nouellæ 123. c. 7. in qua de hac remiſſione nihil legitur, præſtat.

a) vid. *Alber. Gentilis* L. 4. epiſtol. c. 9.

§. XV.

Commentariis ſuis Authenticas illuſtrarunt *Chriſtophorus Richterus* in expoſitione omnium Authenticarum *a*), & *Alexander Arnoldus Pagenſtecher* in Irnerio iniuria vapulante, ſiue commentario ad Authenticas, Codici repetitæ prælectionis additas *b*)

a) Ienæ 1661. 4. *b*) Grœningæ 1701. 4.

CAP. XI.

DE NOVELLIS IMPERATORIS IVSTINIANI.

§. I.

Denique Imperator *Iuſtinianus*, vt erat ad ius mutandum procliuis, atque etiam emendandi, ſupplendi, nouaque ſtatuendi ſibi reſeruauerat libertatem *a*), varias, poſt editum repetitæ prælectionis Codicem, Conſtitutiones, quæ *Nouellæ*, Νεαραὶ διατάξεις, *b*) non ſolum ab Imperatore, ſed etiam a ſcriptoribus eius ætatis, *Ioanne Antiocheno c*), *Diacono d*) & *Agathia e*) ap-

appellantur, ab anno DXXXV. vsque ad annum DLIX. edidit.

a) §. 3. *de emendat. Cod.* & L. 3. §. 18. C. *de V. I. E.* b) i. e. *noua* vt nouella matricula in L. 22. C. Th. *de arg. in reb.* nouella professio L. 15. C. Th. *de iure fisci.* Nouellum opus in L. 16. C. Th. *de oper publ.* c) in Iustiniano pag. 168. d) de gestis Longobard. Lib. I. c. 23. e) Lib. V. de imperio & reb. gest. Iustin. Imperat.

§. II.

Græco Nouellas has editas fuisse sermone, sat prægnantibus rationibus *Ioann. Fridericus Hombergk* zu Vach a) ostendit, nec obstat, quod Græcas quarundam Nouellarum v. g. IX. XI. XXIII. XXXIV. XXXV. XLI. LXII. LXV. CIV. CXIV. CXLIII. & CL. hodie desideretur textus; ex eo enim, Latina tantum illas conscriptas esse lingua, tuto vix colligi potest b).

a) in præfat. nou. Nouell. vers. præmissa. b) fortasse enim Græcus harum Nouellarum periit textus, vt Latinæ illæ Constitutiones, quas Imperator Nouella 17. & 66, se edidisse dicit.

§. III.

Quamuis autem, Nouellas Græco editas fuisse idiomate, statuamus; quasdam tamen illarum in Latinum etiam versas fuisse sermonem, ipse Imperator *Iustinianus* in Nouellis XVII. & LXVI. a), vbi duo constitutionum exempla; vnum Græce, alterum Latine se fecisse dicit, nos edocet.

a) cap. 1. §. 2. præter has duas etiam Nou. IX. XI. XXIII. LXII. CXLIII. & CL. Latine promulgatas esse, *A. Augustinus* in paratitlis ad Nou. statuit.

§. IV.

Vtrum vero textus Nouellarum Græcus, quem hodie habemus, authenticus sit & *Iustiniani*, maior dubi-

dubitatio oritur: *Albericus* sane *Gentilis a*) *de textu ipsius Iustiniani Græco non constare satis qui sit, aut vbi sit* asserit: imo *Ioannes Strauchius b*),*Græcum textum illum non esse, cui ceu authentico tuto fidi possit*,expresse dicit; sed ad horum dubia *Ioann. Fridericus Hombergk* zu Vach *c*) respondit, Græcasque constitutiones, quas iam habemus, *Iustiniani* esse primigenius, quoniam stilum *Iustiniani*, phrases innumeras, totam orationem, ipsumque etiam animum eius præ se ferant, docuit.

a) de lib. iur. ciu. c. 7. *b*) in Irnerio non errante cap. 3. *c*) in præfat. cit.

§. V.

Hisce Nouellis Imperator constitutiones non solum antecessorum suorum ,sed & proprias immutauit, nouumque plane ius statuit; exemplum præbet Nouella XXII. caput 43. vbi mulierem,cui sub conditione, ne nupserit, legatum est relictum,non aliter ad illud,nisi conditionem adimpleat, admittere voluit, & sic Constitutionem suam in L. 2. & 3. C. *de indicta viduit. toll.* anno DXXXI. datam correxit *a*); pariter L. 10. C. *de vsur.* per Nouellas CXXI. c. 1. & 2. ac CXXXIIX. L. 7. C. *de repudiis* per Novellam XXII. c. 14. & L. 29. C. *de testam.* per Nouellam CXIV. cap. 9. emendauit.

a) vid. differt. auctoris: *de conditione, si non nupserit, vltimis voluntat. addita* §.28. & 34.

§. VI.

Nec hic Imperatoris nostri variandi libertas subsistit; quod enim vna Nouella constituit, per alteram iterum sustulit; ita Nouella XXII. cap. 14. qua, vt mulier maritum, in expeditione degentem, per decennium expectare debeat,cautum erat, per Nouellam CXVII. est immutata; eodem modo,quæ de legitima Nouella XIIX. statuit, per Nouellam CXV.

cap. 3. iterum correxit, vtque legitima titulo institutionis relinqueretur, statuit *a*).

a) Indicem Nouellarum, quibus nonnulla Institutionum loco mutata sunt *Wielingius* Iurispr. restitutæ p. 190. inseruit.

§. VII.

Caue tamen, omnes Nouellas, quæ in Corpore iuris nostri conspiciuntur, *Iustiniani* esse, credas; quædam enim, vt Nouella CXVII. CXL. CXLIV. *a*) CXLIX. *Iustino Iuniori*, aliæ, vt Nouella CLXI. CLXIII. & CLXIV. *Tiberio* Imperatori ab *Antonio Augustino b*); *Henrico Agylæo* & *Henrico Scrimgero c*) recte tribuuntur.

a) Referunt quidem *Antonius Augustinus*, *Henricus Agylæus* & *Henricus Scrimgerus* etiam Nouellam 148. ad *Iustini* Iunioris tempora, sed illam esse *Iustiniani*, *Ioann Friedrich Hombergk* zu Vach recte annotauit, & *Antonius Contius* in sua versione eius subscriptionem sequentem in modum restituit: *Datum Constantin. Dn. N. Iustiniani P. P. Augusti anno XVIIII. post Consulatum Basilii V. C. anno III.* *b*) in paratitl. & schol. ad Nou. *c*) qui in margine ex veteribus exemplaribus hoc annotarunt.

§. IIX.

Deinde etiam quædam Nouellæ, *a*) nimirum CLXVI. CLXVII. & CLXIIX. sunt ex *Eparchicis*, i. e. libris, quibus *generales formæ*, siue Edicta Præfectorum Prætorio *b*) continebantur; quæ quamuis ab Imperatore *Iustiniano* fuerint probatæ, *c*) a *Iacobo Cuiacio* ex Basilicis restitutæ, ac Commentario ad Nouellas additæ, minus tamen accurate *Iustiniano* adscribuntur.

a) Quæ legis vim habuisse, ex L. 2. *de offic. Præf. Præt.* constat: horum mentionem facit *Harmenopulus* in promptuar. præf. §. 3. ac ex illis quædam Lib. II. tit. 14. §. 12. refert. *b*) qui Ἐπάρχοι vocabantur, a quibus quam maxime differebant Ὑπάρχοι, quam-

quamuis hæc nomina promiſcue in Nouellis poſita, obſeruante *Hombergkio* zu Bach ad Nou. 1. legantur. *c*) vid. *Cuiacius* Lib. VI. Obſeru. cap. 10. v. *Wieling* in auctuar. indic. Nouell. p. 196.

§. IX.

Hæ Nouellæ præfatione, ipſa lege, & epilogo conſtant; præfationes, quamuis ſatis ſint verboſæ, occaſionem tamen nouæ legis & cauſam egregie exponunt, & non parum ad ipſius conſtitutionis intellectum faciunt *a*), lex ipſa in certa capita eſt diuiſa, quæ diuiſio, cum & *Iulianus* capitum faciat mentionem, antiquiſſima videtur.

a) v. *Seneca* epiſt. 94. vid. B. *Thomaſii* oratio de vera & falſa Iurisprudentia p. m. 111.

§. X.

Inſcriptiones harum Nouellarum Græcæ *a*), antiquæ quidem ſunt, & illius fere temporis, quo editæ *b*): non tamen authenticæ *c*), vt nec inſcriptiones capitum veteris Latinæ verſionis, quas ex *Iuliano* magnam partem eſſe deſumtas, & in Græcum exemplar translatas, ſæpius etiam perperam lectas & acceptas, *Ioann. Fridericus Hombergk* zu Bach notauit.

a) Indicem titulorum, ſingulis Dn. *Iuſtiniani* nouellis conſtitutionibus argumentorum loco præfixorum, celeb. *Ioan. Alb. Fabricius* Vol. XII. Bibl. Græc. pag. 373. exhibet. *b*) *Malala* enim in Iuſtiniano p. 220. edicti περὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως καὶ κατὰ ἀσεβῶν αἱρετικῶν meminit, nec minus *Iulianus* Nouell. 17. *de mandatis principum* inſcriptam eſſe, notat. *c*) v. *Cuiacius* Lib. XX. Obſeru. 33. *d*) in præf. Nouell. verſioni præmiſſa.

§. XI.

In numero editiones Nouellarum non conueniunt; *Iulianus* enim Anteceſſor Conſtantinopolitanus, qui epitomen harum conſtitutionum circa annum 570. fecit, Nouellas CXXV. numerat *a*); *Vetus verſio*

XCIIX. tantum complectitur, quae etiam solae a primis iuris Iustinianei interpretibus, quos Glossatores vocamus, commentariis & glossis illustrantur.

a) Vnde *Albericus Gentilis* Lib. I. de lib. iur. ciu. cap. 7. non nisi CXXV. Nouellas Imperatoris *Iustiniani* agnoscere vult.

§. XII.

Gregorius Haloander CXLIV. Nouellas exhibet, alias XXIII. ex Codice Fuggeriano *Henricus Scrimgerus* extulit, quibus *Antonius Contius* ex Iacobo Cuiacio tres adiecit, adeoque CLXIIX. edidit; quas centum sexaginta & octo Nouellas *Iustiniani* etiam Graeci iuris interpretes *Harmenopulus*, *Attaliata* & *Michael Blastares a*) agnouerunt, *Dionysius Gothofredus* vero in suam corporis iuris editionem retulit.

a) Testibus *Ioseph Maria Suaresio* in Notit. Basilic. & *Mauricio* de libr. iur. comm. th. 17.

§. XIII.

An vero omnes Nouellae Imperatoris *Iustiniani* ad nostram peruenerint aetatem, *Nicolaus Allemannus a*) & *Christian Godfried Hoffmann b*) non abs re dubitant, pluresque illum nouas sanciuisse Constitutiones, quae partim perierint, partim adhuc in MSCtis *c*) lateant, probabiliter satis coniiciunt.

a) Ad Procopii anecd. pag. 146. b) in hist. iur. p. 326.
c) ita *Ioann. Fridericus Hombergk* zu Vach duorum Codicum elegantissimorum, quorum vnus in bibliotheca Vaticana, alter in Medicea asseruatur, in praef. ad Nou. meminit.

§. XIV.

De harum Nouellarum auctoritate multum inter viros doctos disputatur; *Adamus Riccius a*) & *Ericus Mauricius b*) omnes, quae vulgo in Corpore iuris circumferuntur, vim ac auctoritatem habere, tuentur; *Albericus* vero *Gentilis c*) & cum eo com-

communis Doctorum ſchola rectius Gloſſatis Nouellis tantum vim legis tribuit; & cum in recentioribus corporis iuris editionibus, ordo Nouellarum, qui in Gloſſato corpore ſeruatur, fuerit interruptus, & Nouellæ non Gloſſatæ cum Gloſſatis permixtæ, haſce *Alexander Arnold Pagenſtecher d)* & *Chriſtian Gottfried Hoffmann* indicarunt.

a) In tractatu Rapſodico, ſiue de librorum iuris Romani quantit. & qualit. n. 64. *b*) de libr. iur. comm. th. 17. *c*) de lib. iur. ciu. cap. 7. *d*) in Sicilliment. ad *Lauterbach.* manip. 4. *e*) in hiſt. iur. pag. 327. conf. *Gottfr. Ludou. Menckens* diſſ. de Nouellarum gloſſatarum & non gloſſatarum auctoritate.

XV.

Hae nouellæ in nouem collationes ſeu collectiones ſunt diuiſæ, non quidem a *Triboniano*, quamuis Nouellarum collectionem promiſerit *a*), ſed ab incerto quodam auctore, *Bulgaro* aut *Burguntione b*), vel potius a ICtis Papienſibus ætate *Friderici* II. Imperatoris *c*); & quamuis nulla nec temporis nec materiæ habita fuerit ratio: tamen, quia hæc diuiſio ad memoriam & allegandi promtitudinem apprime vtilis eſt, a recentioribus Doctoribus fuit retenta.

a) in §. 4. Conſt. *de emend. Cod.* *b*) vid. *Hagemeier* de auct. iur ciu. cap. 8. & *Guido Pancirollus* de claris LL. interpret. p. m. 122. *c*) vti refert *Odofredus* ad Auth. *Caſſa* C. *de SS. Eccleſ.* & ex eo *Aluarottus* pr. de feud. n. 12.

§. XVI.

Poſtea *Hugolinus* ICtus loco decimæ collationis libros feudorum, vt & Conſtitutiones Imperatorum *Fridericorum* & *Conradi*, Nouellis, vti ex *Odofredo a*) diſcimus, ſubiecit, qui iam in pleriſque Corporis iuris editionibus poſt Nouellas conſpiciuntur.

a) Ad Auth. *Caſſa* C. *de SS. Eccleſ.* & ex eo *Aluarottus* pr. feud. n. 12. & *Strauchius* in Irnerio non errante cap. 2. verba *Odofredi* hæc ſunt: *Vt vnum ſciatis, Authe-*

thenticum, quod fuit compositum a Iustiniano, habet nouem collationes. Postea cum venit Imperator Fridericus Iunior, misit constitutiones ad ciuitatem istam Doctoribus LL. vt aptarent eam singulis Legibus, sub congruis titulis: & ita fecerunt Dd. dum conuenerunt in S. Petro, qui istam (Auth. *Cassa) aptauerunt ad Legem istam: Postea quid fecerunt? Dominus Hugolinus post nouam collationem posuit librum feudalem, & omnes Constitutiones Friderici antiqui & iunioris, & aliquas LL. Conradi Imp. & vocatur decima collatio. Sed pauci sunt, qui habent ita ordinate in libris suis.*

§. XVII.

Sicuti autem a Nouellarum collectoribus nullus materiarum ordo fuit seruatus; ita ex recentioribus huic næuo medelam *Dionysius Gothofredus* in epitome Nouellarum ad ordinem Codicis adaptata, & *Conradus Rittershusius* in expositione Nouellarum methodica adferre voluerunt *a*).

a) Pari modo cum nec temporis ratio a collectoribus Nouellarum habita fuerit Clar. *Wielingius* in gratiam iuris cultorum Indicem Chronologicum Nouellarum Iustiniani contexuit Iurisprudentiæque restitutæ p. 167. adiecit.

§. XVIII.

Ad historicam Nouellarum cognitionem *Franciscus Balduinus* in Iustiniano, siue de iure nouo Commentario *a*) & *Petrus Gudelinus* in iure nouissimo *b*) faciunt. Commentariis vero, vt *Glossatores* taceamus, Nouellas *Iacobus Cuiacius c*), *Franciscus Balduinus d*), *Matthias Stephani e*) & *Conradus Rittershusius f*) illustrarunt.

a) Basil. 1560. 8. *b*) Arnheim. 1661. 4. *c*) in exposit. Nou. Lugd. 1570. & inter opera a *Fabrotto* edita T. II. part. alt. *d*) in Iustiniano & in Comment. in præcip. Nou. Paris. 1548. 4. *e*) Griphiswald 1653. 4. *f*) in methodica Nou. expositione Argent. 1669. 4. edit.

CAP.

CAP. XII.

DE VARIIS NOVELLARVM VERSIONIBVS ET EDITIONIBVS.

§. I.

INter Nouellarum Iustinianearum interpretes *Iulianus*, qui sub Iustino II. Tiberio II. & Mauricio Imperatoribus floruit, primum nominandus est, quippe qui circa annum DLXX. plerasque Iustiniani Nouellas Constitutiones Latine vertit, &, omissis prologis atque epilogis, in compendium illas contulit.

§. II.

Hic *Iulianus* non Patricius, nec Exconsul, vti *Andreas Alciatus a*), *Iosephus Maria Suaresius b*) & *Ioannes Strauchius c*) existimant, nec etiam ille fuit, cui iisdem titulis *Prisciani* Grammatici libri inscripti extant, propterea quod huius libri anno DXXVII. vltimo Imperii *Iustini* imperatoris anno, & ita quinquaginta fere ante *Iustini* versionem annis, descripti fuerunt. *d*)

a) Lib. II. parerg. c. 46. *b*) in notit. basilic. §. 21. *c*) in diss. *de Beryto* cap. 4. §. 2. *d*) quod probe *Antonius Augustinus* in praef. ad Iuliani epitomen & *Suaresius* loc. cit. animaduerterunt.

§. III.

Nec *Iulianus* Praef. P. ad quem aliquot Graecae constitutiones Lampadio & Oreste Coss. datae leguntur, nec *Saluius Iulianus* Edicti perpetui collector huius versionis auctores fuerunt; sed *Iuliano* Antecessori Constantinopolitano, vti in antiquis suae versionis MStis nominatur, & ad quem sequens *Theaeteti* epigramma *a*),

Τῦτον Ιελιανὸν, νομικῆς Φάος, εἶπον, ἰδῦσαι
Ῥώμη καὶ Βεροη, πάντα Φύσις δύνατοι,

Roma & Berytus, conſpecto hoc lumine legum,
Quantum, aiunt, virtus ingeniumque poteſt!

ſpectat, huius verſionis laus debetur.

a) Quod Lib. IV. Anthol. Græcæ extat, quodque *Andreas Alciatus* Lib. II. diſpunct. cap. 27. & qui eum ſequuntur, *Coraſius* & *Cagnolus* ad tit. π. de orig. iur. *Saluio Iuliano* ICto minus recte tribuunt, vid. *Ioannes Strauchius* in diſſert. *de Beryto* cap. 4. §. 13. & *Frid. Iac. Leickher* in notis ad vitam *Anton. Auguſtini* pag. 163.

§. IV.

Quamuis autem *Iulianus* Nouellas Imperatoris noſtri in epitomen contraxerit, imo quasdam, Græce extantes, non attigerit *a*): ſunt tamen in hoc compendio quædam conſtitutiones, v. g. Nouellæ XLI. LXII. LXV. LXXV. CIV. & CXXXIIX. *b*), quæ Græce plane non, vel breuis ſaltem illarum epitome, extant.

a) Ita Nouellæ 166. 167. & 168. quas *Iacobus Cuiacius*, ex Baſilicis depromtas, commentario ſuo ad Nouellas addidit, & multæ aliæ, quas vir celeberrimus *Ioann. Albert. Fabricius* in Indice titulorum, qui ſingulis *Iuſtiniani* Nouellis argumentorum loco præfixi ſunt, vol. XII. Biblioth. Græcæ pag. 373. indicat, apud *Iulianum* deſiderantur. *b*) v. *Fabritii* index cit.

§. V.

Hæc *Iuliani* epitome, cuius ſtilus longe elegantior & purior, quam vulgatæ illius translationis, eſt, CXXV. Nouellas continet, & in duos diuiditur libros, quorum prior, ad Nouellam LXIII. progrediens, titulis CI. poſterior CXXXV. abſoluitur.

§. VI.

§. VI.

Hanc *Iuliani* epitomen, qua *Irnerius*, *Bulgarus*, *Azo*, *Accurſius* ceterique iuris Iuſtinianei reſtauratores ſub nomine Nouellarum vſi ſunt, *Ambroſius Camaldulenſis* Mantuae ſub titulo: *Ioannis Conſulis de variis quæſtionibus*, inuenit *a*), *Nicolaus* vero *Boërius* ICtus Gallus primus in publicam lucem protraxit. *b*)

a) Vt ipſe *Ambroſius* in epiſtolis teſtatur, quæ manuſcriptæ viſuntur in Bibliothecæ Vaticanæ Codice 1393. referente *Suareſio* in notit. Baſilic. §. 21. *b*) Lugdun. 1512. & Venet. 1537. 8.

§. VII.

Ab eo tempore ſæpius hæc epitome recuſa fuit; *Ludouicus* enim *Miræus* pleniorem & correctiorem illam Lugd. 1560. 8. &, poſtquam ab *Æmaro Rancouetto* duo, a *Ludouico Ruſſardo* vnum exemplar accepiſſet, Brugis 1565. 4. cum præfatione *Huberti Goltzii* & notis edidit.

§. IIX.

Hanc ſecuta eſt editio *Antonii Auguſtini* vna cum paratitlis, indicibus, variis lectionibus & obſcurorum verborum *Iuliani* ſignificationibus Ilerdæ 1567. 8. cui Baſileenſis anno 1576. in fol. cum iisdem *Auguſtini* ſcholiis ex Bibliotheca Pithœorum cum variis lectionibus & *Franciſci Pithœi* Gloſſario, & denique Pariſienſis 1689. f. curante *Franciſco Deſmares* ſucceſſit.

§. IX.

Secunda Nouellarum verſio, quæ ipſa vetus, ſed minus elegans eſt, *Authentica*, quoniam ad litteram facta eſt & κατὰ πόδα, dicitur *a*), de cuius ætate ac auctore Doctores non conueniunt; Sunt enim *b*) qui auctorem huius translationis *Bulgarum* vel *Burguntionem* Iuriſconſultum Piſanum, qui ambo ſeculo XII. vixerunt, faciunt, alii, vt *Iacobus Cuiacius c*), *Franciſcus Balduinus d*), *Ioſeph Maria Suareſius e*)

& *Ioannes Strauchius f*) Græcum hominem hunc interpretem fuisse, illumque *Iustiniani* tempore, vel non multo post, versionem suam edidisse, statuunt.

a) v. *Alciatus* Lib. II. parerg. c. 46. *Suaresius* in Notit. Basil. §. 22. & *Hombergk* zu Vach in præfat. Nouell. versioni præmissa. *b*) *Alciat.* Lib. II. parerg. c. 47. *c*) Lib. III. Obs. 36. *d*) in Iustinian. pag. 573. & in præf. Schol. ad Nouell. *e*) In Notit. Basil. §. 22. *f*) in Irnerio non errante c. 3. §. 5.

§. X.

Quorum rationes hæ sunt. I. Quod stilus illi similis sit, qui in Constitutionibus *Iustiniani*, in Codicem relatis, conspicitur; II. Quod *Gregorius M.* Pontifex in epistolis suis *a*) huius interpretis verba recitet; Quodque III. in *Isidori* libro Canonem ecclesiæ *b*), in Concilio Parisiensi sub *Ludouico Pio* habito *c*), Capitularibus regum Francorum, veteribusque iuris Canonici scriptoribus, *Iuone*, *Burchardo*, *Gratiano* & *Ioanne* Sarisberiensi multæ paginæ huius translationis reperiantur.

a) Epist. 54. Lib. XI. relata apud *Gratianum* can. 38. c. 11. qu. 1. & *Raymundum* tit. de testibus cap. 2. *b*) qui integram Nouell. 42. de depositione *Anthimi* ex eadem veteri translatione sumsit. *c*) in quo ex veteri ista translatione integer Nou. 113. locus, qui apud *Iuonem* Panormiæ Part. 5. extat, recitatur.

§. XI.

Quamuis autem illi, qui non multo post *Iustinianum* tempore hanc Nouellarum versionem prodiisse, existimant, ad veritatem proxime accedere videantur: Constitutiones tamen illas non vnum, sed varios interpretes habuisse, verissimum est, & ex stili atque versionis Latinæ diuersitate satis probatur.

§. XII.

Hanc versionem, licet *Iacobus Cuiacius a*) & *Antonius Contius b*) partim ob antiquitatem, partim ob religionem interpretis, quod κατὰ πόδα textum vertere voluerit, magni fecerint, & *Ioannes Leunclauius c*), multis in locis eam longe pleniorem atque integriorem, quam *Haloandri* & *Scrimgeri* esse, ostenderit: iniucundam tamen illam esse & salebrosam, quæ Græcæ linguæ verbis respondet, non loquendi generibus, ipsi huius versionis defensores *d*) concedere debent. *e*).

a) Lib. IIX. Obs. 40. Huius tamen laudes potius ex minus æquo erga *Haloandrum* animo esse profectas, quam ex sincero de eruditione & fama veteris interpretis iudicio Clariss. *Hombergk* zu Vach in præf. ad Nouell. obseruat. *b*) in præf. ad Nouell. edit. *c*) Lib. II. Notat. iur. pag. 365. *d*) vt *Antonius Contius* in præfat. Nou. præmissa & *Ioannes Strauchius* in Irnerio non errante c. 3. §. 6. quibus *Andreas Alciatus* Lib. IV. parerg. c. 12. & Lib. II. c. 46. *Rittershusius* ad Nou. prooem. c. 4. *Ioseph Maria Suaresius* in Notit. Basil. §. 22. aliique adstipulantur. *e*) Sic cum in MSCtis Nou. 59. & 131. scriptum fuerit S. M. Samson i. e. Sanctæ Memoriæ Samson, in vulgata versione Sanctæ Mariæ Samson legitur. vid. *Nic. Alemannus* ad Procop. pag. 9. & *Mabillon* de Re diplomat. L. III. cap. fin. 37. aliud exemplum in diss. nostra: *De conditione, si non nupserit, vltimis voluntatibus adiecta*, §. 20. occurrit.

§. XIII.

Hæc versio *Authentica*, quam ICti Papienses sub *Friderico* II. imperatore in IX. Collationes disposuerunt, quibusque decimæ loco *Hugolinus* ICtus librum feudalem *Oberti de Orto* subiecit *a*), in praxi est recepta, Græcoque textui præfertur.

a) Refert hæc *Odofredus* ad Auth. *Cassa C. de SS. Eccles.* his verbis: *Postea quid fecerunt? Dominus Hugolinus post nouam collationem posuit librum feudalem, & omnes Constitutiones Friderici antiqui & Iunioris & aliquas Leges Conradi Imper. & vocatur decima collatio.*

§. XIV.

Etsi autem hæc versio in antiquioribus Corporis iuris

iuris editionibus fincera frequentiffime edita, in recentioribus tamen illa mirum in modum, admixtis Nouellis ex verfione *Haloandri*, *Scrimgeri*, *Iuliani* epitome, atque *Iacobo Cuiacio*, qui tres poftremas Nouellas primus edidit, interpolata fuit.

§. XV.

Sola hæc verfio *Authentica*, vt & *Iuliani* epitome per aliquot fecula in iureconfultorum manibus fuerunt, vsque dum *Gregorius Haloander* Græcum Nouellarum CLXV. textum *a*) edidit, elegantemque verfionem adiecit.

a) Norimbergæ a. 1531. in fol. apud *Ioannem Petreium*. v. Excerptum e litteris V. Cl. *Chriftfridi Wächtleri* IC. ad I. B. M. in Act. Erud. Lipf. a. 1711. p. 264.

§. XVI.

Sunt quidem, qui textum Græcum, quem *Haloander* edidit, authenticum non effe, ex eo, quod ille, antequam *Haloander* eum Norimbergæ edidiffet, vifus non fit, ftatuant, *Antonius* fcilicet *Contius a*), *Carolus Molinæus b*), *Albericus Gentilis c*), & *Ioannes Strauchius d*): verum tempus, quo fcripta latent, illorum fidei & ingenuitati nihil detrahere, *Io. Fridericus Hombergk* zu Vach *e*) bene monuit.

a) in dedicat. Nouellarum editioni præmiffa. *b*) de vfuris n. 67. *c*) de Libr. iur. ciu. cap. 7. *d*) in Irnerio non errante cap. 3. *e*) in præf. Nouell. edit. præm.

§. XVII.

Recufæ funt Nouellæ ex *Haloandri* editione Græce & Latine Bafileæ 1541. fol. Græce Parifiis 1542. 8. Latine Bafileæ 1561. 4. Parifiis 1562. 8. ex *Francifci Duareni* caftigatione Parif. 1567. & Antwerpiæ 1667. 8. *a*)

a) vid. Clar. viri *Ioann. Alberti Fabricii* Vol. XII. Bibl. Græcæ pag. 400.

§. XIIX.

§. XIIX.

Cum autem in editione Nouellarum *Haloandri* Græcæ aliquot Constitutiones desiderarentur, noua Græca Nouellarum *Henrici Scrimgeri a*) prodiit editio, in qua non solum ope Codicum MStorum Cardinalis *Bessarionis* & *Hulderici Fuggeri* textus Græcus emendatior est expressus, sed etiam XXIII. Nouellæ, ab *Haloandro* præteritæ, sunt additæ.

a) Basileæ 1541. f. & Parisiis ex officina *Henrici Stephani* anno 1558. fol.

§. XIX.

Nec minus *Henricus Agylæus Syluæducensis* Latinam *Haloandri* versionem ad Græcum *Scrimgeri* exemplar emendauit, varietatemque vtriusque editionis Haloandrinæ nimirum & Scrimgerianæ, annotauit. *a*)

a) Paris. 1560. 4. Basil. 1561. 4. & Colon. 1562. 8.

§. XX.

Nouam etiam *Ioan. Fridericus Breithauptius* Consiliarius Saxonicus meditatus est Nouellarum editionem, sed nihil nisi præfationem, ac prima Nouellæ primæ *a*) quatuor folia edidit *b*), Græco textui Latinam versionem e regione apposuit, & notis criticis illustrauit.

a) Hæc Nouella prima *de heredibus & Lege Falcidia* etiam Græce cum versione & scholiis *Francisci Balduini* Paris. 1542. 4. lucem vidit. *b*) Gothæ 1694. f.

§. XXI.

Tandem doctissimus Marpurgensium Antecessor *Ioannes Fridericus Hombergk* zu Bach, collatis *Haloandri* & *Scrimgeri* editionibus, libris Basilικῶν, vt & Codice Vaticano & Mediceo, nouam Nouellarum versionem erudito orbi dedit *a*), notas suas textui addidit, & ad calcem voluminis *Antonii Augu-*

Augustini Paratitla, verborum obscuriorum *Iuliani* interpretationem, *Francisci Pithœi* Glossarium in Iulianum, & *Henrici Agylæi* nec non *Iacobi Cuiacii* de dierum annotatione obseruationes adiecit.

a) Postquam enim doctissimus auctor, barbaram esse vulgatam Nouellarum versionem, in dissertatione ad Nouellam XXII. Marpurgi 1709. ventilata, ostenderat, & nouam Nouellæ I. versionem notis criticis & commentario illustratam, Marpurgi 1710. in fol. ediderat, (v. Acta Erudit. A. 1710. & monita *Christfridi Wächtleri* ibidem p. 505.) egregiam hanc omnium Nouellarum versionem Marpurgi 1717. 4. in publicum emisit.

CAP. XIII.

DE ALIIS IMPERATORIS IVSTINIANI CONSTITVTIONIBVS.

§. I.

SVpersunt adhuc aliae imperatoris *Iustiniani* constitutiones, quæ partim corpori iuris sunt additae, partim extra iuris Romani corpus diuagantur.

§. II.

Corpori iuris insertae sunt, Nouellarumque collectionem excipiunt, *XIII. Edicta* imperatoris *Iustiniani*, quae speciales quidem illius continent Constitutiones, legali tamen in foris nostris destituuntur auctoritate.

§. III.

Hæc XIII. Edicta *Iustiniani* imperatoris Græce vna cum Nouellis *Iustiniani*, *Iustini* & *Leonis* *Henricus Scrimgerus* edidit *a*), Latine vero vna cum *Leonis* Constitutionibus *Henricus Agylæus* vertit. *b*).

a) Parisiis apud *Henricum Stephanum* a. 1558. fol. *b*) Paris. 1561. 8.

§. IV.

§. IV.

Nec minus Græce & Latine hæc XIII. Edicta in variis Corporis iuris editionibus v. g. Geneuensi de a. 1583. Parisiensi de a. 1628. & Amstelodamensi *Simonis Leeuwenii* de a. 1663. Latine vero tantum in *Russardi* & *Dionysii Gothofredi* editionibus extant.

§. V.

Inter illas vero imperatoris *Iustiniani* Constitutiones, quæ extra iuris Corpus diuagantur, *pragmatica* eius *sanctio* capitibus XXVII. constans *a*), quæ incipit: *Pro petitione Vigilii venerabilis antiquioris Romæ episcopi*, nec non Constitutio *de adscriptitiis & colonis*, cuius initium: *Docuerunt nostram serenitatem Lugdunensium habitatores*, eminent. *b*)

a) a. 544. data. *b*) quæ Latine ad calcem Nouellarum edit. Amstelod. *Simonis van Leeuwen* de a. 1663. conspiciuntur.

§. VI.

Sunt & aliæ Constitutiones imperatoris *Iustiniani*, quas *Iacobus Cuiacius* ex Basilicis restituit, nimirum Constitutio *de iure patronatus ad Librum VI. Cod. Tit.* 4. *a*) Constitutio *de pœnis b*), Constitutio, quæ desideratur *in titulo mandati vel contra c*) & Constitutio *de testibus d*) quæ omnes tamen nulla in foro gaudent auctoritate.

a) Quam Græce & Latine Lib. XX. Obs. c. 34. edidit. *b*) Lib. XX. Obs. c. 31. *c*) Lib. XVI. Obs. c. 16. *d*) Lib. XIII. Obs. 38.

§. VII.

Præterea enim quamplurimæ nostri imperatoris Constitutiones & epistolæ ecclesiasticæ apud scriptores passim reperiuntur, quarum quasdam *Ioannes Leunclauius* Tomo I. iuris Romano Græci inseruit. *a*)

alias

alias vero doctiſſimus *Ioannes Albertus Fabricius* in Bibliotheca ſua Græca *b*) recenſuit.

a) pag. 73. & 74. *b*) Volum. IX. p. 440. & Vol. XII. p. 404.

CAP. XIV.

DE PRÆCIPVIS CORPORIS IVRIS IVSTINIANEI EDITIONIBVS.

§. I.

EX hisce libris, a nobis recenſitis, *Corpus Iuris Romano-Iuſtinianei* conſtat, qui manu exarati per integra nouem ſecula in foris volutati ſunt, vsque dum poſt diuinum Typographiæ inuentum typis impreſſi fuerunt *a*).

a) Hinc recte de iuris noſtri libris dici poteſt:
Scilicet annorum ſeries, nec flamma, nec enſis
Aeternum potuit hoc abolere decus.

§. II.

Caue tamen, ſtatim iuris Iuſtinianei libros coniunctim prodiiſſe, exiſtimes; *Inſtitutiones* enim, & quidem, vt probabile nobis videtur, ante alios iuris libros, ſeparatim typis ſunt adornatæ; ſeorſim enim Moguntiæ 1468. Baſileæ 1478. & Venetiis 1487. in publicum prodierunt.

§. III.

Vtrum vero *Digeſta* initio absque Codice impreſſa fuerint, & ſeparatim tres *Digeſtorum* partes, *Vetus*, *Infortiatum*, & *Nouum*, non ſatis conſtat *a*); ex Codice tamen priores tantum nouem libros, quia tres poſteriores ad ſtatum Romanum publicum ſpectant, impreſſos fuiſſe, nemo eſt, qui ignoret.

a) Hinc non ſtatim, ſi pars tantum *Pandectarum* reperitur, concludendum eſſe, eam ſeorſim prælo commiſſam

missam esse, sed potius reliqua ibi deesse volumina, recte *Henricus Brenckmannus* Lib. III. Hist. MSCti Florent. cap. 4. monuit.

§. IV.

Praeterea illud etiam monendum esse censeo, antiquas Corporis iuris Iustinianei editiones *charactere Gothico*, seu *littera S. Petri*, vti vocant, vel *monachali*, vt alii loquuntur, expressas esse, nonnunquam etiam habere *rubricas miniatas*, & vt plurimum in margine glossas *Accursii* aliorumque exhibere, quod etiam *Henricus Brenckmannus* monendum duxit *a*).

a) In hist. cit. Lib. III. cap. 4.

§. V.

Operæ itaque pretium esse, statuimus, præcipuas & notabiliores Corporis Iuris *editiones* recensere, & simul, quid editores illarum præstiterint, quidue quælibet singulare præ ceteris habeat, lectorem edocere; & cum viri doctissimi *Henricus Brenckmannus*; *a*) & *Ioann. Albertus Fabricius* *b*) antiquissimas & rariores Seculi XV. & XVI. *editiones* enumerauerint, beneuolum lectorem ad illorum etiam scripta remittimus.

a) In historia MSti Florentini Lib. III. cap. 4. *b*) Vol. XII. Biblioth. Græc. pag. 359. quibus iungi potest *Simon van Leeuwen* de origine, progressu, vsu atque auctoritate iuris ciuilis Romani, eiusdemque varia editione atque emendatione, historica narratio, quæ reperitur in Fragment. vet. ICtor. pag. 711.

§. VI.

Prodiit itaque Digestum nouum per *Petrum Mauser* Paduæ a. 1479. f. Infortiatum & Nouum Venetiis, per *Ioannem* & *Gregorium* fratres *Furliuienses* anno 1485. & eodem anno Institutiones & Nouellæ, Digestum Nouum Venetiis a. 1489. Vetus Venetiis a. 1498. f.

§. VII.

Coniunctim Corpus iuris ciuilis prodiit Venetiis apud *Baptistam de Tortis* a. 1499. 1500. & 1501. quinque Tomis in f. quae editio apud eundem a. 1506. & 1507. quinque Voluminibus in f. est repetita.

§. VIII.

Secutae sunt Parisienses editiones a. 1508. in f. & a. 1511. apud *Iodocum Ascensium* quinque Tomis in 4. & a. 1513. vsque ad 1516. quinque Tomis in 4. per *Bartholdum Rembolt* a. 1515. & 1516. in f. apud *Claudium Cheuallonium* ab a. 1528. ad 1530. quinque Voluminibus in f. quae repetita est a. 1534. curante *Aegidio Perrino* & a. 1536. septem voluminibus in 8. nec non a. 1548. ad 50. ex emendatione *Antonii Augustini* 5. Volum. in 4. & denique edente *Aegidio Dauringy* a. 1531. apud *Franciscum Regnault* a)

a) De Corpore Iuris, quod Parisiis 1517. prodiit v. *Mattaire* in Annal. Typogr. Tom. II. p. 237. sequ.

§. IX.

Nec minus celebres sunt editiones Lugdunenses de a. 1515. apud *Iacobum Mareschall* & de anno 1516. opera *Francisci Fradin* secundum correctionem *Ludouici Bolognini* ex Pandectis Pisanis quinque voluminibus in f. & de a. 1550. ad Florentinarum Prototypon & ad Aueniense archion a) emendata apud *Sennetonios* fratres 5. Tom. in f.

a) Sed illud archion Auenione se frustra quaesiuisse, testatur vir celeberr. *Ioan. Alb. Fabricius* Vol. XII. Bibl. Graecae pag. 362.

§. X.

Praeterea recenseri merentur editiones Lugdunenses, quae impensis *Hugonis a Porta* & heredum *Aemonis a Porta* publicam adspexerunt lucem, nimirum

rum a. 1536. quinque Tomis in f. *a*) a. 1540. & 41. 5. Tom. in f. a 1547. 5. T. in f. collatis non paucis MSCtis adhibitoque doctiſſimorum virorum conſilio; a. 1549. 5. Tom. in f. a. 1551. ex π. Florentinis recognita, emendata & annotationibus doctiſſimorum virorum aucta apud *Hugonem a Porta* & *Antonium Vincentium* 5. Vol. in 4. a. 1560. 5. Tom. in f. & a. 1562. iuxta exemplar Florent. emendata 5. T. in f.

a) Apud *Franciſcum Fradin*, quos iuris libros *Antonius Auguſtinus* Lugdunenſes, & Lugdunenſes antiquiores Lib. II. emend. cap. 5. & Lib. III. cap. 1. nominat.

§. XI.

Gregorii etiam *Haloandri* memoranda eſt editio; Pandectæ enim ex *Ludouici Bolognini* Florentiniarum Pandectarum collatione tribus Voluminibus in 4. Norimbergæ a. 1529. prodierunt *a*); Deinde Inſtitutiones, optima fide ex Digeſtorum collatione recognitas, in lucem emiſit, quas a. 1530. Codex, cum antiquiſſimis exemplaribus collatus, & a. 1531. Nouellæ Græce in f. *b*) ſunt ſecutæ.

a) Quid in Pandectarum editione præſtiterit *Haloander*, vid. apud *Henr. Brenckmannum* Lib. IV. cap. 3. & P. II. Hiſtor. noſtræ cap. 5. *b*) vid. Hiſt. noſtra P. II. cap. 12.

§. XII.

Hæc *Haloandri* editio repetita eſt a. 1531. & Pariſiis apud *Carolum Guillardum* a. 1540. vndecim Voluminibus in 8. nec non a. 1552. apud *Carolum Guillard* viduam *Claudii Cheuallonii* & *Guil. Des Boys* curante *Ludouico Miræo Roſetano* ſeptem Volum. in 8. & denique Baſileæ apud *Thom. Guarinum* a. 1570. tribus Tomis in f.

§. XIII.

Ad editionem etiam *Haloandri* Pandectæ collatæ,

additis *Modestini* legibus Græcis in Tit. π. *de excusat. tutorum*, & Græcorum interpretatione Latina in calcem operis adiecta, nec ceteri Iuris libri *a*) Basileæ a. 1541. in f. cura *Ioannis Herwagii b*) prodierunt.

a) In Codice loca non pauca emendata, feudorumque libri, nec non variæ Doctorum lectiones additæ reperiuntur. *b*) *Andreæ Alciati* aliorumque Doctorum opera se adiutum *Herwagius* in præf. profitetur.

§. XIV.

Herwagianam excepit *Vintimilliana* editio, quæ Parisiis a. 1548. *a*) cura *Ioannis Vintimillii* Rhodii in publicum est emissa, & nouem voluminibus in 8. constat; in Pandectis Haloandrina quidem editio expressa, sed scriptura Florentina sæpius temperata, imo sexcentis locis ad illius fidem emendata fuit.

a) repetita Paris. 1550. 8.

§. XV.

Prodierunt etiam *Antonii Syphriani* Pandectæ manuales in minori forma Lugduni apud *Guilielm. Rouillium* a. 1551. post omnium editiones *Haloandri* castigationem, ad librorum Florentinorum fidem innumeris in locis emendatæ, adiunctis Codice & Nouellis, studio atque opera *Bernardi Rollandi* Castrensis editæ *a*).

a) vid. *Simon v. Leeuwen* in histor. narrat. p. m. 739.

§. XVI.

Edidit etiam *Ludouicus Russardus* Iuris apud Bituriges Professor consilio atque auctoritate *Francisci Duareni* nec non manuscriptorum librorum ope iuris civilis libros Lugduni 1561. f. & Antwerpiæ a. 1567. nec non 1570. apud *Plantinum* infinitis locis emendatos, & notis perpetuis illustratos, sed de hoc Russardino iuris corpore parum beneuole *Antonius Contius a*) iudicat.

a) In

a) In præfat. ad Corpus Iuris Gloſſatum an. 1612. editum. vid. *Henric. Brenckmannus* Lib. III. Hiſt. MSCti Florent. c. 5.

§. XVII.

Huic a. 1562. ſucceſſit *Antonii Contii* nitidiſſima editio Pariſiis apud *Guilielmum Merlinum* nouem voluminibus in 8. excuſa ; in Pandectis *Contius* duas inſignes lacunas in fin. Tit. *de bonis damnatorum*, item *de interdictis & legatis* ope libri LX. Baſilικῶν repleuit , multaque ad reſtituendam lectionem ex ſcriptoribus Romanis & ICtis Græcis ad marginem notauit, Codicem vero quamplurimis Græcis Conſtitutionibus auxit. Hæc Contiana editio etiam Lugduni apud *Rouillium* a. 1580. quatuordecim tomis in 12. prodiit.

a) De hac Contiana editione legatur *Henr. Brenckmann* Lib. III. Hiſtor. MSCti Florentini c. 5. & *Simon. v. Leeuwen* in Narrat. Hiſt. p. 741.

§. XIIX.

Poſt Contianam *a)* nitidiſſima *Ludouici Charondæ* editio typis Plantinianis a. 1575. f. prodiit , in qua Pandectæ Florentinæ ſunt repræſentatæ, & breuiſſimis *Contii* , *Ruſſardi* & ipſius *Charondæ* annotationibus explicatæ , Codex vero permultis Græcis Latinisque conſtitutionibus , inſcriptionibus , nec non *Antonii Contii* Chronicis canonibus, faſtis regiis & conſularibus auctus , vt & Nouellis quamplurimæ Conſtitutiones additæ. *b)*

a) Prodiit etiam corpus iuris cum notis *Franciſci Hottomanni* Pariſ. 1572. X. Volum. 8. *b)* vid. *Simon. v. Leeuwen* pag. 742. & *Brenckmann.* l. c.

§. XIX.

Hanc ſequitur *Iulii Pacii* non contemnenda editio Atrebati an. 1580. fol. apud *Euſtatium Vignon*, eodem anno apud eundem IX. Voluminibus in 8. repetitā

petita, Tandem *Dionysii Gothofredi* celebris ICti cum notis marginalibus ad omnes iuris ciuilis partes Lugduni a. 1583. 4. ex officina *Balth. Vincentii* prodiit editio, quæ sæpius Geneuæ, Lugduni, Francofurti, & Lipsiæ in f. 4. & 8. repetita fuit, & studiosorum manibus passim teritur.

§. XX.

Inter *Dionysii Gothofredi* editiones maxime etiam celebratur ea, quæ Amstelodami a. 1663. f. *b*) sumtibus societatis & cura *Simonis Leeuwenii a*) publicam lucem adspexit; sed quamuis splendidissima sit hæc editio, multis tamen illam scatere næuis, pulcherrima editione indignis, *Henricus Brenckmannus c*) obseruauit.


a) Repetita 1681. & 1700. absque notis in 8. nec non Antuerpiæ 1726. II. Tom. in f. *b*) Quid *Sim. v. Leeuwen* in hac editione præstiterit, late in narratione hist. pag. 742. seq. persequitur. *c*) in histor. MSCti Florent. p. 298.

§. XXI.

Nouissime etiam *a*) *Christophorus Freisleben* Corpus Iuris Ciuilis academicum in duas partes distributum, vsuique moderno ita accommodatum, vt nunc studiosorum quiuis, etiam tyro, vno quasi intuitu, omnes leges Digestorum & Codicis, omnesque titulos institutionum inuenire possit, edidit.

a) Altenburgi & Lipsiæ 1721. 4.

PART.



PART. III.

HISTORIÆ IVRIS POST-IVSTINIANEI

MEMBRUM I.

DE FATIS IVRIS IVSTINIANEI IN ORIENTE.

CAP. I.

DE VERSIONE IVRIS IVSTINIANEI IN LINGVAM GRÆCAM.

§. I.

NOn diu autem Legum Iuſtinianearum in Oriente viguit auctoritas, licet enim puræ & in Latina lingua ſub *Iuſtino*, *Tiberio* & *Mauritio* Imperatoribus per quadraginta annos floruerint, recedente tamen paulatim linguæ vſu, Græca Iurisprudentia, ſuppreſſis iuris Iuſtinianei libris, caput ſuum extulit, ſuamque auctoritatem vsque ad infelicia euerſi a Turcis Orientalis imperii tempora retinuit.

§. II.

Et primo quidem Iuris Iuſtinianei volumina, nimirum Inſtitutiones, Digeſta & Codex in Græcum ſermonem fuerunt verſa, & a *Phoca* Imperatore circa annum DC. poſt C. N. in forum recepta, mox quamplurimas Græci Imperatores addiderunt Conſtitutiones, illasque in corpus quoddam coniecerunt, quibus

 deni-

denique ICtorum Paraphrases, Eclogæ, Synopses, Promtuaria, Manualia, & Paratitla accesserunt.

§. III.

Digesta itaque *Thalelæus*, *a*) vir illustris & antecessor Constantinopolitanus, nec non *Triboniani* in colligendo Pandectarum volumine adiutor *b*), in gratiam subiectorum Orientis, in Græcum idioma, & quidem *κατὰ πόδα*, *c*) transtulit.

a) Cuius meminit Imperator *Iustinianus* in Constitut. *Omnem*, & qui a ceteris Iuris interpretibus τῆς νομικῆς ὀφθαλμὸς vocatur vid. *Cuiacius* Lib. XIIII. Obs. c. 33. *b*) vnde errant *Franciscus Broëus* in Chronolog. totius iur. hist. *Iac. Gothofredus* in manual. iur. *Marq. Freherus* in chronol. vtriusque imperii, & *Grauina* in Orig. Iur. ciu. p. 97. qui *Thalelæum* Basilicorum commentatorem fuisse statuunt. *c*) vt vult *Balduinus* in præf. scholiorum ad Nouell. & *Haloander* in proœm. ad Nouell.

§. IV.

Ex hac *Thalelæi* Pandectarum versione, quam *Gregorius Haloander a*) & *Adamus Suallembergius b*) se legisse testantur; quamplurima in contextum Basilicorum, quæ & hodie supersunt, sunt relata, vti *Iacobus Cuiacius c*) & *Antonius Augustinus d*) bene annotarunt.

a) In præfat. ad Nouellas. *b*) in prologo ad *Harmenopulum*. *c*) in obseruationum libris Lib. XIII. Obs. 33. *d*) in notis ad tractat. de Nominibus propriis τῦ πανδέκτυ; quibus addi potest index ICtorum & aliorum in Basilicis memoratorum, quem vir celeb. *Ioann. Albertus Fabricius*. Vol. XII. Biblioth. Græcæ pag. 462. inseruit.

§. V.

Sicuti autem *Thalelæus* Digesta *κατὰ πόδα*, siue de verbo ad verbum, vertit; ita *Stephanum εἰς πλάτος* illa interpretatum esse, *Cyrillum κατ' ἐπιτομὴν*, *Dorotheum* vero

vero per modum indicis, *Matthæus Blaſtares* a) auctor eſt.

a) Qui circa annum 1335. ſcripſit, in præf. ad ſyntagma Canon. legumque alphabeticum v. Dn. *Fabricius* Vol. X. Bibl. Græcæ p. 493. & Volum. XII. p. 366.

§. VI.

Eodem modo Codex Iuſtinianeus in gratiam plurimorum, qui linguam Latinam non intelligebant, ſiue a *Thalelæo*, a), ſiue ab alio quodam, in Græcum translatus fuit ſermonem, quem *Marquardus Freherus* b) ſe vidiſſe teſtatur, eiusque verſionis auctorem illum, qui in Baſilicis κωδικεύτου nomine laudatur, fuiſſe exiſtimat.

a) *Matthæus* enim *Blaſtares* l. c. *Thalelæum* Anticenſorem, vel, vt rectius vir celeberrimus *Fabricius* legit, antecesſorem, τοὺς κώδικας εἰς πλάτος expoſuiſſe, ſcribit. b) in epiſtola dedic. ad *Rudolphum* II. Imperat. Iuri Græco Rom. præmiſſa, eundem etiam Codicem Græcum in inſula Creta viſum fuiſſe, *Adamus Suallembergius* in prologo ad Harmenopuli promtuar. refert.

§. VII.

Huius Codicis verſionis etiam in Baſilicis multa, vti *Iacobus Cuiacius* a) paſſim obſeruauit, veſtigia reperiuntur; vnde etiam *Antonius Auguſtinus* non paucarum Conſtitutionum, quæ in Codice deſunt, Græcam interpretationem diuulgauit b).

a) In Libris obſeruationum. b) Ilerdæ an. 1576. 8. quæ etiam in quibusdam corporis iuris editionibus, vt *Dionyſii Gothofredi* de an. 1587. & Pariſ. 1628. & *Simon v. Leeuwen* de a. 1663. fol. reperiuntur.

§. IIX.

Extat etiam *Theodori Hermopolitæ* a) Synopſis ſeu argumenta breuia in Codicem, per interrogationes & reſponſiones octoginta duobus capitibus digeſta,

MSCta in Bibliotheca Vindebonensi *b*); nec minus interpretationis ἐις πλάτος a *Thalelæo* compositæ, & aliarum duarum *Anatolii* & *Isidori* *Matthæus Blastares c*) meminit.

a) Cuius argumenta breuia in Basilicis etiam citantur & laudantur, vid. *Iosephus Maria Suaresius* in Notit. Basil. §. 20. *b*) teste *Lambecio* Lib. VI. Bibl. Vindebon. p. 15. incipit: τότε τελευτῶν ὁ ἡγέμων. *c*) loco antea citato apud *Fabricium* Vol. XII. Bibl. Græcæ p. 370.

§. IX.

Sicuti autem vocabula in iure Romano recepta, v. g. *heres suus*, *donatarius*, *legatarius* vix in Græcum conuerti potuerunt sermonem *a*): ita Græci hi iuris Iustinianei interpretes, vt & *Theophilus*, *Harmenopulus*, multas eiusmodi Latinas voces retinuerunt.

a) Quod *Modestinus*, cum libros de tutelæ & curæ excusationibus Græce scriberet, iam in L. 1. §. 1. D. *de excusat.* obseruauit.

CAP. II.

DE THEOPHILI PARAPHRASI INSTITVTIONVM, DEQVE VARIIS EIVS EDITIONIBVS.

§. I.

EOdem modo quatuor Institutionum libri Imperatoris Iustiniani a *Theophilo* quodam cum paraphrasi in Græcum idioma sunt translati, de cuius tamen paraphraseos auctore atque ætate Doctores inter se non conueniunt.

§. II.

Sunt enim, vt *Ioannes Mercerius a*), *Barnabas Brissonius b*) & *Iacobus Curtius c*), qui hunc paraphrasten illum *Theophilum* esse, qui tempore *Iustiniani*

ni Anteceſſor Conſtantinopoli fuit, & vna cum *Triboniano* & *Dorotheo* Imperatori *Iuſtiniano* in componendis Inſtitutionibus operam præſtitit, exiſtimant *d*).

a) in Conciliatore p. 51. edit. Reynold. *b*) in Lexico iuris voce Anteceſſor. *c*) in epiſtola, quam *Theophilo* ſuo Latino præfixit. *d*) Sic *Alberic. Gentilis* Lib. V. de nupt. c. 11. & *Eguin. Baro* ad tit. I. *Quib. mod. ius patr. pot. ſolu.* Triboniano ſocium ſuppoſititium & mendacem ſcriptorem *Theophilum* nominant.

§. III.

Alii contra, *Franciſcus* nimirum *Broëus a*), *Viglius Zuichemus*, *b*) & *Carolus Hannibal Fabrottus c*) Theophilum hunc antiquiſſimum quidem ICtum dicunt, alium tamen ab eo, qui condendo iure Iuſtinianeo operam nauauit, fuiſſe contendunt, quorum hæ ſunt rationes I. nimiam fuiſſe modeſtiam, ſi *Theophilus* in §. 3. Prooemii Inſtitutionum, a ſe in Græcum ſermonem translatorum, non meminiſſet, dicunt, & II. Non veroſimile eſſe, *Theophilum* Anteceſſorem Conſtantinopolitanum ius illud, in quo verſabatur, ignoraſſe, &, vt paraphraſtes fecit, ea ſæpius, quæ *Iuſtiniani* Conſtitutionibus ſunt contraria, tradidiſſe, putant.

a) in hiſtor. iur. chronolog. *b*) in præf. ad Theophil. *c*) in præf. ad Theophilum.

§. IV.

Rurſus alii, *Iacobus* ſcilicet *Gothofredus a*), Paraphraſten hunc illum *Theophilitzen* fuiſſe, qui inter ceteros Baſilicorum interpretes memoratur, & circa annum M. poſt N. C. vixit, ſibi perſuadent; imo *Iacobus Cuiacius*, qui tamen multa ex *Theophilo* ſcriptis ſuis inſeruit, ſibi parum conſtans, mox paraphraſten hunc ex vltima iurisprudentia vetuſtiſſimum vocat *b*), mox ipſum etiam *Accurſio* iuniorem facit.

a) in Manual. iur. p. 72. *b*) in comment. ad L. 19. *π. de reb. cred.*

§. V.

§. V.

Nobis illorum placet sententia, qui paraphrasten hunc eundem *Theophilum* fuisse statuunt, qui in prooemio Institutionum *a*) inter harum confectores & Iuris antecessores refertur. Primo enim *Theophilus* ad tit. I. *de vsucapionibus Iustinianum* saepius Principem & Dominum suum vocat, deinde *Thalelaeus*, qui aetate *Iustiniani* vixit *b*), *Theophilum* eiusque librum citat; quam sententiam ex professo vir illustris *Nicolaus Hieronymus Gundlingius c*) defendit, & simul argumenta dissentientium solide discussit *d*).

a) §. 3. nec non §. 3. Constit. *Omnem* & L. 2. §. 11. L. 3. §. 9. & 11. C. *de vet. iur. enucl.* *b*) quod *Antonius Augustinus* in notis ad tract. de nomin. propriis π. probauit. *c*) in Gundling. Part. II. n. 2. *d*) Idem D. *Io. Henricus Mylius* in Theophilo S. de Graecarum Iuris Institutionum earumdemque auctoris historia, fatis, dotibus, naeuis, aetate, auctoritate Lips. 1730. 8. edit. fecit.

§. VI.

Non autem *Theophilus* κατὰ πόδα Institutiones Iustinianeas vertit, sed saepius ritus & consuetudines Romanorum veteres vberius & latius aliquando, quam in Latino Codice referuntur, recensuit, multaque alia, ad pleniorem rerum intellectum facientia, saepius inseruit.

a) Exemplum Tit. I. *de litter. oblig.* praebet, sub quo *Theophilus* optime naturam contractus chirographarii exposuit. vid. *Angelus Politianus* Miscell. c. 84. *Ioseph. Nerius* I. Analect. 21.

§. VII.

Equidem non inficiamur, naeuos quosdam & παροράματα in *Theophili* Paraphrasi reperiri *a*); ita sub *tit. de nuptiis*, vbi *Iustinianus* §. 3. consobrinorum matrimonia permittit, *Theophilus* paraphrasin, quasi ea prohiberet, concepit; eodem modo in *pr. I. quibus non est permissum facere testamentum*, inutile filiifamilias testamentum, de alio quam militari peculio factum, pronunciatur; ast *Theophilus* filiifamilias testamentum in peculio aduentitio, cuius pater vsumfru-

fructum non habet, permittit; taceo iam alia *Theophili* vitia, quæ *Ioachim Hagemeier b*), *Carolus Hannibal Fabrottus c*), *Theodorus Marcilius d*), *Riccius e*), *Iacobus Curtius f*), *Hermann. Vulteius* g) & *Ioannes Douiatius h*) passim annotarunt.

a) Quam ob caufam *Edmundus Merillius* Theophilum in variantibus *Cuiacii* interpretationibus & in obferuationibus Lib. II. c. 28. fæpius notauit, imo animaduerfiones in eum fcribere voluit, v. Lib. II. Obf. c. 27. fed *Merillium* ex odio erga *Fabrottum* Theophilum ceterosque Græcos contemfiffe interpretes, non absque ratione doctiffimus *Gundlingius* in Gundlingianis l. cit. coniicit. *b*) de vfu & auctor. Iur. Ciuil. *c*) in notis ad *Theoph.* *d*) in notis ad Inftit. & quidem ad §. 3. *de fufpect. tutor.* & ad tit. *de Curat.* *e*) Vindic. Iur. c. 3. *f*) Lib. II. Coniectur. c. 49. *g*) ad §. 4. I. *de nupt.* *h*) in not. ad *Theoph.*

§. IIX.

Sed vt filentio *Fabrotti* prætermittam fententiam *a*), quod fcilicet hæc errata non *Theophili*, fed ftudiofi cuiusdam fuerint, qui hæc in ora libri fui adfcripferit, vnde in contextum poftea irrepferint; talia tamen hæc vitia minime effe cenfemus, vt eam ob caufam cum *Ottone Tabore b*) aliisque Græcorum interpretum oforibus *Theophilum* de manu abiicere, & vetuftiffimi huius Inftitutionum interpretis fidem, auctoritatem atque vfum in dubium vocare debeamus *c*).

a) In præfat. ad *Theophilum.* *b*) qui in racemat. Crim. ad tit. *arbor. furt. cæf.* parum benigne de Græcis interpretibus iudicat. *c*) vid. *Pancirollus* L. II. Var. c. 9. & Cl. *Heineccius* in præf. ad Vinnium & Element. ff. fub tit. ad SCtum Macedonianum.

§. IX.

Non inutilem itaque Iurisprudentiæ Iuftinianeæ *Viglius Zuichemus*, *Iacobus Curtius*, *Dionyfius Gothofredus*, *Carl Hannibal Fabrottus* & *Ioannes Douiatius* operam præftitiffe videntur, quod *Theophili* paraphra-

ſin non tantum in publicam lucem protrahere, ſed etiam in Latinum ſermonem vertere, atque annotationibus ſuis ornare voluerint.

§. X.

Primus autem *Theophili* paraphraſeos præco *Angelus Politianus a*) fuit, poſt quem *Viglius Zuichemus* Friſius illam ex MSCtis Bibliothecæ Venetæ S. Marci, cui *Beſſarion* Cardinalis reliquerat *b*), & *Ioannis Egnatii* Baſileæ an. 1534. f. apud *Frobenium* Græce edidit, primum titulum *de Iuſtitia & iure*, qui in vtroque exemplari deficiebat, Græce verſum præpoſuit, &, præmiſſa longa atque doctiſſima de operis vtilitate præfatione, *Carolo* V. Imperatori dicauit.

a) Cap. 84. Miſcellaneorum, quam ob cauſam ab *Antonio Auguſtino* Lib. IV. emend. c. 14. vehementer laudatur. *b*) quod MSCtum a Cardinali *Bembo* acceperat.

§. XI.

Eodem anno hæc *Theophili* Paraphraſis integrior ope quorundam Codicum MSCtorum Pariſiis apud *Chriſtianum Wechelum* Græce in 8. repetita *Viglii Zuichemi* præfatione, prodiit, nec minus Græce illa Louanii an. 1536. 4. ex officina *Rutgeri Reſcii*, adiunctis aliquot *Petri Nannii* annotatiunculis, publicam lucem adſpexit.

a) Vti vir celeb. *Ioann. Albertus Fabricius* Vol. XII. Bibl. Græcæ p. 354. refert.

§. XII.

Poſt decennium ferme hæc Græca paraphraſis textui Inſtitutionum Iuſtinianearum, reſpondentibus inuicem paragraphis, fuit addita; & Baſileæ apud *Henricum Petri* curante *Iodoco Petro Neitharto* Vlmenſi adhuc iuuene in 12. in publicum emiſſa. *a*).

a) vid. Gundlingiana Part. II. p. 120.

§. XIII.

§. XIII.

Circa idem tempus, nimirum anno 1545. *a*) *Iacobus Curtius* Brugensis interpretationem *Theophili* Latinam Brugæ in 12. emisit *b*), annotationesque quasdam adiecit, quæ sæpius deinceps Lugduni & Louanii curante *Ludouico Miræo* recusa fuit.

a) Citat quidem vir celeb. *Ioann. Albertus Fabricius* Vol. XII. Bibl. Græc. p. 354. Latinam editionem *Iacobi Curtii* Pictauiensem de a. 1539. sed illam nunquam vidimus. *b*) Latina enim versio *Francisci Cranenfeldii*, quam laudat *Petrus Nannius* in apologia aduersus *Iacobum Curtium* T. I. Lampadis artium Gruterianæ p. 1378. non vidit lucem. vid. *Fabricius* l. c.

§. XIV.

Nec minus *Dionysius Gothofredus* paraphrasin Græcam cum Latina interpretatione *Iacobi Curtii* Geneuæ 1587. 4. apud *Eustathium Vignon* edidit, Institutionibus Iustinianeis illum ἐκ παραλλήλȣ iunxit, marginesque paratitlis & vtilibus notis adspersit, quæ Gothofredi editio ibidem a. 1598. & 1620. 4. repetita fuit.

§. XV.

Sed omnes hasce *Theophili* editiones superant *Caroli Hannibal. Fabrotti* antecessoris Aquæ Sextiensis binæ editiones, quarum una Parisiis 1638. altera ibidem 1657. 4. prodiit *a*); in hisce enim Græcum textum sexcentis in locis, vt ait, ad tres Codices Bibliothecæ regiæ, & *Petri Nancelii* atque *Iacobi Menzelii* castigationes emendauit, Latinam *Curtii* versionem recognouit, Græca denique ex MSCtis scholia & notas suas addidit.

a) Cum autem *Fabrottus* in posteriori sua editione multas annotationes omiserit, alias addiderit, priori etiam tuto carere non possumus.

§. XVI.

Tandem *Ioannes Douiatius*, Antecessor Parisiensis, *Theo-*

Theophili paraphrasin cum notis *Cuiacii*, *Fabrotti* & propriis Parisiis a. 1681. 8. Latine edidit *a*), versionemque *Curtii* & *Fabrotti* sæpius emendauit; nec minus Latini *Theophili* paraphrasis Institutionibus Iustinianeis subiuncta, secundum versionem *Fabrotti*, aliquot tamen in locis emendata, Lugduni Batauorum apud *Ioannem van der Linden* a. 1711. 8. publicam lucem adspexit. *a*).

a) In fine *Ioannes Doviatius* dissertationem ad difficilem §. 2. I. *de actionibus* addidit. conf. Acta Erudit. a. 1683. p. 289. nec minus Illustr. *Boëhmerus* postremæ edit. Institut. Iustinianearum Theophil. Paraphrasin textui subiecit.

CAP. III.

DE CONSTITVTIONIBVS IMPERATORVM ORIENTIS AD BASILIVM VSQVE MACEDONEM.

§. I.

Qvamuis autem *Iustiniani* in Imperio Orientali successores iure eius per aliquot tempus vsi fuerint; ipsi tamen suas etiam ediderunt Constitutiones: ita eius successor *Iustinus* ab anno 566. ad a. 587. quinque edidit Edicta I. *de indulgentia tributariorum reliquorum a*); II. *De matrimonio per consensum soluendo b*); III. *De illicitis nuptiis in Osroëna & Mesopotamia contractis c*); IV. *De Præsidibus prouinciarum d*). Et V. *De Sarmaritanis. e*)

a) Est Nouell. 148. *b*) est Nouell. 140. *c*) conf. Nou. 154. *d*) est Nou. 149. *e*) est Nou. 144.

§. II.

Hæc *Iustini* edicta Græce *Henricus Scrimgerus* cum Nouellis Iustiniani apud *Henr. Stephanum* Parisiis 1588. edidit, Latine vero *Henricus Agylæus* vertit, & cum Nouellis *Leonis* ibidem a. 1561. 8. in publicum emisit; eadem *Iustini* edicta in editionibus

nibus Corporis Iuris *Ludouici Charondæ* & *Simonis van Leeuwen* Græce & Latine, in ceteris vero editionibus Latine reperiuntur *a*).

a) *Iustiniani* Imp. edicta, item *Iustini, Tiberii* ac *Leonis* Augustorum Nouellæ Constitutiones *Henrico Agylæo* interprete etiam Lugduni a. 1571. 12. prodierunt.

§. III.

Extant etiam quatuor *Tiberii* Imperatoris Constitutiones *a*), nimirum I. *De priuatorum fundis & prædiis per Imperatorum procuratores non grauandis*; II. *De heredibus*; III. *De præsidibus prouinciarum* & IV. *De releuatione tributorum publicorum*, quæ Græce ab *Henrico Scrimgero*, Latine vero ab *Henrico Agylæo* sunt editæ.

a) Quinta enim *Tiberii* Constitutio desideratur; sacrum eius pragmaticum *de confirmatione Constitutionum Iustini, de filiis Coloniarum & liberalium* in edit. Corpor. Iuris Leeuwenii conspicitur.

§. IV.

Nec minus *Heraclii* Imperatores pater & filius ab a. 610. ad 641. varia iuris capita, v. g. *de fide, de Iudæis, de foro competente Episcoporum, Clericorum & Monachorum*, quæ apud *Edmundum Bonefidium a*), *Marquardum Freherum b*) & *Iustellos c*) reperiuntur, ediderunt.

a) In iure Orientali Paris. 1573. 8. apud *Henricum Stephanum* editio Lib. I. *b*) in Iure Græco-Romano, quod Francofurti a. 1590. f. prodiit Tom. I, *c*) in Bibliotheca Iuris Canon. veteris Paris. 1661, fol. edita.

§. V.

Successerunt denique Leonis Iconomachi *a*) tria capita; *de Hebræis & Montanis, de patrimoniis templorum vrbis Romæ & de capitatione infantium, & de duabus siliquis prouinciarum administratoribus præstandis*; Constantini Copronymi *b*): *De reliquiis & intercessione sanctorum*; Nicephori *c*) *De militia inopum,* de

de chartiatico & fumario & naucleris, & inuentione thesauri & aliis quibusdam, de vsuris, de vasis sacris & rebus ecclesiasticis. Leonis Armenii: *d) De praefecto poenam adultero non irrogante* & Theophili: *e) De imaginibus, de expulsione monachorum, de connubio Persarum cum Romanis, de tonsura capillorum, de poena raptoris equi*, quae omnia apud *Edmundum Bonefidium* conspiciuntur.

a) Ab a. 717. ad 741. b) ab a. 741. ad 775. c) ab a. 802. ad 811. d) ab a. 813. ad 820. e) ab a. 829. ad 842. vid. *Fabricius* Tom. XII. Bibl. Graecae p. 416.

CAP. IV.

DE CONSTITVTIONIBVS IMPERATORVM BASILII MACEDONIS ET FILIORVM CONSTANTINI AC LEONIS; NEC NON DE LIBRIS BASILIκῶν, VARIISQVE ILLORVM EDITIONIBVS.

§. I.

Sequentes Orientis Imperatores, breuitatem, perspicuitatem, ordinemque concinnum in Iure Iustinianeo desiderantes a), nouum iuris Corpus, ex iure Romano suisque constitutionibus collectum, ediderunt, illudque libros βασιλικῶν adpellarunt.

a) Ita enim *Cedrenus* Histor. compend. p. 569. de *Basilio Macedone* loquitur: *Sed &, ciuiles leges videns multum habere confusionis atque obscuritatis, operam dedit, ut iis conuenientem faceret medicinam, itaque abrogare inutiles, iisque amputatis, multitudinem bonarum expurgare intendit; Sed mors eius hoc institutum intercepit, res a filio deinde perfecta est.*

§. II.

Primus itaque *Basilius Macedo*; inter captiuos venales Constantinopolin ductus; annoque post N. C. 867.

867. in imperialem dignitatem euectus, nouam iuris meditatus fuit collectionem, interpolandique iuris Iustinianei consilium cepit. *a*)

a) Vid. *Const. Porphyrogenneta* siue potius *Leontius Byzantius* in vita *Basilii Macedonis* p. 66. in symmictis *Allatii*, *Ioannes Curopalates Scillizes* p. 37. & *Cedrenus* l. c. a celeberrimo *Fabricio* in notis ad §. 2. *Suaresii* notit. Basilic. citati. non itaque *Philippus Macedo*, ut *Hahnius* in Orat. de Vsu Chronologiæ in iure §. 23. putauit.

§. III.

Vnde non solum varias nouas Constitutiones, vt capita quatuor: *De quartis nuptiis*, *concubinis*, *de non cogendis ad matrimonium*, *& de benedictionibus nuptiarum clam non faciendis a*) & alia capita septem *b*) promulgauit, sed etiam, cum opus inchoatum ad finem perducere non posset, πρόχειρον siue eclogam quandam Legum anno post N. C. 876. edidit.

a) Apud *Freberum* Tom. I. Iuris Rom. Græci p. 86. *b*) apud eundem T. II. p. 134. vbi etiam *Basilii* & filiorum *Constantini* & *Leonis* de non iurando, de testibus ac contractibus, reperitur constitutio pag. 135.

§. IV.

Hæc legum ecloga Titulis XL. non LX. vti *Iacobus Cuiacius a*) & *Iacobus Gothofredus b*) existimant, absoluitur, & partim edita, partim non edita, modo sub *Leonis* Imperatoris, modo *Leonis* & *Alexandri* seu *Constantini*, modo *Basilii*, *Leonis & Constantini* nominibus atque diuersis præfationibus, uti *Marquardus Freberus c*) adnotauit, extat.

a) Lib. VI. Obs. c. 9. *b*) in Manual. iur. p. 76. *b*) in chronol. iur.

§. V.

Edita quidem fuit etiam legum ecloga a *Ioanne Leunclauio* & *Marquardo Frebero* Græce ac Latine, atque Tomo II. Iuris Græco-Romani inserta *a*), sed

hæc a priori diuersa & recentior paulo est, *Leonis* nimirum *Philosophi* & *Constantini Porphyrogennetæ* eius filii *b*); non edita hæc ecloga in quamplurimis Bibliothecis tam publicis, vt Vaticana *c*) & Vindebonensi *d*), quam priuatis, nimirum Vffenbachiana *e*), conspicitur.

a) A pag. 79. ad 130. *b*) vid. litteræ Clar. *Wächtleri* ad I. M. B. in Actis Erudit. a. 1715. pag. 506. num. 223. *c*) teste *Suaresio* in Not. Basil. §. 3. *d*) test. *Iob. Lambecio* Lib. VI. Bibl Vindeb. p. 19. & *Dan. Nesselio* in Catal. Bibl. Vindeb. p. 369. *e*) vid. Catalog. Bibl. Vffenbachianæ pag. 525. & Dn. *Fabricius* Vol. XII. Bibl. Græc. p. 407.

§. VI.

Opus, a *Basilio Macedone* inchoatum *a*) filius eius, *Leo*, Philosophus dictus, perfecit; is enim opera *Sabbathii Protosphatarii*, ut *Matthæus Blastares* *b*) tradit, constitutionum regiarum recensionem, in sex τεύχη, seu volumina, distinctam, & in LX. libros subdiuisam, edidit, illamque βασιλικὰ νόμιμα adpellauit *c*).

a) Plerique quidem *Basilium Macedonem* βασιλικῶν auctorem esse crediderunt, moti Nouella *Leonis* LXXXI. vbi patri suo *Basilio* hos libros tribuit, sed, cœptum a *Basilio* opus, *Leonem* ad finem perduxisse, scriptores eius ætatis testantur, Vid. *Agylæi* præf. ad Nouell. *Leonis*. *b*) in præf. ad Syntagma Canonum legumque alphabet. apud *Fabricium*. Vol. XII. Bibl. Græc. p. 371. *c*) parum benigne de *Leone* Imperatore *Claudius Chifletius* in disquisit. de secundo capite L. Aquiliæ indicat.

§. VII.

In quam Iuris recensionem Imperator *Leo* omnia quidem iuris Iustinianei volumina, vt & Græcorum Imperatorum, qui post *Iustinianum* floruerunt, constitutiones retulit *a*), nomina tamen ICtorum, vt & inscriptiones legum, ex Codice desumtarum suppressit.

a) Quod *Harmenopulus* L. I. Promtuar. iur. tit. 1. §. 11. testa-

ftatur: *Vltimus vero omnium*, ait, *erat Leo Sapiens, inter reges admodum celebris, qui Digesta & Codices, ex Institutionibus multa & Nouellas in unum colligens, atque hoc opus libris absoluens sexaginta* ἑξηκοντάβιβλον *penitus perfecit.*

§. VIII.

Idem Imperator *Leo* Iuris epitomen, meris definitionibus & regulis conftantem, vt inftar Inftitutionum effet, edidit, vti *Antonius Auguftinus a*), & ex eo *Ioseph Maria Suarefius b*) adnotarunt.

a) In not. ad Nouell. *b*) in Notit. Bafilicor. §. 11.

§. IX.

Vicennio poft, nimirum circa A. C. 910. *Conftantinus Porphyrogenneta a*) Bafilii Macedonis nepos & Leonis filius *b*) repetitam Bafilicorum recenfionem *c*) edidit; & hæc funt ipfa illa Bafilica, quæ *Gentianus Heruetus*, *Iacobus Cuiacius*, & *Carolus Hannibal Fabrottus* in publicam lucem protraxerunt.

a) *Luitprando* & *Balfamone* teftibus, fic dictus, quod natus fit in domo imperatoria, quæ πόρφυρα dicebatur *b*), non frater *Leonis*, vti *Dion. Gothofred.* in variis lect. ad Harmenopulum & *Marquardus Freherus* in Chronologia iuris exiftimant, vid. *Iacobus Cuiacius* Lib. VI. Obf. c. 7. *Suarefius* in notit. Bafil. §. 11. & Clariff. *Chriftfried. Wächtler* in litteris ad J. B. M. quæ Actis Erudit. a. 1715. p. 505. infertæ reperiuntur. *c*) vid. *Balfamo* in præf. ad Photii Nomocan. & *Cuiacius* l. c.

§. X.

Fontes horum Bafilicorum præ ceteris funt Iuris Iuftinianei volumina, Inftitutiones nimirum, Digefta, Codex & Nouellæ, vt ex epigraphis Prochirorum atque ex præfatione *Leonis* in ἐκλογὴν βασιλικῶν *a*) patet; ex quibus quamplurima hodie in Bafilicis fupereffe capita, *Antonius Auguftinus b*) & *Iacobus Cuiacius* paffim adnotarunt.

a) Vid. *Suarefius* in Notit. Bafil. §. 17. feq. *b*) in not. ad

ad tr. de Nom. propriis τῦ παvδέκτ. c) in obseruat. libris.

§. XI.

Conflati quoque sunt libri Basilικῶν ex *Iustiniani* edictis, quæ tredecim supersunt, ex Nouellis *Iustini* iunioris ceterorumque Imperatorum Orientalium, vt & ex Constitutionibus βασιλικαῖς, ἐπαρχικαῖς & Ῥωμαϊκαῖς *a*); Nec minus ex ICtorum tam Romanorum, quam Græcorum libris, sanctis patribus, atque conciliorum canonibus multa libris Basilicorum inserta reperiuntur.

a) De quibus fuse *Iacobus Cuiacius* Lib. VI. Obs. c. 10. egit.

§. XII.

Basilicorum libros *Gregorius Haloander* & *Viglius Zuichemus a*) primum indicarunt, scholisque ICtorum intulerunt; plura etiam, eaque præclara Duumuiri illi hac in parte præstitissent, nisi illum præmatura mors, hunc vero vitæ ratio, alio traxissent.

a) In præfat. ad Theophili paraphrasin: *Percurri*, ait, *aliquando voluminis, quod* βασιλικὸν *inscribitur, bonam partem, quæ libros quinque continebat* (*nimirum Lib.* 38. 39. 40. 41. 42.) & *titulos ex Pandectis, Codice atque Nouellis plus minus* 90. *Inter hos primus titulus est, de Excusatione Tutorum.*

§. XIII.

Ex hisce LX. Basilicorum siue Imperialium Constitutionum libris *Gentianus Heruetus* sex *a*), nimirum librum XLV. *de successionibus ab intestato*, XLVI. *de statu hominum & rerum diuisione*, XLVII. *de donationibus*, XLIIX. *de manumissionibus*, integros, nec non XXIIX. XXIX. & XXX. *de dotibus & nuptiis*, mutilos ex Codice *Antonii Augustini* Parisiis 1557. f. edidit, & Latine vertit.

a) Existimant *Suaresius* in notitia Basilic. §. 31. & *Iac. Gothofredus* in Manual. Iur. pag. 81. *Heruetum* etiam librum

librum 30. Basilicorum edidisse, sed ne quidem integros sex edidit. vid. *Fabricius* Vol. XII. Bibl. Græcæ pag. 425.

§. XIV.

Deinde *Iacobus Cuiacius* librum LX. *a*) Basilicorum, quo iuris ciuilis tituli 70. *de criminibus & pœnis* continentur, & Græcorum scholiis explicantur, Latine versum Lugdun. a. 1566. f. in publicum emisit; promiserat equidem *Cuiacius* etiam libros 38. 39. 40. 41. & 42. quos *Viglii Zuichemii* beneficio acceperat, nec non libros 28. 29. & a 45. ad 49. emendatiores edere *b*), sed mors illum præuenit.

a) Quem a *Iacobo Cambrayo*, cui etiam illum inscripsit, dono acceperat, vti ipse ad tit. *de excusat. tut.* & Lib. XVI. Obs. cap. 40. profitetur. *b*) imo *Cuiacium* totum Basilicorum corpus, cum scholiis Græcorum interpretum, quod eo mortuo ad *Petrum Fabrum* Saniorianum Præsidem, Tolosanum peruenit, possedisse *Franciscus Broëus* in Chronol. hist. totius iuris narrat, vid. *Suarесius* Not. Basil. §. 32.

§. XV.

Hi Basilicorum libri, quos scilicet *Gentianus Heruetus* & *Iacobus Cuiacius* ediderunt, coniunctim etiam Hanouiæ apud *Wechelios* sub nomine Βασιλικῶν διατάξεων, absque Græco tamen textu, curante *Dionysio Gothofredo*, a. 1598. & 1606. f. publicam lucem adspexerunt.

XVI.

Sicuti autem mors *Iacobi Cuiacii* præclaros conatus interruperat; ita librum XXXIIX. & XXXIX. quibus iuris tituli XXXI, explicantur, additis Græcorum scholiis, nec non indice titulorum Lib. XXXIIX. vsque ad XLII. ex autographo Cuiacii *Carolus Labbæus* Parisiis 1609. f. edidit.

§. XVII.

Integros tandem sexaginta Basilicorum libros *Carolus Hannibal Fabrottus* Antecessorum Aquisextiensium

ſium Decanus ex Bibliotheca Regia, auſpiciis *Petri Seguierii a)* ſeptem voluminibus *b)* in f. Pariſiis 1647. edidit, verſionemque adiecit.

a) Curam edendorum Baſilicorum *Fabrotto* demandatam fuiſſe, annuo bis mille librarum honorario conſtituto, *Claudius Sarrauius* in epiſt. pag. 47. teſtatur.
b) cum veteres libros Βασιλικῶν in ſex τεύχη ſiue volumina diſtinxerint.

§. XVIII.

Quamuis autem *Cuiacii* verſionem *Fabrottus* retinuerit, imo, vt omnes a *Cuiacio* Baſilicorum libri in linguam Latinam translati eſſent, optauerit; *Gentiani* tamen *Herueti*, viri quidem alias doctiſſimi, ſed iuris haud periti, verſionem reiecit, & propriam textui Græco adiunxit.

§. XIX.

Tomus I. huius editionis priores libros XI. Tom. II. librum XII. ad XXI. Tom. III. librum XXII. ad XXIV. Tom. IV. librum XXV. ad XXVII. Tom. V. librum XXXIIX. ad XLIV. Tom. VI. librum XLV. ad LIX. & Tom. VII. librum LX. continet; libri tamen XIX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XLIII. XLIV. XLIX. & LIX. non ſunt authentici *a)*, ſed a *Fabrotto* partim ex ſynopſi Βασιλικῶν, partim ex *Theodori Hermopolitæ* ſcholiis, *Harmenopulo*, ceteriſque iuris Græci interpretibus vtcunque congeſti.

a) Vnde *Simon van Leeuwen* errat, dum, *Fabrottum* integros omnes Baſilicorum libros ediidiſſe, in hiſtor. narrat. de origine & progreſſu iuris ciuilis ſcribit.

§. XX.

Præterea *Fabrottus* gloſſas, ſeu ſcholia, non quidem margini, ſed cuique titulo, præfixis plerumque auctorum nominibus, ſubiecit, toti vero operi *a)* *Notitiam Baſilicorum hiſtoricam*, a *Ioſepho Maria Suareſio* ad *Vrbanum* IIX. Pontificem M. concinnatam,

&

& beneficio Cardinalis *Barberini* ad *Fabrottum* transmissam, præmisit. *b*).

a) Recensionem huius editionis *Fabrotti* apud *Georg. Beyerum* Cent. III. Auctorum Iuridic. p. 78. inuenies. *b*) eadem *Suaresii* Notitia Basilicorum vna cum *Iacobi Gothofredi* Man. iuris Amstelod. a. 1663. prodiit, & a celeb. viro *Ioann. Alb. Fabricio* Vol. XII. Bibl. Græca pag. 467. & sequ. est inserta notisque illustrata.

CAP. V.

DE NOVELLIS LEONIS IMPERATORIS, EARVMQVE IN FORIS NOSTRIS AVCTORITATE.

§. I.

IDem Imperator *Leo* Philosophus, post perfectum opus Βασιλικῶν, a patre *Basilio Macedone* cœptum, nouas quasdam Constitutiones *a*) ab anno post N. C. 889. ad annum 911. iuris condendi gratia edidit, quæ sub nomine Nouellarum *Leonis* plerisque corporis iuris ciuilis editionibus subiectæ reperiuntur.

a) Constitutionum harum CXIII. hodie numerantur, licet plures illarum fuisse, negandum non sit, vid. Excell. *Beckii* diss. cap. 1. §. 4. Indicem harum constitutionum habet Clar. *Fabricius* Vol. XII. Bibl. Græc. p. 409.

§. II.

Quamnam vero Nouellæ *Leonis* habuerint auctoritatem, & adhuc habeant, inter Doctores non conuenit; *Viglius* enim *Zuichemus*, qui Nouellas *Leonis* nondum editas seruabat, *a*), apud Græcos illas habuisse auctoritatem, vtut nunc non habeant, scribit *b*); *Iacobus* contra *Cuiacius* *c*), *Iacobus Gothofredus* *d*) aliique, Nouellas *Leonis* nunquam obtinuisse, ne *Leonis* quidem ætate, contendunt.

a) Vt ipse ad pr. Instit. *Quibus mod. testam. infirm.* auctor est; *b*) in præfat. ad Institut. *c*) Lib. XVII. Obs. cap. 31. *d*) in Manual. iur. p. 75.

§. III.

Sed ad Imperium Orientale quod attinet, Nouellas *Leonis* vsu probatas, & ceu leges fuisse habitas, nullus dubito; I. enim *Leo* Imperator illas iuris condendi gratia *a*) edidit; II. Sequentes Imperatores frequenter ad has Nouellas ceu leges prouocant; *b*) Nec minus III. Basilicorum adnotatores, vt & *Harmenopulus*, frequentissime Nouellas *Leonis* adducunt.

a) Vti ipse in procem. harum Nouell. prolixe ostendit; *b*) ita *Alexius Comnenus* Imperat. Nouella II. non vno loco Nouellas *Leonis* παλαιτέρας νομοθεσίας appellat. & Nouell. XXVII. per quam fœminis & virginibus adoptare permissum fuit, in Oriente fuisse receptam, ex *Harmenopuli* Enchirid. Lib. II. tit. 8. §. 9. & *Matthæo Monacho* Quæst. matrim. tit. *de adopt.* patet.

§. IV.

Nec obstant scholium Græci interpretis & pragmatica *Michaëlis Attaliatæ*, quæ *Iacobus Cuiacius* adfert *a*); non enim, Nouellas *Leonis* generaliter non obtinuisse, dicunt, sed potius illas Nouellas, quæ de his rebus constituebant, de quibus nihil antea erat cautum, aut quæ ius vetus corrigebant, atque emendabant, auctoritatem legalem habuisse, probant, deinde vtrumque locum, non de ætate *Leonis*, vti quidem *Cuiacius* existimat, sed de subsecutis temporibus, ubi per Basilicorum auctoritatem vilescere cœpit hæc Nouellarum auctoritas, esse intelligendum, recte *Bynskersboeckius* *b*) monuit.

a) Lib. XVII. Obs. c. 31. *b*) Lib. IV. Obs. cap. 1. vbi erudite historiam harum Nouellarum exponit.

V. Quam-

§. V.

Quamuis autem in terris imperii Orientalis Nouellæ *Leonis* auctoritatem habuerint: in Occidente tamen nunquam vſu illas eſſe receptas *a*), conſtans Doctorum eſt aſſertio *b*), quorum etiam ſententiæ nos calculum, hoc tamen cum temperamento, adiicimus, niſi hæc vel illa Nouella *Leonis* moribus ſit recepta, & ſententiis iudicantium confirmata.

a) Cum enim hæ Nouellæ Latine non fuerint redditæ, idem illis accidiſſe videtur, quod Græcis *Iuſtiniani* legibus, quarum non fuit translatio Latina, accidit, quippe quæ neglectæ, quibusque fides abrogata fuit. vid. *Bynckersboeck*. Lib. IV. Obſ. c. 1. *b*) Vt *Stryckius* in præcogn. iur. Dn. *Struuius* in hiſtor. iur. p. 330. *Theodorus Marcilius* in not. ad §. 2. I. *ad R. D.* §. 21. *de donat.* & ad Tit. I. *de teſtam, ordin.* & alii.

§. VI.

Ita conuentio pœnalis, ſponſalibus addita, quamuis non valeat de iure ciuili L. 134. in f. *de V. O.* L. 5. §. vlt. C. *de ſponſal.* Nouella tamen *Leonis* XIIX. ſuſtinetur, quam moribus receptam eſſe, illuſtris *Bergerus a*) teſtatur; pariter idem *b*) in quæſtione: Vtrum error, circa virginitatem admiſſus, vitiet matrimonium? de qua in iure ciuili nihil reperitur deciſum, ad Nouellam *Leonis* XCIII. prouocat; ſimili modo *Huldericus Eybenius c*) in quæſtione: Annon in cauſis ciuilibus locus ſit territioni? Nouellam *Leonis* LI. adducit *d*).

a) In oecon. iur. p. 105. *b*) ibid. p. 104. *c*) in diſſert. de territione torturali §. 13. *d*) conf. *Bynckersboeck* Lib. IV. Obſ. c. 1.

§. VII.

Quæ cum ita ſint, vtilem Vir Excellentiſſimus *Caſpar Achatius Beckius*, Iurisprudentiæ præſtitit operam, quod in diſſertatione ſua, pro loco in illuſtri Facultate Iuridica obtinenda, *De nouellis Leonis earumque*

rumque vsu & auctoritate, habita *a*), plerasque Nouellas *Leonis* non solum ad pleniorem Iustinianearum Constitutionum cognitionem insigniter conducere, verum etiam magna ex parte fori vsu reuera obtinere, monstrare, & obiectiones dissentientium solide discutere voluerit.

a) Ienæ 1726. 4.

§. VIII.

Græcum harum Nouellarum Codicem ex Bibliotheca Fuggeriana *Henricus Scrimgerus* 1558. in lucem protraxit *a*); Latinam vero earum versionem *Henricus Agylæus* Basileæ 1661. 8. edidit *b*)

a) Quæ Nouellæ una cum Imperatoris *Iustiniani*, *Iustini* & *Leonis* Nouellis, nec non *Iustiniani* Edictis Græcis ex Bibliotheca *Hulderici Fuggeri* per *Henr. Scrimgerum* restitutæ atque emendatæ Paris. apud *Henr. Stephanum* prodierunt. *b*) In Biblioth. Du Boisiana sub libris in 8. p. 445. etiam *Iustiniani* Edicta, item *Iustini*, *Tiberii* ac *Leonis* Nouellæ Lugduni 1571. 12. citantur.

CAP. VI.

DE GLOSSIS, SCHOLIIS, COMMENTARIIS ET COMPENDIIS IN BASILICA CONSCRIPTIS.

§. I.

Sicuti maxima in Oriente Basilicorum fuit auctoritas, ita factum est, vt variis glossis atque commentariis illa illustrarentur, atque glossæ nomicæ, nec non Synopses Basilicorum inualescerent.

§. II.

In Basilicorum libros, glossas & scholia conscripserunt quamplurimi ICti, quos *Iosephus Maria Suaresius a*) recenset, ex quibus *Stephanus b*), *Nicæus*, *Thalelæus*, *Eustathius*, *Eudoxius*, *Domninus*, *Hagio-*

giotheodoretus, Baphius, Gregorius præ ceteris celebres extiterunt.

a) In Notit. Basil. §. 34. & 42. b) *Lingua legum* dictus vid. *Iosephus Nerius* II. Analect. 29.

§. III.

Has glossas, quas *Carolus Annibal Fabrottus* textui Basilicorum adiecit, quarumque particulas aliquas *Alciatus*, *Cuiacius*, *Brissonius*, *Pithœi*, *Fornerius* eruerunt, *Carolus Labbæus* ex Codicibus MSS. Regis Galliæ descripsit, & ad calcem obseruationum atque emendationum in Synopsin Basilιxῶν Parisiis 1606. conscriptarum, edidit, quæ deinde cum glossariis Latino-Græcis *Cyrilli*, *Philoxeni* & aliorum ex eiusdem *Labbæi* recensione Parisiis 1679. f. publicam lucem adspexerunt. a)

a) Conf. de glossariis Græcis iuridicis *Fabricius* Lib. IV. Biblioth. Græcæ cap. 36. §. 11.

§. IV.

Reperiuntur etiam eiusmodi glossæ Græco-Latinæ iuridicæ, manu exaratæ, in variis Bibliothecis, dignæ, vt in publicum emittantur; de glossis Græco-Latinis iuridicis, quæ in Vindebonensi Bibliotheca reperiuntur, *Daniel Nesselius* a) testatur; eodem modo vir doctissimus *Ioann. Albertus Fabricius*, se eiusmodi glossarium MSCtum possidere, asserit b).

a) In catal. MSCt. Bibl. Vindeb. p. 8. & 29. b) L. cit.

§. V.

Huc etiam *Nicolai Rigaltii* glossarium verborum, quæ ad Nouellas Imperatorum, qui in Oriente post *Iustinianum* regnarunt, quod Parisiis 1601. 4. prodiit, vt & Nomenclator Græcorum iuris verborum, promtuario *Harmenopuli* a *Dionysio Gothofredo* subiectus, pertinent.

§. VI.

§. VI.

Magis tamen Græcis Eclogæ, Synopſes, Promtuaria, Manualia & Paratitla placuerunt. Primus autem *Baſilius Macedo* eclogam quandam Legum *a*), XL. titulis conſtantem, edidit, a qua tamen diuerſum eſt illud compendium *Leonis & Conſtantini Porphyrogennetæ* in XXIIX. Titulos diuiſum, quod manu exaratum in Bibliotheca Vindebonenſi, teſte *Petro Lambecio b*) & *Daniele Neſſelio c*) reperitur.

a) De qua cap. 4. §. 4. egimus. *b*) Lib. VI. Comment. Biblioth. Vindeb. *c*) in catalogo MSCt. Bibl. Vindeb. P. 2. pag. 8.

§. VII.

Aliam Synopſin Baſilicorum, quam *Iacobus Cuiacius* laudauit *a*); ſimul tamen etiam eius errores indicauit *b*), *Ioannes Leunclauius* ex *Ioannis Sambuci* Codice, quem Tarenti reperit, Latine verſam cum Nouellis quibusdam Imperatorum Conſtantinopolitanorum ineditis Græce & Latine Baſileæ 1575. in f. edidit *c*).

a) In præfat. comment. ad tit. π. *de excuſat. tut.* *b*) Lib. XVIII. Obſeru. c. 37. & 38. *c*) vid. *Suareſius* in not. Baſil. §. 15. *Fabricius* Vol. XII. Bibl. Græc. p. 427. & Clar. *Wächtler* in litteris ad I. M. B. in Act. Erudit. a. 1715. p. 507.

§. VIII.

Ad hanc Synopſin Baſilicorum *Carolus Labbæus* obſeruationes & emendationes, in quibus multa loca reſtituuntur, plurimæ lacunæ ſupplentur, quædam capita nunc primum in lucem proferuntur, quædam etiam leges Digeſtorum & Codicis rationibus illuſtrantur & explicantur, conſcripſit, & cum pluribus Nouellis Græcorum Imperatorum emendatius editis, vt & gloſſis Græco-Latinis *a*) Pariſiis a. 1606. 8. in publicum emiſit.

a) Cum

a) Cum his illæ conferendæ sunt, ex quibus excerpta *Montfauconius* in Catal. Codicum Mss. Bibliothecæ Coislinianæ p. 488. dedit.

§. IX.

Cum hac Synopsi Basilikῶν, quam *Ioannes Leunclauius* edidit, cum *Iacobo Gothofredo a)* & aliis non confundere debemus *b)* Eclogam legum compendiariam, in titulos quinquaginta diuisam, & primo Imperatoris *Romani* senioris imperii anno editam, quæ manu exarata in Bibliotheca Vindebonensi, teste *Petro Lambecio c)* & *Daniele Nesselio d)*, extat.

a) In Manuali iur. p. 81. *b)* vti bene monuit Dn. *Fabricius* Vol. XII. Bibl. Græcæ p. 428. *c)* Lib. VI. Comm. Bibl. Vind. p. 18. *d)* in Catal. MSCt. Vind. P. 2. pag. 9.

§. X.

Aliam Basilicorum Synopsin, seu *ποίημα νομικὸν ἤτοι πραγματικὴν*, *Michaël Attaliata* Iudex & Proconsul iussu *Michaëlis Ducæ* Imperatoris anno post N. C. 1077. conscripsit, quam *Ioannes Leunclauius* indicauit *a)*, & in Latinum sermonem transtulit, *Marquardus* vero *Freberus* Tom. II. iuris Græco-Romani Græce & Latine inseruit, manu vero exarata illa in Vaticana *b)*, & in Bibliotheca Vindebonensi, teste *Petro Lambecio c)* & *Daniele Nesselio d)*, longe tamen ab edito exemplari diuersa, reperitur.

a) Lib. II. Notat. pag. 335. *b)* Cod. 640. & 865. *c)* Lib. VI. p. 20. *d)* P. 2. Catal. MSCt. p. 10.

§. XI.

Eodem fere tempore *Michaël Psellus*, Michaëlis Ducæ Imperatoris præceptor, *a)* Synopsin legum versibus Iambicis & politicis contexit, ex quibus nonnulla scholiorum nomine vulgata fuerunt a *Leunclauio b)* in iure Græco Romano in Synopsin legum

Mi-

Michaëlis Attaliatæ Tit. præfertim 16. 25. 28. 32. 37. 40. 42. 48. & 83; Græce & Latine illam *Francifcus Bofquetus* Parifiis 1632. 8. edidit.

a) Conf. *Leonis Allatii* de *Pfellis* & eorum fcriptis Diatriba Romæ 1634 edita & a Celeb. *Fabricio* Lib. V. Bibl. Græcæ inferta. nec non *Nat. Alexander* Hiftor. Ecclef. fæc. XI. artic. 4. p. 503. b) quem tamen, cum non animaduertiffet numerum carminum, tanquam folutam orationem indiftincte ea excudiffe, *Leo Allatius* cit. diatr. §. 48. obferuauit.

§. XII.

Laudat etiam *Antonius Auguftinus a*) πρόχειρον βασιλικῶν κατὰ ςοιχεῖον & indicem βασιλικῶν κατὰ ςοιχεῖον *Iofephi Tenedii*, nec non *Antiochi Balfamonis* prochirum, quæ manu exarata in Bibliotheca Vaticana b) & Vindebonenfi, tefte *Lambecio c*) & *Nefselio d*) reperiuntur.

a) In notis ad Nouell. & in Catal. MSCt. fuorum Cod. 18. vid. *Suarefius* not. Bafil. §. 8. & 9. b) Cod. 181. 182. & 187. c) Lib. VI. Comm. Bibl. Vind. d) P. 2. catal. p. 1.

§. XIII.

Præ ceteris autem *Conftantini Harmenopuli*, iudicis Theffalonicenfis, & qui *Ioanni Cantacuzeno* & *Ioanni Palaeologo* Imperatoribus a confiliis fuit, Promtuarium iuris, ex *Bafilii*, *Conftantini* & *Leonis* manuali legum potiffimum excerptum, memorandum eft.

§. XIV.

Hic enim *Conftantinus Harmenopulus*, qui & alia, ad Ius Ciuile & Canonicum pertinentia, fcripta edidit a), cum in Promtuario *Bafilii*, *Leonis* & *Conftantini* maximè neceffaria omiffa, nonnulla autem non fatis explicata effe, videret b), aliud Iuris Græci Promtuarium, partim ex iure Romano, partim libris βασιλικῶν & recentiorum Imperatorum Conftitutioni-

tionibus collectum *c*), atque in libros sex titulosque LXXIX. diuisum, circa medium seculi XIV. *d*) edidit.

a) Quæ *Ioann. Leunclauius* Iuri Græco-Romano inseruit, & de quibus *Fabricius* Vol. X. Bibl. Græc. pag. 274. multa dixit. *b*) Ipse *Harmenopulus* rationem sui instituti in præfat. exponit. *c*) vsus etiam est libro, qui inscribitur μικρὸν κατὰ στοιχεῖον, de quo vid. *Cuiacius* Lib. VI. Obs. 10. & *Fabricius* Vol. XII. Bibl. Græc. pag. 428. *d*) non anno 1143. vti *Suaresius* in Notit. Basil. §. 5. nec anno 1150 vti *Reynoldus* ad Merceri Conciliat. pag. 53. & Clar. *Wächtlerus* in litteris ad I. M. B. quæ in Actis Erudit. anno 1715. pag. 501. reperiuntur, existimant, natus enim *Harmenopulus* fuit a. 1320. & mortuus a. 1380. quod *Lambecius* in Comment. Bibl. Vindeb. P. I. Lib. VI. p. 39. detexit.

§. XV.

Primus huius Promtuarii liber *de Legibus ac iudiciario statu*, vt & *in integrum restitutione & libertatibus*, secundus *de variis iudiciorum litiumue generibus & noui operis nuntiatione* agit, tertius doctrinam *de contractibus* exponit, quartus *de sponsalibus & nuptiis*, quintus *de testamentis & tutoribus*, & sextus *de damno ac pœnis* tractat *a*).

a) Indiculum ad *Harmenopuli* promtuarium exhibet *Fabricius* Vol. XII. Bibl. Græcæ pag. 433.

§. XVI.

Primus hoc Harmenopuli Promtuarium *Theodoricus Adamæus Sualembergius* Græce Parisiis 1540. 4. edidit. Latine illud *Bernardus* a *Rey* vertit, & Coloniæ 1547. & 49. 8. in publicum emisit. Rursus, a *Ioanne Mercero* linguæ Ebraicæ apud Parisienses Doctore Latine redditum, Lugduni 1556. & demum Græce & Latine, cura *Dionysii Gothofredi*, Geneuæ a. 1587. 4. publicam lucem illud adspexit *a*.) Hoc

 Prom-

Promtuarium etiam manu exaratum in Vaticana *b*) & Vindebonensi Bibliotheca *c*) extat.

a) De hisce *Harmenopuli* editionibus conf. *Fabricius* Vol. X. Bibl. Græc. pag 274 *b* teste *Suaresio* in Not. Basil. §. 5. *c*) referente *Nesselio* P. II. Catal. MScr. pag. 15.

§. XVII.

Erant etiam tunc in manibus ICtorum Paratitla, i. e. supplementa cuiusque tituli ex aliis titulis & locis; horum paratitlorum libros tres, quibus materia ecclesiastica continetur, *Ioannes Leunclauius* Latine vertit, & cum libris duobus Notatorum, quibus ius ciuile mirum in modum illustratur, Francofurti 1593. 8. edidit.

§. XVIII.

Scriptum horum Paratitlorum esse *Theodori Balsamonis* συναγωγὴν constitutionum ecclesiasticarum, e Codice & Nouellis *Iustiniani* congestam *a*), quam e duobus Cod. MSS. Græce publicauit *Henricus Iustellus* Tom. II. Bibliothecæ Canonicæ a pag. 1217. ad 1361, addita *Leunclauii* versione, sed passim emendata, cum *Caroli Annibalis Fabrotti* notis, *Ioannes Albertus Fabricius* monuit *b*); vnde *Franciscus Broëus*, qui, ex libris *Harmenopuli*, quem tamen *Balsamo* ætate antecessit, hos paratitlorum libros excerptos esse, statuit *c*), quam maxime errat.

a) Auctor horum paratitlorum etiam quasdam in Codice legit Constitutiones, quæ hodie desiderantur. *b*) Vol. XI. Bibl. Græcæ pag. 53. *c*) in histor. iur. chronol.

§. XIX.

Huc etiam pertinent I. *Eustathii* Antecessoris *de temporum intervallis* liber, quem Græce sine nomine auctoris *Cuiacius* Tomo I. operum & *Freherus* Græce & Latine Tomo II. Iuris Græco-Romani inseruit, *Simon Schardius* vero Græce cum versione

sua,

ſua, ſubiunctis Legibus Rhodiorum naturalibus & *Iuſtiniani* militaribus atque Georgicis, Baſileae 1561. 8. edidit. Idem *Euſtatbii* libellus cum *Petri Lindenbergii* numeris ſacris & profanis, & *Chriſtiani Woldenbergii* de numeris vtriusque iuris libro Francofurti 1670. 4. & Roſtochii 1671. 4. prodiit. II. *Athanaſii Scholaſtici* de criminibus liber, qui in Bibliotheca *Antonii Auguſtini a*) fuit.

a) Codice 188. vid. *Suareſius* in Notit. Baſil. §. 26.

§. XX.

Referri denique huc poſſent Scriptores iuris eccleſiaſtici Graeci, vt *Photii* Patriarchae Conſtantinopolitani Nomocanon a. 808. conſcriptus, & *Theodori Balſamonis* commentarius in illum, nec non huius meditata & reſponſa, *Conſtantini Harmenopuli* epitome iuris Canonici Graecorum, vt & liber de ſectis & verae fidei confeſſione, porro *Ioannis Scholaſtici* Nomocanon & alia, quae *Freherus* Iuri Graeco-Romano & *Iuſtelli* Bibliothecae iuris Canonici veteris inſeruerunt, ſed cum hi ſcriptores non ius ciuile,ſed canonicum illuſtrent, merito illos iam praeterimus.

CAP. VII.

DE CONSTITVTIONIBVS SVBSEQVENTIVM IMPERATORVM AD EVERSVM VSQVE A TVRCIS ORIENTALE IMPERIVM.

§. I.

POſt Baſilicorum collectionem, variae a Graecis Imperatoribus ad captam vſque a Turcis Conſtantinopolin promulgatae ſunt Conſtitutiones, quae non minimam iuris Graeci faciunt portionem.

§. II.

Praeter Nouellas enim, quas edidit *Leo* Philoſo-

phus *a*), varias alias, nec non tacticas & militares promulgauit Constitutiones, quas *Ioannes Checus* Cantabrigiensis Latine vertit & Basileae 1554. 12. edidit; easdem *Leonis* Constitutiones, subiectis aliquibus castigationibus, *Ioannes Meursius* Lugd. Batauorum 1612. 4. vulgauit, quae ipsa editio, cum nouo titulo praefixo, *Aeliani* Tacticis, a *Sixto Arcerio* illustratis, ibidem a. 1613. 4. adiuncta est *b*).

a) De quibus cap. 5. egimus. *b*) de hisce editionibus conf. celeb. *Fabricius* Vol. VI Bibl. Graecae p. 368.

§. III.

Nec minus *Romanus Senior* ab a. 919. ad 944. varias nouas edidit Constitutiones, quae apud *Marquardum Freherum* Tomo II. Iuris Graeco-Romani, *Edmundum Bonefidium* in iure Orientali *a*), & *Carolum Labbaeum* ad calcem obseruationum & emendationum ad Synopsin Basilicorum reperiuntur.

a) Paris. 1573. edit. pag. 24. & 25. De hoc *Bonefidio* v. *Cuiacius* XI. Obs. cap. 20. *Paulus Colomesius* in Gallia Orientali & Clar. *Wächtlerus* in Act. Erud. an. 1715. pag. 508.

§. IV.

Inprimis autem memorandae sunt *Constantini Porphyrogennetae* constitutiones, quas ab a. 912. ad 959. de variis iuris materiis promulgauit, quarum editionem *Iacobus Cuiacius a*) promisit, *Ioannes* vero *Leunclauius b*, *Edmundus Bonefidius c*) *Ioannes Meursius d*) & *Carolus Labbaeus e*) in publicam protraxerunt lucem.

a) Lib. XII. Obs. c. 21. *b*) qui XIII. Constitutiones *Constantini* primus vulgauit ad calcem ἐκλογῆς βασιλικῶν Basileae 1575. f. & Tom. II. Iuris Graeco-Romani. *c*) in Iure Orient. pag. 14. *d*) in editione operum *Constantini Porphyrogenneti*, Graece & Latine ab eo Lugd. 1617. 8. vulgat. *e*) qui *Constantini Porphyrogenneti* Nouellas

uellas ex Codicibus regiis auctiores melioresque cum noua versione & castigationibus Paris. 1606. edidit.

§. V.

Porro quamplurimæ *Nicephori*, *Phocæ*, *Basilii Porphyrogenneti*, *Romani* Iunioris, *Zoës*, *Michaelis*, *Isaaci Comneni*, *Michaelis Parapinacei*, *Nicephori Botaniotæ*, *Alexii Comneni*, *Ioannis Comneni*, *Manuelis Comneni*, *Alexii Comneni Secundi*, *Isaaci Angeli*, *Ioannis Ducæ* & *Michaëlis Palæologi* superstitiones, quas ab a. 963. vsque ad annum 1282. promulgarunt, quæ apud *Ioannem Leunclauium a)*, *Edmundum Bonefidium b)* *Carolum Labbæum c)* & *Ioannem Baptistam Coteleriun d)* reperiuntur.

a) In Iure Græco Romano Francofurti 1596. f. edit. b) in Iuris Orientalis Lib. III. Paris. 1573. 8. edit. c) ad calcem obseruat & emend. ad Synopsin Basilixῶν Paris. 1606. 8. in publicum emiss. d) In monumentis Ecclesiæ Græcæ Paris. 1681. 4. editis.

§. VI.

Silentio iam prætereo varia Rescriptorum Græcorum Imperatorum volumina, quæ manu exarata, partim in Bibliotheca Regia Parisiensi, teste *Montfauconio a)*, partim in Taurinensi, teste *Maffeio b)*, partim in Vindebonensi, referente *Petro Lambecio c)* conspiciuntur, quæ, si in publicum protraherentur, maiori in luce forsan Ius Iustinianeum collocaretur.

a) In Palæographia Græca. b) in epistola ad *Apostolum Zenum* data, quæ Tom. VI. Diarii Veneti inscripta. c) Lib. VIII. Comment. Bibl. Vindeb.

CAP. VIII.

DE NECESSARIA CONIVNCTIONE IVRIS GRÆCI CVM IVRIS IVSTINIANEI STVDIO.

§. I.

VTut vero ius Græcum ad nos pertinere non videatur *a*), tam quod nobis non promulgatum, quam quod nunquam in foris Germaniæ receptum fuit: ad ſolidam tamen iuris Iuſtinianei theoriam neminem ſine iuris Græci euolutione peruenire poſſe, acutiores iam dudum monuerunt.

a) Et dicere quis poſſet, quod *Ariſtonem* ICtum *Plinius* Lib. VIII. epiſt. 14. ſcribit: *Quotusquisque enim tam patiens, vt velit legere, quod in vſu non ſit habiturus?*

§. II.

Cum enim plerique iuris Græci conditores atque interpretes paullo poſt *Iuſtinianum*, & in ipſa quidem vrbe Conſtantinopolitana, quæ imperii & ſtudiorum ſedes, legumque cuſtos fuit, vixerint: non dubium eſt, quin integra iuris Romani volumina, quæ incuria ſcribarum nondum corruperat, poſſederint, adeoque ſua ex illis hauſerint *a*).

a) Hinc *Antonius Contius* Lib. I. Diſputat. 6. *Græcos*, ait, *non tranſcripſiſſe ſuos libros ex Piſanis Pandectis, ſed habuiſſe integriora Digeſta ad verbum & κατὰ πόδα ex vero Iuſtiniani Prototypo Latino fideliter translata, ex quibus, quæcunque ſunt in Pandectis Florentinis lacunæ, aut vitia, repleri aut emendari poſſunt.* addatur cap. 7. eiusd. libri. & *Guil. Beſt.* in rat. emend. LL. cap. 1. p. 40.

§. III.

Quæ cum ita ſint, non commodius Ius Iuſtinianeum interpretari, lacunæ eius ſuppleri, veraque &

& genuina legis lectio inueniri *a*), quam ope Basilicorum ceterorumque Iuris Græci interpretum, poterit,

a) Optime hanc in rem *Mercerius* in Conciliatore p. 51. edit. Reynold ait: *Si quis locus suspectus fuerit, si de cuius vera & Germana lectione non constet satis, suppetias ferent ad interpellandum eorum possessionem Græci interpretes &c.* & mox. *Verosimile est, eos emendatissimis libris vsos, cum ex Latio in Græciam ius transferrent. Etiam obseruati loci quam plurimi, quibus lucem illi auctores dispersere; receptæ ex iis emendationes plane innumeræ, fides facta verioris lectionis, si quando aut excusi inter se, aut scripti cum excusis discreparent.*

§. IV.

Non equidem desunt, vt *Otto Tabor*, summus alias ICtus, qui, non magnam vtilitatem ex euolutione iuris Græci in nostram redundare iurisprudentiam, existimant: sed iustam hisce Græcæ Iurisprudentiæ osoribus *Carolus Annibal Fabrottus*, *b*) & Illustris *Hieronymus* Nicolaus *Gundlingius c*) dixerunt sententiam.

a) In racemation. Crim. ad tit. *arbor. furtim cæs.* tit. 15. *b*) qui apologiam pro Græcis, quæ eius XII. Exercit. Parisiis editis, subiecta reperitur. *c*) in Gundlingian. P. 2. p. 112. & in Comment. ad τὰ πρῶτα p. 26.

§. V.

Maiori in pretio habiti sunt libri Basilikῶν a solidæ & masculæ iurisprudentiæ restauratoribus *Guilielmo Budæo*; *a*) *Gregorio Haloandro*, *Viglio Zuichemo*, *Antonio Contio*, *Ioanne Leunclauio*, *Marquardo Frebero*, *Carolo Labbæo*, *Dionysio Gothofredo*, inprimis vero *Iacobo Cuiacio b*), quod partim Leges & Constitutiones, ex Basilicis ceterisque iuris Græci voluminibus restitutæ, & Pandectis atque Codici inser-

tæ, partim reliquiæ iuris Græci, a doctiſſimis hiſce viris in publicum prolatæ, teſtantur.

a) Recte de eo Schurtzfleiſch epiſt. ſelect. p. 401. ſcribit: Gallia, quod Græca eſt, quod Græcia barbara non eſt, utraque Budæo debet utrumque ſuo. b) Qui inſignem in iure ciuili ſcientiam ex hiſce fontibus *Hagemeiero* libro de author. iur. ciu. & can. cap. 5. aliisque hauſiſſe videtur. conf. *Leickber* in notis ad Ant. Auguſtini vitam p. 167.

§. VI.

Quos ſi imitaretur cupida legum iuuentus, faciliori ac commodiori via ad ſolidam atque maſculam iuris cognitionem peruenire, multaque præclara, neque in ſcholis iuris decantata, neque in doctorum commentariis protrita, inde haurire poſſet.



PART,



PART. III.

HISTORIÆ IVRIS POST-IVSTINIANEI

MEMBRUM II.

DE FATIS IVRIS IVSTINIANEI IN OCCIDENTE.

CAP. I.

DE FATIS IVRIS IVSTINIANEI IN OCCIDENTE VSQVE AD TEMPORA LOTHARII II. IMPERATORIS.

§. I.

Sicuti Imperator *Iustinianus*, post deuictos per *Bellisarium* & *Narsetem* Gothos, Italiæ factus erat dominus: ita magnum eius iuris per Italiam tum temporis fuisse existimationem, publicatumque a Præsidibus nouum Iuris Iustinianei corpus, dubium non est.

§. II.

Docet hoc nos pragmatica illa *Iustiniani* constitutio *a*), cuius initium: *Pro petitione Viglii venerabilis antiquioris Romæ Episcopi, quædam disponenda esse censuimus, ad vtilitatem omnium pertinentia, qui per occidentales partes habitare noscuntur*, in cuius articulo X. hæc habentur: *Iura insuper vel leges, Codicibus nostris insertas, quas iam edictali programmate in Italiam dudum misimus, obtinere sancimus; sed & eas, quas postea promulgauimus constitutiones,*

ues, iubemus sub edictali programmate vulgare, & ex eo tempore, quo sub edictali programmate vulgatæ fuerunt, etiam per partes Italiæ obtinere, vt, vna volente Deo facta republica, legum etiam nostrarum vbique prolatetur auctoritas.

a) Hæc pragmatica *Iustiniani* sanctio in editione *Simon. van Leeuwen* de a. 1663. f. post calcem Nouellarum reperitur.

§. III.

Durauit post mortem Imperatoris *Iustiniani* iuris eius in Italia auctoritas, non solum in Exarchatu, sed & in illis, quas Longobardi, a *Narsete* euocati, occupauerant prouinciis *a*); nam quamuis Longobardi proprias suas leges, a *Rothare* rege a. post N. C. 637. primum collectas, a successoribus vero auctas, introducerent, Romanis tamen, qua lege viuere vellent, permiserunt *b*).

a) Iustinianei vniuersi operis luculenta laus in *Pauli Warnefridi* Histor. Longob. Lib. I. c. 25. extat. b) latius hoc persequitur *Paullus Diaconus* de gestis Longob. Lib II. cap. 5. & iuris amantem fuisse hanc gentem *Ligurinus* Lib. II. v. 141. docet:

Gens astuta, sagax, prudens, industria, solers,
Prouida consilio, legum iurisque perita.

§. IV.

Vnde est, quod frequenter in Legibus Longobardicis ad Leges Romanas prouocetur, *a*), & 1 Feudorum 1. *Legum Romanarum non vilem esse auctoritatem*, 11. vero Feud. 1. *quasdam causas iure Longobardico, quasdam iure Romano decidi*, asseratur.

a) Significatur hoc lege *Luitprandi* Regis, quæ Lib. I. LL. Longobard. tit. 29. extat: *De scribis hoc prospeximus, vt, qui chartam scripserit, siue ad Legem Longobardorum, quæ aptissima & pene omnibus nota est; siue ad Legem Romanorum, non aliter faciant, nisi quomodo in ipsis legibus continetur, nam contra legem Lon-*

Longobardorum aut Romanorum non scribant. conf. *Conring.* de Orig. I. Germ. c. XI.

§. V.

Hæc Iuris Iustinianei in Italia auctoritas, deuicto a Francis *Desiderio* Longobardorum Rege, non desiit, sicuti enim *Carolus M.* vtramque legem Romanam & Longobardam in terris regni Longobardici inuenerat *a*), ita Italicæ plebi non solum vsum harum legum vlterius permisit *b*), sed etiam multa capitula *c*), in quibus legem Romanam omnium legum humanarum matrem vocare non dubitauit, Legibus Longobardicis adiecit.

a) Ipse *Carolus M.* in prooemio LL. suarum Longobard. hoc testatur. *b*) ita enim Libro II. Leg. Longob. tit. 56. *Caroli* constitutio sonat: *Sicut consuetudo nostra est, vt Longobardus aut Romanus, si euenerit, quod causam inter se habeant, obseruemus, vt Romani successiones iuxta illorum legem habeant, similiter & omnes scriptiones secundum suam legem faciant, & quando componunt, iuxta legem ipsius, cui malum fecerint, componant: & Longobardos illos conuenit similiter componere.* *c*) quæ apud *Baluzium* T. I. Capitul. Regum Franc. pag. 345. sequ. reperiuntur; conf. Dn. *Struuius* in histor. iur. Gothici & Longob. p. 366.

§. VI.

Idem fecit *Pipinus* Caroli M. filius, quem Longobardici regni socium pater viuens acciuerat, & Italicæ genti liberum iuris Romani atque Longobardici vsum concessit: & quamuis *Lotharius* Ludouici Pii filius primus Romana iura abrogare voluerit, intercedente tamen *Leone* IV. Pontifice *a*) vsum iuris Romani permisit, imo, quod hactenus insolitum fuerat, simul plebi Italicæ optionem, qua lege viuere vellet, dedit *b*).

a) Verba Pontificis apud *Gratianum* Dist. 10. c. 13. ita se habent: *Vestram flagitamus clementiam; vt sicut*

hacte-

hactenus Romana Lex viguit absque vniuersis procellis, & pro nullius persona hominis reminiscitur esse corrupta, ita nunc suum robur propriumque vigorem obtineat. b) vti ex tit. 57. Lib. I Leg. Longob. colligi potest: *Volumus,* ait: *vt cunctus populus Romanus interrogetur, quali lege vult viuere, vt tali lege, quali viuere professi sunt, viuant &c.* vid. *Sigonius* Lib. IV. & VIII. de Regno Italiæ & *Conring.* de Orig. I. G. c. 20.

§. VII.

Quæ libertas eligendi aut Romanam aut Longobardam Legem, a *Lotbario* concessa, varias confusiones, testantibus eius ætatis scriptoribus, peperit, ita *Hincmarus* Archiepiscopus Lugdunensis conqueritur *a*): *Quando sperant ob id lucrari, ad Legem Romanam se conuertunt, quando vero per legem non æstimant acquirere, ad capitula confugiunt,* imo patrem, Romanam, filium vero Longobardam, vel maritum Longobardam, vxorem Romanam Legem sæpius professos esse, illustri quodam exemplo *Carolus Sigonius b*) docet.

a) Cap. 15. de Potest. Reg. similes querelæ apud *Agobardum* in libro ad Ludou. Pium T. 1. Operum a *Baluzio* edit. c. 45. & in libro aduersus legem *Gundobaldi* c. 14. in f. occurrunt. *b*) Lib. VIII. de regno Ital. apud. *Conring.* c. 20. de O. I. G. p. 111.

§. IIX.

Nec seculo IX. & sequentibus plane iuris Iustinianei desiit auctoritas. *Ioannes* enim IIX. vel IX. Pontifex in concilio Tricassino, circa annum 888: habito, in hæc verba scripsit *a*). *Vnde nostra serenitas cum præscriptis episcopis, inspectis legibus Romanis, vbi habeatur de sacrilegiis, invenimus ibi a Iustiniano Imperatore legem compositionis sacrilegii constitutam in quinque libras auri optimi*; & *Henrici* II. Imperatoris duæ extant constitutiones *b*), quarum priore antecedentium regum leges confirmantur, altera

tera quaestio, nata ex diuersis legibus Codicis Iustinianei, de Iuramento Clericorum, deciditur.

a) Vid. huius Pontif. epist. 163. b) In Codice LL. Longobard. Lib. II. Tit. 8. & 47.

§. IX.

Quae cum ita sint, non parum mihi ab historica veritate *Viglius Zuichemus a*), dum, ius ciuile in Italia nullo vel honore vel vsu ante *Lotharium* fuisse, scribit, & Cardinalis *Ioann. Baptista de Luca b*) qui aut nunquam leges Iustinianeas in Italia receptas, aut ob diuersas dominationes abolitas fuisse, sibi persuadet, aberrare videntur *c*).

a) In praefat. ad *Carol.* V. ante Theophili Instit. b) de seruit. praed. disc. I. n. 11. & de feud. disc. 36. n. 11. c) quod *Donato Antonio d'Asti* in Tract. a. 1720. 8. Neapoli edit. cui Titulus: *Dell' Uso e Autorita' della Ragion ciuile nelle prouincie dell' Imperio Occidentale dal diche furono inondate da' Barbarismo a Lothario II.* monstrare voluit.

§. X.

Quamuis autem ex adductis sole meridiano clarius pateat, iam ante *Lotharium* Saxonem Imperatorem in Italia vsum iuris Iustinianei arbitrarium, & frequentiorem in Exarchatu *a*,) quam regno Longobardico & ceteris Italiae prouinciis, fuisse: caue tamen, in Galliam etiam & Germaniam huius iuris vsum penetrasse, existimes; non enim, si legis Romanae in Capitularibus regum Francorum & veterum Germaniae populorum fit mentio, ius Iustinianeum, sed Codicem Theodosianum intelligi, iam Part. I. c. fin. ostendimus *b*).

a) Hinc de Rauenna ciuitate *Odofredus* ad L. Ius ciuile *de Iustit. & iure* scribit: *Ea enim diutius Graecorum imperio paruerat; & sub Exarchis Constantinopolitanis Iustiniani leges ad eam diem seruarat.* b) probatur hoc etiam ex *Gregorii Turonensis* Lib. IV. c. 41. ubi *Guntramum* filium Chlo-

Chlotarii primi quendam *Andarchium* peritum in Codice Theodosiano ad summos honoris gradus euexisse refert.

§. XI.

Quibusnam autem iuris Iustinianei voluminibus Italicæ gentes ea ætate vsæ fuerint, in disquisitionem venit. *Hermannus Conringius a)* & qui eum sequuntur, quia nihil ex Pandectis adductum legitur, solum Codicem & Nouellas in vsu fuisse, statuunt, imo nec viuo *Iustiniano*, nec multo post, aut Romam, aut in Italiam, Digesta peruenisse, *Franciscus Broeus b)* scribit.

a) De orig. iur. Germ. cap. 20. b) in histor. iur. chronolog.

§. XII.

Sed quamuis negandum non sit; rariorem fuisse Pandectarum tum temporis vsum; prorsus tamen illas incognitas fuisse, cum *Iuo* Carnotensium Episcopus *a)*, qui anno MCXVI. mortuus esse dicitur in Chronico *Alberici*, a *Leibnitio* inter Scriptores Brunsuicenses edito, aliique earum meminerint *b)*, a vero alienum esse censeo.

a) Epist. 99. b) taceo exemplar Rauennatense, cuius plures meminerunt, quodque *Henricus Brenckmannus* in hist. MSCti Florent. Lib. III. cap. 2. ad somnia *Odofredi* recte retulit.

§. XIII.

Quod vero maior Codicis & Nouellarum, quam Digestorum ea ætate fuerit auctoritas, hæc videtur fuisse ratio, quod quamplurima in illis in fauorem clericorum statuta reperiantur *a)*, quæ frustra in Pandectarum libris quæruntur. Ex eadem ratione Codicem Theodosianum in maximo pretio apud Clericos fuisse, cap. fin. Part. I. docuimus.

a) Vid. *Hincmarus* Opp. T. II. pag. 440. & alibi.

§. XIV.

§. XIV.

Fuisse autem Codicem Iustinianeum maximae inter clericos auctoritatis, ex *Hincmaro* Lugdunensium Archiepiscopo & seculi IX. scriptore constat, qui in opusculo XVI. communi episcoporum nomine ad Regem dato *a*), ad Constitutionem *Iustiniani*, quae in Codice sub titulo *de raptu virginum* reperitur, prouocat. Nec minus *Ioannes* IIX. pontifex, consultus a *Sineboldo* Narbonensium antistite de priuilegiis ecclesiae violatis, in Synodo Tricassina, circa a. 870. habita, legem Codicis i. e. constitutionem *Arcadii* & *Honorii*, quae est in Lib. XIII. C. *de episc. & cleric.* allegat. *b*)

a) Tomo II. oper. edit. *Sirmondi* p. 225. c. 5. *b*) apud *Iuonem* in Decreto P. III. c. 98. §. si quis contra; plura exempla *Conringius* de O. I. G. c. 20. & Dn. *Struuius* in hist. iur. p. 369. proferunt.

§. XV.

Maiorem adhuc Nouellae Imperatoris *Iustiniani*, in primis in negotiis ecclesiasticis, nactae sunt auctoritatem; non solum enim scriptores ecclesiastici seculi IX. & X. nimirum *Hincmarus* Lugdunensis *a*) & *Iuo* Carnotensis *b*), sed & ipsi pontifices, vt *Gregorius M.* *c*), *Ioannes* IIX. *d*) nec non canonum collectores, vt *Gratianus*, *e*) frequenter ad Nouellas Imperatoris *Iustiniani* prouocant.

a) Qui opusculo LV. c. 29. ad Nouellam 123. prouocat & c. 51. nec non opusc. XLIV. c. 22. ex Nouellis *Iustiniani* testimonia adfert. *b*) qui epist. 243. & 280. Nouellas citat. *c*) v. epist. 51. Lib. XII. & epist. 54. Lib. XI. *d*) epist. 163. *e*) c. 38. c. 11. qu. 1. c. 6. c. 24. qu. 3. conf. *Conring.* de Orig. Iur. Germ. c 20. *Petrus de Marca* de Concord. Sacerd. & Imp. Lib. III. c 6. §. 2. Dn. *Struu.* in hist. iur. p. 369. & *Natal. Alexander* Hist. Eccles. Sec. VI. p. 476.

§. XVI.

Nec tantum Nouellae *Iustiniani*, sed earum etiam ver-

versiones, *Iuliani* nimirum & vulgata, ea aetate maximo in vsu fuerunt, quod Part. II. cap. XI. §. 6. & 10. latius ostendimus.

CAP. II.

DE REDVCTIONE IVRIS ROMANI IN SCHOLAS ET FORA ITALIÆ.

§. I.

Constans Doctorum fuit opinio, *Lotharium* II. Imperatorem, inuento seculo XII. in vrbe Amalphi Pandectarum Codice, non solum studium iuris Iustinianei in scholas & fora Italiae consilio *Irnerii* ICti reduxisse, sed etiam, vt, abrogatis omnibus aliis legibus, ius illud vbiuis obseruaretur, peculiari constitutione sanxisse.

§. II.

Posteaquam enim *Carolus Sigonius* a), constantem doctorum hominum monimentis esse famam, *Lotharium*, vt ex vno iure Romano posthaec iudicia fierent, lege sanxisse, scripserat, omnes fere, nimirum *Franciscus Balduinus* b,) *Guido Pancirollus* c), *Hubertus Giphanius* d), *Valentin Wilbelm Foerster* e), *Arthurus Duck* f), *Innocentius Cironius* g), *Ianus Vincentius Grauina* h), aliique pedibus in hanc iuerunt sententiam.

a) De Regno. Italiae Lib. XI. in fin. b) in Prolegom. iur. ciu. c) Lib. II. de claris LL. interpret. c. 3. & 23. d) in vita Iustin. in f. e) Lib. III. hist. iur. Rom. c. 6. f) de vsu & auctor. iur. ciu. Lib. I. c. 14. g) Lib. V. Obs. iur. Can. c. 5. h) in orig iur. ciu. p. 206.

§. III.

Licet autem omnes, immortali *Lotharii II.* Imperatoris beneficio iuris Romani studium in Occidente restauratum esse, statuant; in circumstantiis tamen huius

huius reductionis mirum in modum variant. Quidam enim *Lotharium* II. *Irnerium* ICtum iussisse ius Iustinianeum publice docere, volunt, alii contra, vt *Marquardus Freherus a*) & *Valentin. Guilielm. Foërsterus b*) *Irnerium* apud *Lotharium* effecisse, auctoremque ei & suasorem fuisse, vt ius Iustinianeum in vsum reuocaret, statuunt, atque ex *Lothario* alterum Iustinianum, ex *Irnerio* vero Tribonianum sibi formant.

a) In epist. dedicat. ante Ius Græco-Rom. b) Lib. III. histor. iur. cap. 6.

§. IV.

Alii denique, vt *Abbas Vrspergensis a*) *Irnerium* iussu *Mathildæ b*) Bonifacii Ducis Lucensis in Tuscia filiæ studium iuris Iustinianei renouasse, eumque ad preces huius *Mathildæ* a *Lothario* Imperatore illud obtinuisse contendunt.

a) Itaenim, cum de *Lothario* II. verba fecisset fol. 291. ait: *Eisdem quoque temporibus Dominus Wernerius libros legum, qui dudum neglecti fuerant, nec quisquam in eis studuerat, ad petitionem Mathildæ Comitissæ renouauit.* b) Alii *Mathildam* Italiæ reginam faciunt, sed vid. *Henricus Brenckmann* Lib. I. Hist. MSCti Florent. cap. 7. vitam *Mathildis* a *Bonizone*, nec non *Franc. Maria Florentinio* conscriptam, *Ludou. Anton. Muratorio* Tom. V. Script. Rer. Italic. Mediol. 1724. edit. exhibet.

§. V.

Sed cum *Mathilda* Tusciæ Comes iam anno MCXV, vti *Baronius a*), *Innocentius Cironius b*), & *Burchardus Gotthelf Struuius c*) demonstrarunt, obierit: merito *Abbas Vrspergensis* hanc ob rem a *Carolo Sigonio d*) notatus fuit.

a) In Annal. ad annum 1115. n. 9 b) Lib. V. Obseru. iur. Canon. c. 5. c) in Syntagm. histor. Germ. Diss. XVI. §. 7. d) de regno Italiæ Lib. XII. *Hoc autem*, ait,

ſenſiſſe quoque videtur Vrſpergenſis, cum, Irnerium regnante Lothario ad Pandectas interpretandas acceſſiſſe, ſcribit; in eo tamen aperte falſus, quod Mathildis rogatu id ſuſcepiſſe muneris ait, quæ multo ante Lotharii imperium e vita migrauit.

§. VI.

Verum enim vero, cum, quodcunque *Carolus Sigonius* aliique de reſtitutione iuris ciuilis, per *Lotharium* II. Imperatorem facta, proferunt, famæ, ipſo agnoſcente *Sigonio*, vnice innitatur, ſolidaque huius aſſerti fundamenta deficiant: recte alii communem hanc Doctorum opinionem falſitatis arguerunt, iuſſuque *Lotharii* neque ius Iuſtinianeum in ſcholas eſſe reductum, neque ceteras leges abrogatas; ſolide commonſtrarunt.

§. VII.

Primus autem, quantum ſcio, contradicere auſus fuit *Fridericus Lindenbrogius a)*, commentum vocans, quicquid de reſtauratione iuris Romani per *Lotharium* dicitur. Quod cum *Georgio* etiam *Calixto* placuiſſet *b)*, *Bartholdum Nibuſium* aduerſarium perpetuum, & inimiciſſimum hanc ob rem nactus eſt hoſtem, qui in libris aduerſus *Calixtum* editis, nimirum *Corollario ad apologeticum c)*, *Facula* & *Irnerio*, adductis in medium *Sigonii*, *Balduini*, & *Foerſteri* teſtimoniis, vt & Louanienſium atque Bononienſium *d)*, quos conſuluerat, reſponſis & epiſtolis, *Calixti* argumenta impugnare, atque communem ſententiam operoſe defendere, contendit.

a) In præf. ad Codicem Legum antiqu. *b)* in epitome Theolog. Moral. p. 112. *c)* Colon. Agripp. 1640. 8. edit. *d)* Bononienſium epiſtolam *Hermannus Conringius* Tract. de Orig. Iur. German. p. 321. ſubiecit.

§. VIII.

Tandem *Hermannus Conringius* Georgii Calixti aſſertionem aduerſus maledicta *Bartholdi Nibuſii* maſcule

masculé defendit *a*), solidissimisque rationibus, ius Iustinianeum per *Lotharium* II. Imperatorem, neque in scholas & fora Italiæ, neque Germaniæ, abrogatis ceteris omnibus iuribus, vnquam reductum esse, ostendit, & ita æquiores rerum æstimatores, vt *Ericum Mauricium b*), *Conradum Sincerum c*), *Henricum Brenckmannum d*); *Polycarpum Leyserum e*) aliosque in suum assensum pertraxit.

a) Partim in præfat. primæ editioni de orig. iuris German. anno 1643. præmissa, partim in ipso opere cap. 21. & 22. partim etiam in responsione ad *Nihusii* obiectiones, quam tract. de orig. iur. German. pag. 259. subiecit. *b*) de libr. iur. comm. §. 21. *c*) in dissert. epist. de German. Legum auctorit. l. c. *d*) in histor. MSCti Florent. Lib. I. c. 7. *e*) In obseruatis Diplomatico-Historicis: De Iure Iustinianeo a Lothario Imperatore in Germaniam minime introducto. Helmst. 1727. 4.

§. IX.

Argumenta *Conringii* hæc sunt: primo nullus scriptor coætaneus, *Dodechinus*, *Helmoldus*, *Albertus Stadensis* & *Otto Frisingensis*, qui tamen geminam *Lotharii* in Italiam expeditionem commemorant, huius rei mentionem facit, ac *Lothario* iuris Iustinianei restaurationem tribuit.

§. X.

Secundo recentiores scriptores, nimirum *Baronius*, *Nauclerus*, *Cuspinianus*, imo ipse *Carolus Sigonius* & *Ioannes Sleidanus*, ad quos dissentientes prouocant, nullum aliud momentum, licet omnes pluteos omniaque scrinia excusserint, quam traditionem, afferre possunt.

§. XI.

Tertio nusquam extat *Lotharii* hac de re constitutio, ne quidem in Archiuo ciuitatis Bononiensis, alias *Carolus Sigonius*, qui tamen multa in libris suis, de regno Italiæ & de rebus Bononiensibus, de reducto per *Lotharium* II. in scholas & fora Italiæ iure Iustinianeo fabulatur, imo ipsi Bononienses in

epiſtola ſua reſponſoria *a*), ad *Bartholdum Nibuſium* data, illam in publicam lucem protrahere non omiſiſſent.

a) Quam *Conringius* oper. de orig. iur. German. ſubiecit.

§. XII.

Quarto denique antiqui & fide digni ſcriptores vt *Abbas Vrſpergenſis a*), alia plane de reſtauratione iuris Iuſtinianei proferunt, & non *Lothario* II. ſed, aut *Mathildæ* Tuſciæ Comitiſſæ, aut *Irnerio* ICto, eam tribuunt.

a) Loco ſuperius citato.

§. XIII.

Si itaque dicendum quod res eſt, circa *Lotharii* II. Imperatoris tempora iuris ciuilis ſtudium quidem cœpit, non tamen Cæſarea auctoritate, ſed priuatis curis hoc factum eſſe, *Odofredus*, auditorum *Azonis* longe celeberrimus *a*), ipſique Bononienſes, qui omnia patriæ ſuæ monumenta hanc ob rem curioſe perluſtrarunt, adſerunt *b*).

a) Ad L. Ius Ciuile D. *de Iuſtit. & iure*. *b*) in epiſtola ad *Bartholdum Nibuſium* apud *Conringium* pag. 322.

§. XIV.

Occaſionem huius reductionis diſerte *Henricus de Secuſia* Cardinalis Oſtienſis, ob controuerſiam ſcilicet grammaticam de voce AS, ſtudium ciuile Bononiam veniſſe, idque ſe a domino ſuo, i. e. *Azone*, audiuiſſe, tradit *a*).

a) Ad c. 1. x. de teſtament. & Bononienſes in epiſt. ad *Nibuſium* apud *Conringium* p. 322.

§. XV.

Priusquam enim e Piſano Codice Ius Ciuile Bononiam deferretur, quod ſatis propinquo ab huius Codicis inuentione ſpatio factum videtur, ſolum ibi ſtudium in artibus, teſte *Odofredo a*) vigebat, i. e.

vt

vt Bononienses *b*) & *Henricus Brenckmannus c*) interpretantur, nonnisi Philosophiam, Grammaticam aliasque artes liberales BononiensiumDoctores docebant.

a) Ad L. Ius ciuile *π. de Iustit. & Iur.* *b*) in epist. apud *Conring.* p. 322. *c*) Lib. I. Hist. MSCti Flor. c. 9.

§. XVI.

Primus autem ius Iustinianeum *Pepo*, qui antea artes liberales docuerat, Bononiæ interpretari cœpit, sed cum nullius plane fuerit nominis *a*), *Irnerius* auditorium iuris primus ibi aperuisse dicitur, *b*). Vtrum vero hic sua sponte, an vero excitatus a *Mathilda* hoc fecerit, non satis constat *c*).

a) *Odofredus* ad L. Ius Ciuile *de I. & I.* *Pancirollus* de claris LL. interpret. Lib. II. c. 4. *b*) *Odofredus* l. c. *Quanquam quidam*, ait, *Pepo nomine, primus priuata auctoritate leges esse professus feratur; tamen tam obscurus ille tamque nullius nominis fuit, vt merito, ante Irnerium nemo ius docuisse, dici possit.* *c*) conf. *Angeli Gaggii* Doctorum Pontificii scilicet & Cæsarei iuris orig. & dotes Bonon. 1710. 4.

§. XVII.

Quamuis autem priuato studio iuris ciuilis studium Bononiæ fuerit restauratum, eam tamen mox nactum est auctoritatem, vt incredibili concursu auditoria iuris fuerint frequentata, & studium Theologicum propterea negligentius excoli cœperit, quæ causa fuit, vt *Bernardus* Abbas Claræuallensis non solum parum benigne de iure Romano iudicauerit *a*), sed etiam de studio Monachorum in addiscenda iurisprudentia conquestus fuerit *b*).

a) Ita enim Lib II. ad *Eugenium* ait: *Quotidie perstrepunt in tuo palatio leges: sed Iustiniani, non Domini; Rectius etiam? Istud tu videris. Nam lex Domini immaculata, convertens animas: ea autem non tam leges, quam lites sunt & cauillationes.* *b*) de confider. ad Eugenium, add. Epistolæ Pontificum, quæ a. *Matthæum Paris* in Histor. Anglic. occurrunt.

CAP. III.

DE SCHOLA IRNERIANA, SEV DE DOCTORIBVS IVRIS CIVILIS AB IRNERIO AD ACCVRSIVM VSQVE, DEQVE ILLORVM SECTIS ET CONTROVERSIIS.

§. I.

PRimus itaque omnium, vti diximus, *Irnerius, Guarnerius, Warnerius, Wernher a)*, homo Germanus *b)*, qui Constantinopoli ICtos docentes audiuerat, auditorium iuris aperuit, & Bononiam euocatus, cum antea Rauennæ liberales artes doceret, ius Romanum summa nominis celebritate, teste *Odofredo c)*, publice explicandum suscepit.

a) Vocatur etiam *Irnerius, Hirnerius, Wirnerius, Wernher*, vid. *Bynckersboeck* de auctorit. auctoribusque Authenticarum ad lectorem. *b)* Mediolanensem *Irnerium* faciunt *Capecelatro* Lib. I. Hist. Neap. & *Panciroll.* Lib. II. de clar. LL. interpret. c. 13. sed eum Germanum fuisse, accuratiores, nimirum *Cornelius Bynckersboeckius* l. c. *Henricus Brenckmann* Lib. I. hist. MSCti Florent. c. 5. & *Pierre Bayle* dans le Diction. histor. & critique voce *Irnerius* statuunt; imo ipse *Nicolaus Alidosius* Bononiensis in præf. libri, cui titulus: *Li Dottori Bolognesi de legge Canonica è ciuile*, his verbis: *L'Imperatore Lothario II. die de ordine à Guarnerio dette Irnerio Tedesco, il quale in Bologna leggeua filosofia, che publicamente le dichiarasse, il che gli comincio à fare circa l'anno* 1128. hoc fatetur: *c)* in L. Ius Ciuile *de Iust. & iur.* ibi: *Primus illuminator scientiæ nostræ, & quia primus fuit, qui fecit glossas in libris nostris, vocamus eum lucernam iuris.*

§. II.

Is enim sparsa iuris Iustinianei volumina rursus collegit & ad illa scholia, quæ *glossas* seu interpretationes vocauit, mira quadam breuitate & ingenii acumine primus conscripsit, instrumentorumque omnium

mnium formulam, *formularium* dictam *a*), composuit.

a) Glossa in l. 2. §. sane 2. in verb. petitione C. *de SS. Eccles.* *Odofredus* in Auth. *qui res.* ante num. 4. C. *de SS. Eccles.*

§. III.

Idem *Irnerius* barbaram Nouellarum versionem, quam Authenticam nominauit *a*), in scholam recepit, garrulasque *Iustiniani* Nouellas in compendium redegit, ac illis legibus Codicis, quæ Nouellis aut abrogantur, aut corriguntur, sub nomine Authenticarum, attexuit.

a) *Haloander* in præf. ad Nou. & *Pancirollus* de clar. LL. interpret. Lib. II. c. 13. *b*) *Bynckershoeck* de auctoritate auctoribusque Authent.

§. IV.

Non tamen *Irnerius* primus, vti vulgo creditur, Doctores iuris creauit, solennitates enim in conferendis gradibus academicis apud Gallos originem traxisse, *Hermannus Conringius a*) & *Itterus b*) docuerunt.

a) In antiqu. academ. diss. 4. *b*) de grad. acad. cap. 4. §. 25.

§. V.

Quamuis autem *Irnerius* morte circa finem seculi XII. occubuerit, multi tamen & celebres ex illius schola prodierunt discipuli, qui pari dexteritate atque nominis celebritate Bononiæ aliisque in locis iura ciuilia docuerunt, iurique Romano maximam auctoritatem conciliarunt.

§. VI.

Horum præcipui fuerunt *Martinus Gosia*, *Bulgarus*, *Iacobus* & *Vgolinus a Porta Rauennate*, de quibus, cum ad *Irnerium*, in extremis laborantem, venirent discipuli, dicentes; *Domine, quem vultis post*

mortem vestram Doctorem nobis constituere? Sequens *Irnerius* iudicium tulit *a*):

Bulgarus os aureum, Martinus copia legum,
Mens legum est Vgo, Iacobus id, quod ego.

a) v. *Otto* & *Acerbus Morena* de reb. Laudens. apud *Leibnitium* T. 1. Rer. Brunsuic. p. 818.

§. VII.

Eosdem quatuor celebres *Irnerii* discipulos imperator *Fridericus* I. ad Concilium, Roncaliæ anno post N. C. MCLVIII. habitum, vocauit, & de regalibus, imperio in Lombardiam aliasque Italiæ terras competentibus, illos consuluit, qui etiam Romani Imperii iura in Italiam definierunt, quæ deinceps principes Italiæ ciuitatumque legati se obseruaturos promiserunt *a*).

a) *Radeuicus* Lib. II. vit. Frid. c. 5. & plenius *Otto* & *Acerbus Morena* de reb. Laud. apud *Leibnitium* T. 1. Rer. Brunsu. p. 818.

§. VIII.

Sicuti autem *Irnerii* discipuli, partim in defendendis suis opinionibus nimis pertinaces & ad rixas sæpius proni, partim ingenio doctrinaque valde dissimiles erant, ita grauissimæ, Sabinianorum & Proculeianorum instar, emerserunt dissensiones & controversiæ, quæ diuersis mox sectis & factionibus caussam præbuerunt.

§. IX.

A duobus autem, & quidem celebrioribus *Irnerii* discipulis, *Martino* nimirum *Gosiano* & *Bulgaro*, cum vterque ad docendum se dedisset, &, partim ex æmulatione, partim dissentiendi studio, contrarias sententias fouisset, duæ diuersæ iuris interpretum familiæ, quæ vsque ad *Franciscum Accursium* durarunt, sunt ortæ, quarum series & successio ex sequenti Tabella *a*) cognosci poterit.

Irnerius

Irnerius

Martinus Gosianus	*Bulgarus*
ab hoc Gosiani	ab hoc Bulgariani
	Ioannes Bossianus.
	huius discipuli
Placentius	*Nicolaus Furiosus Bagarottus*
Albericus a *Porta Rauennate*	*Lotharius Cremonensis*
	Azo.
	huius discipuli
	Homobonus Hostiensis
Pylæus	*Roffredus Beneuentanus*,
	Iacobus Balduinus,
	Odofredus
	&

Accursius

qui scientiæ suæ fama diuersas hasce ICtorum factiones ad suas scholas conuertit.

a) Vid. nostra Prolusio Academica: *De Sectis & controuersiis iuris Iustiniani interpretum, quos Glossatores appellamus* Ienæ 1725. 4. edit.

§. X.

Primi harum factionum & sectarum principes *Martinus Cremonensis* & *Bulgarus*, quem *Bartolus a*), *Marcus Mantua*, & *Cattelianus Cotta* Pisanum, *Guido* autem *Pancirollus b*) Bononiensem fuisse existimant, dissimillimi, exemplo *Antistii Labeonis* & *Atteii Capitonis*, ingenii fuerunt.

a) In L. 8. C. *qui testam. fac. possunt.* vbi tamen pro *Bandino Pisano* Bulgarum, monente *Guid. Pancirollo* de clar. LL. interpret. Lib. II. c. 15. citat. *b*) l. c.

§. XI.

Sicuti enim *Atteius Capito*, teste *Pomponio a*), in his, quæ ei tradita erant, perseuerabat, *Labeo* autem ingenii qualitate & doctrinæ fiducia plurima innouare instituebat: ita *Bulgarus* præceptoris sui *Irnerii* ve-

ſtigiis inſiſtebat, *Martinus* contra ſolus ſæpius in opinionibus erat, & ex ſuo capite aduerſus iura quandam æquitatem ſibi fingere conabatur, vnde etiam accidit, vt non tantum pleræque eius in iure deciſiones a poſteris in controuerſiam vocatæ, ſed etiam eius ſectatores per contemtum Goſiani ab *Accurſio b*) dicti fuerint.

a) In §. 47. L. 2. *de orig. iur.* *b*) ad L. 3. D. *vti poſſid.* imo Iaſon. in §. 34. I. *de action.* Martinum nihil vnquam ſani verique dixiſſe, dicere non erubuit.

§. XII.

E contrario, ſicuti *Antiſtius Labeo* ἀπολιτικὸς plane erat, & immodica quadam libertate in principes vtebatur, *Atteius Capito* autem aulæ deditus; ita etiam *Bulgarus* Imperatori *Friderico* non applaudebat, ſed interrogatus ab eo, num rerum omnium dominium Cæſar haberet? hoc negabat *a*); *Martinus* vero, Imperatori ſententia ſua rerum omnium dominium & proprietatem adiudicare, non verebatur *b*).

a) Gloſſa & *Odofredus* in L. 3. C. *de quadr. præſcript.* *b*) hinc, cum imperator, dimiſſo *Bulgaro*, *Martino* æquius ſentienti equum, ſuper quo ſederat, dono dediſſet, Bulgarus, *amiſi equum, qui dixi æquum, quod non fuit æquum*, dixiſſe fertur, vti hoc narrant *Otto* & *Acerbus Morena* de reb. Laud. l. c. licet eandem hiſtoriam *de Henrico* Imperatore & *Azone* ac *Lothario* ICtis *Guido Pancirollus* de cl. LL. interpret. Lib. II. c. 25. & *Grauina* p. 106. referant.

§. XIII.

Sicuti denique *Capito* honorum appetentiſſimus erat, *Labeo* autem delatos ſibi quoque repudiabat; ita *Martinus* magno in honore apud Cæſarem ſemper extitit, & pudenda ſua adulatione, vt agnati a Cæſare inter principes referrentur, impetrauit *a*), *Bulgarus* contra nullos honores appetiit.

a) *Cynus* ad L. 1. C. §. taceat, *de rei vx. action.* Nec minus

minus suasor fuit *Friderico Barbarossa*, vt famosam illam Authenticam *Sacramenta puberum*. C. *si aduers. vendit.* contra iuris Romani principia conderet.

§. XIV.

Eruditas autem *Bulgarus*, qui ingenii felicitate supra omnes sui temporis ICtos excelluit, & propter summum docendi donum os aureum appellatus fuit, in ius ciuile glossas, nec non luculentum in regulas iuris commentarium, cui notas postea *Placentinus* addidit, conscripsit *a*).

a) Vid. *Pancirollus* Lib. II. de cl. LL. interpret. c. 15.

§. XV.

Ex Gosianis primus & præcipuus fuit *Placentinus*, Martini discipulus, qui summas ad æmulationem *Rogerii*, celebris *Martini* ac *Bulgari* ætate ICti *a*), conscripsit; eodem tempore *Albericus a Porta Rauennate*, Bulgari quidem discipulus, ast neque doctrina neque moribus magistro similis, vixit, vnde etiam vt plurimum, neglectis præceptoris doctrinis, *Martinum* sectatus fuit *b*).

a) *Panciroll.* Lib. II. cap. 20. *b*) *Idem* Lib. II. cap. 22.

§. XVI.

Præclarus præterea Martini & Placentini sectator *Pylæus* fuit, quippe qui non solum cœptam a Placentino postremorum Codicis librorum epitomen absoluit, sed etiam Brocarda, seu regulas iuris generales, primus inuenit, ac Sabbathinarum quæstionum, quas singulis Sabbathi diebus proponere, & argumentis hinc inde adductis confirmare consueuerat, volumen edidit *a*), quæ Sabbathinæ quæstiones sæpius pro illis, quæ a *Pylæo* disputata sunt, ab *Accursio* citantur.

a) *Odofredus* ad L. 38. D. *de negot. gest.* *b*) *Panciroll.* Lib. II. c. 21.

§. XVII.

§. XVII.

Enumerauimus Gosianos seu *Martini* discipulos ac sectatores, nunc etiam ad contrariam scholam, Bulgarianorum scilicet, nos conferamus, cuius seriem & successionem *Carolus Sigonius* accurate exhibuit *a*); *Ceterum*, ait, *hic Odofredus*, *qui haec anno MCCLXII. scripsit*, *Ioannem Balduinum audiuit*, *Balduinus Azonem*, *quem etiam est insectatus*, *Azo Ioannem Bosianum*, *Bosianus Alberici de Porta Rauegnate fuit aequalis*, *ac sine dubio aut Bulgari*, *aut Martini*, *aut primorum ICtorum auditor*.

a) In Histor. Bonon. lib. 4.

§. XVIII.

Offert se itaque primus ex Bulgarianis *Ioannes Bossianus* Cremonensis, qui longe ceteris *Bulgari* auditoribus celebritate nominis praestitit, vsque adeo, vt etiam speculum mundi appellatus fuerit *a*); ex huius auditorio multi illustres viri prodierunt, vt *Nicolaus Furiosus*, qui praeter annotationes, etiam in feuda glossas edidit, *Bagarottus*, natione Gallus, & *Lotharius* Cremonensis, *Azonis* aemulus *b*).

a) *Angelus de Perusio* in repetit. L. falsis C. *de furt.* *Pancir.* Lib. II. c. 23. & *Gazalupis* apud Hoffmannum p. 502. *b*) *Pancir.* Lib. II. cap. 23. & 24.

§. XIX.

Inter omnes tamen Ioannis Bossiani discipulos *Azo* Bononiensis, a *Baldo* fons legum & vas lectionis dictus *a*), emicuit, quo post ius ciuile renouatum nemo maiore cum laude atque hominum admiratione in iuris disciplina versatus fuit, adeo quidem, vt decem millia auditorum Bononiam attraxisse dicatur *b*).

a) In L. Contractus C. *de fid. instrum.* & L. cum aliter C. *de fideiuss.* *b*) *Carolus Sigonius* de reb. Bonon. Lib. IV.

§. XX

§. XX.

Methodica autem arte *Azo* ius ciuile in compendium, quod summam veteres dixerunt, redegit, quæ adeo grata iuris cultoribus fuit, vt, sine illa negotia forensia tractari non posse, in prouerbium abierit *a*).

a) Narrante id *Guid. Pancir.* Lib. II. c. 25. v. *Grauina* p. 109.

§. XXI.

Ad mores & vitæ rationem *Azonis* quod attinet, vir miræ probitatis fuit, & sæpius de iure ab *Henrico* Cæsare interrogatus, omni adulatione posthabita, libere, vt sentiebat, respondit. Hinc minime *Andreæ Alciato b*), ipsum anno MCC. morte mulctatum esse, quod *Martinum* ICtum, in dissertatione interfecisset, narranti, assentiendum esse, variis ex rationibus *b*) censemus.

a) Lib. IX. parerg. c. vlt. *b*) quas in prolusione nostra *De Sectis & controuersiis iuris Iustin. interpretum, quos glossatores appellamus*, allegauimus.

§. XXII.

Ex *Azonis* auditorio clarissimi iuris prodiere interpretes, nimirum *Homobonus Hostiensis*, qui præceptori in iurium interpretatione successit, glossisque eius quædam addidit *a*); *Rofredus Butiensis*, primarius *Friderici II.* Imperatoris in aula iudex *b*), qui Bononiæ iura explicauit, plura scripta, nimirum arborem actionum, a *Ioanne* excogitatam, necnon actionum formulas composuit *c*); *Iacobus Balduinus* ingratus Azonis discipulus nec minus pessimus ciuis *d*).

a) *Hostiensis* in tit. *de nou. op. nunc. versic. qualiter tollat. sub num. ad f.* & *Pancir.* Lib. II. c. 25. *b*) *Pandulphus Collenutius* Lib. IV. Histor. Neapol. *c*) *Joan. Ficbard* in vit. ICtorum apud Hoffmann. pag. 402. & *Gazalupis* apud eund. p. 502. *d*) v. *Odofredus* in L. 27. C. *fam. ercisc.* & *Pancir.* Lib. II. c. 27.

§. XXIII.

§. XXIII.

Nec minus Azonis ſchola *Odofredum* celeberrimum iuris doctorem & interpretem emiſit, qui non ſolum magna perſpicuitate & nominis celebritate in ſchola Bononienſi iura ciuilia profeſſus eſt, ſed etiam vberrimos in Pandectas & Codicem commentarios, ac alios tractatus perutiles conſcripſit *a*), hinc *Matthæus Gribaldus Mopha b*) canit:

Conſilio Oldradus pollet: clariſſima legum
Commentis præſtas ſenſa Odofrede tuis.

a) *Panciroll.* Lib. II. c. 35. *b*) in catalog. aliquot interpret. iur. ciu.

§. XXIV.

Hi ICti, memores prohibitionis Imperatoris *Iuſtiniani a*), non prolixos commentarios, ſed ſcholia tantum ad ius ciuile conſcripſerunt, quæ deinde *Accurſius* collegit, ſuis adauxit, illisque totum ius Iuſtinianeum mira quadam breuitate & perſpicuitate illuſtrauit, de quibus capite quinto pluribus agemus.

a) In §. 2. Conſt. *de concept. Digeſtor.*

§. XXV.

Sicuti autem in duas diuerſasque hi ICti abierunt ſectas: ita grauiſſimæ etiam contentiones & controuerſiæ, Sabinianorum & Proculianorum inſtar, inter illos vehementer ſunt agitatæ, quæ accuratiorem diſquiſitionem ex eo merentur, quod quamplurimis iuris Canonici & ciuilis differentiis natales ſuos dederint.

§. XXVI.

Cum enim pontifices, & inter hos *Innocentius III*, qui fuit iuris peritiſſimus, & cuius gloſſas paſſim laudat *Accurſius* ſub nomine *Lotharii*, in decidendis controuerſiis & condendis ſuis epiſtolis decretalibus plerumque, in primis in cauſis ciuilibus, ad iuris

Iuſti-

Iustinianei interpretum expositiones & coniecturas recurrerent, factum est, vt in tantis horum interpretum contentionibus sententiam sæpius, iuri Romano aperte contrariam, in ius Canonicum inuexerint, quod grauissimi iuris Canonici interpretes *Ianus a Costa a)* & *Iustus Henning Boëhmer b)* probe annotarunt.

a) In summar. & comment. ad Decret. & in not. ad Instit. p. m. 204. b) in vsu modern. iur. Canon. p. 1. p. 156.

§. XXVII.

Possemus plurimas eiusmodi controuersias, partim inter *Martinum* & *Bulgarum*, partim inter horum discipulos vehementi spiritu agitatas, in medium afferre, nisi in *prolusione a) : de sectis & controuersiis veterum iuris Iustinianei interpretum, quos glossatores nominamus*, ex professo illas recensuissemus, ad quam B. L. remittimus.

a) Ienæ 1725. 4. edit.

CAP. IV.

DE LEGISTIS ET DECRETISTIS.

§. I.

QVod autem Ius Romanum, priuato *Irnerii* studio restauratum, tantos mox in scholis forisque Italiæ fecerit progressus, indulgentia potissimum atque auctoritate Imperatorum Germanicorum factum esse censeo. Cum enim, per studium iuris ciuilis eiusque Doctorum auctoritatem collapsam in Italia Cæsarum potestatem restaurari, ac in integrum restitui posse, animaduerterent: illud non solum adprobarunt, sed etiam promouerunt a), gratiaque atque beneficiis Iuris Ciuilis & Doctores & Studiosos b) ornarunt.

a) Ipse

a) Ipse *Fridericus* I. apud *Radeuicum* Lib. II. cap. 3. ita loquitur: *Nostis, quod iura ciuilia, nostris beneficiis in summum prouecta, firmata, ac moribus vtentium approbata, satis habent roboris.* b) Inde etiam originem accepit sanctio *Friderici* I. Imperatoris, in gratiam cumprimis iuris studiosorum in Campis Roncaliis a. 1158. promulgata, quæ *Authentica Habita* vulgo dicitur, & titulo Codicis: *Ne filius pro patre*, iussu Imperatoris est inserta. v. *Heigius* P. 2. Quæst. Sax. 11. n. 2. *Matth. Stephani* de Iurisd. Lib. III. p. 2. c. 7. v. *Schwartzii* programma *De Curiis Regiis Comitiisque ante Sanctionis Carolinæ tempora Norinbergæ celebratis.*

§. II.

Erat autem ea ætate, cum *Irnerii* discipuli ius Romanum publice in scholis Italiæ docerent, ad imperii fastigium *Fridericus I.* Barbarossa dictus, euectus, qui omnem curam atque cogitationem in hoc collocabat, vt collapsam in Italia pristinam Imperatoris auctoritatem instauraret, iuraque regni, bellorum turbis imminuta, vindicaret *a*).

a) *Radeuicus* Lib. XI. vit. Frider. c. 5. *Guntherus Ligurinus* c. 8. *Otto San-Blasianus* in append. Chron. Ottonis Frising. c. 14.

§. III.

Hoc suum propositum cum nouis Iuris Romani interpretibus, qui singularem tum eruditionis, tum prudentiæ opinionem sibi iam conciliassent, *Fridericus I.* communicabat, &, quid de iuribus Imperatoris in Lombardiam aliasque Italiæ prouincias statuerent, ab iisdem quærebat.

§. IV.

Nec etiam infeliciter Imperatori successit hoc consilium, nam cum noui hi Iuris Iustinianei Doctores multa de augusta *Iustiniani* aliorumque Cæsarum maiestate in corpore iuris legissent, non dubitabant, quæcunque inuenirent, *Friderico* Imperatori tribuere, Orbis dominum eum appellare *a*), omnesque ceteros

ceteros duces atque principes terras suas precario quodam iure ab Imperatore possidere, eiusque potestati subiectos esse, confidenter asserere.

a) Affirmauit hoc *Martinus* test. gloss. & *Odofredo* in L. C. *de quadr. praescript.* v. *Pancirollus* Lib. II. c. 14.

§. V.

Inde etiam factum esse censeo, vt ius Iustinianeum ad definiendas imperii Romani controuersias fuerit adhibitum, qui peruersus decidendi iuris publici controuersias mos ad medium vsque XVII. Seculi perdurauit *a*), quo *Hermannus Conringius* ICtos erroris huius grauiter admonuit, atque ex legibus fundamentalibus ac imperii histo ria *b*), non autem ex iure Iustinianeo iuris publici controuersias dirimendas esse, docuit.

a) Vid. *Frid. Georg. Lautensacki* diss. De inepta ratione decidendi controuersias iuris publici, ex Legibus Romanis & Iure Canonico Erfurt. 1710. habita. *b*) vid. praefat. eius ad *Taciti* Germaniam edit. a. 1635.

§. VI.

Erat adhuc alia caussa, quae Imperatores, vt iuris ciuilis studium promouerent, Doctoresque eius maximo in pretio haberent, commouebat. Ortae enim fuerant seculo XII. sub *Conrado* III. duae factiones, Gibellinorum nempe & Guelphorum *a*), quorum illi partes Caesarum propugnabant, hi vero Pontificibus adhaerebant. Sicuti itaque noui iuris Romani Doctores omnem potestatem Imperatoribus tribuebant, ita hi non poterant, quin etiam hoc intuitu maximo ICtos prosequerentur.

a) De quibus specialem tractatum *Bartolus* ICtus scripsit, ex quo quaedam *Ioannes Neuizanus* in Syluam Nupt. Lib. IV. n. 140. retulit, conf. *Otto Frisingensis* in vit. Friderici.

§. VII.

Sed vti hisce Imperatorum conatibus mascule sese

opponebant Pontifices: ita hanc iuris Romani, nouiter instaurati, auctoritatem ægre illi ferebant *a*), studio Iuris ciuilis *b*) non solum clericos, sed etiam, ne Parisiis aliisque Galliæ locis illud doceretur *c*), interdicebant, atque, vt tempestiue perniciosis hisce, vt credebant, ausibus remedium obiicerent, Decretum, circa medium Seculi XII. a *Gratiano* collectum, magno plausu excipiebant, atque in scholas introducebant.

a) Hanc etiam causam fuisse, quod *Bernardus* Abbas Claræuallensis Lib. II. ad *Eugenium* tam sinistre de iure Romano iudicauerit, censeo, vid. cap. 2. § 3. Part. huius. *b*) cap. 3. & fin. X. *Ne Clerici vel Monachi*, &c. cap. 1. & 2. eod. & cap. 18 *de priuileg* in 6to. *c*) vti *Honorius* III. in capit. super specula X. *de priuileg*. cap. 28. fecit. vid. *Innocent*. *Cironius* ad h. capit.

§. VIII.

Quod opus breui temporis spatio tantam consecutum est auctoritatem, vt iam *Friderici* ætate eius Magistri *a*), *Decretistæ* appellati, maximum in decidendis causis pondus habuerint, atque conatibus imperatorum, quacunque potuerunt ratione, sese opposuerint.

a) Vocabantur etiam *Bacillarii* vel *Bacalaurei* a Bacillo, quia is, qui opus hoc ita edidicisset, ut aliis prælegere posset, baculo, velut pro arrha doctrinæ, more Longobardorum accepto, Doctoris titulo honestabatur. vid. *Panciroll*. Lib. II. & *Mastricht*. in histor. iur. pontif. & eccles. n. 302.

§. IX.

Et ab hoc tempore duæ ICtorum factiones, *Legistarum* scilicet, vt appellabantur, & *Decretistarum* sunt ortæ, *illi*, adductis ex iure Romano Legum cohortibus *a*), pro illimitata Cæsaris potestate acerrime pugnabant, & a partibus Gibellinorum stabant, *Decretistæ* contra Guelphorum tuebantur partes, Pontificemque suum in cœlum extollebant.

a) In

b) In primis autem ad Constit. *Antonini* in L. 9. π. *ad Leg. Rhod. de iactu*, vbi se mundi dominum appellat, prouocare solebat.

§. X.

Et horum *Legistarum Decretistarum*que tanta a Seculo XII. fuit auctoritas, vt in difficillimis arduisque negotiis ad eos refugium quasi publicum esset; exemplum insigne *Arnoldus Lubecensis a)* affert, ex quo, iam Seculo XII. in Aula Cæsarum *Legistas* & *Decretistas* fuisse, horumque consilio illos vsos esse, luculentissime apparet *b)*.

a) Lib. III. Chron. Slau. c. 10. ibi: *Procedente tempore, cum Volmarus sequeretur Curiam Romanam, & pro suo negotio molestus esset apostolico, apostolicus, missa epistola, peremtorie citauit Rudolphum, qui tunc cum Imperatore erat, quod Imperator audiens, non parum ægre ferebat; ipsum tamen, ne contumax videretur, ad audientiam venire hortatus est, mittens secum duos Decretistas quidem, vt pro Rudolpho esset iustitia Canonum, Legistas vero, vt pro parte sua starent iura legum.* Simili modo de *Balduino* Archiepiscopo Treuirensi, *Henrici* VII. Imperatoris fratre, auctor gestorum eius Lib. I. cap. 12. hæc refert: *Legistas etiam Canonistas, Physicos, Artistas, Philosophos, Capellanos, Clericos, Laicos, etiam multos milites, nobiles, domicellos aliosque ministeriales numero valde multiplicatos in suo ministerio deprecatos decenter sustentauit.* b) conf. illustr. *Boehmer* in U. Mᵗ. Decretalium sub Tit. de Constitut. §. 29.

§. XI.

Tam vehementi autem spiritu *Legistæ* & *Decretistæ* inter se concertarunt, vt, si alia vincendi ratio illis non superesset, aduersarios suos vel hereticos declararent, vel in inferno infinitis cruciatibus misere illos torqueri, visosque sibi per somnum esse, confingerent; atque hoc modo vtramque factionem & Gibellinorum & Guelphorum inflammarent *a)*.

a) Scripta *Legistarum* & *Decretistarum* Tribus de Monarchia Imperii Tomis *Melchior Goldastus* collegit. v. *Thomasii* Histor. Contentionis sacerdot. & imper.

§. XII.

Quæ cauſſa fuit, vt non minima mala, ex peruerſis horum *Legiſtarum* & *Decretiſtarum* tum moribus tum doctrinis, in rempublicam noſtram ad magnum interregnum vſque redundarint, de quibus ſcriptores eius ætatis ſatis teſtantur *a*).

a) vid. *Thomaſii* Programma, a. 1710. quod inter Thomaſiana p. 655. reperitur.

CAP. V.

DE FRANCISCO ACCVRSIO GLOSSÆ COLLECTORE ET ORDINATORE, DEQVE GLOSSÆ AVCTORITATE AC GLOSSATIS IVRIS CORPORIBVS.

§. I.

EX *Azonis* ſchola *Franciſcus Accurſius* Florentinus, ſub Imperatore *Friderico II.* clarus, prodiit, *a*) qui, licet quadragenarius fere *b*) ad iurisprudentiam ſeſe contulerit, attamen ea animi alacritate ad iuris ſtudium acceſſit, vt nemo ante eum fuerit, qui iuris ſcientiam breuius uberiusque ſuppeditauerit.

a) *Franciſcus Hottomannus* in comment. de verb. iur. *Accurſii* & *Azonis* præceptorem facit *Odofredum*, recte exinde ab *Alberico Gentili* Dial. V. de iur. interpret. reprehenſus, cum *Accurſius* & *Odofredus* ex *Azonis* ſchola prodierint. *b*) *Fulgoſus* in Lib. III *π. de reb. cred.* gloſſa in L. f. *π. de cond. cauſ. dat.* & *Guido Pancir.* Lib. II. cap. 29. quamuis alii, vt *Pope Blount* in Cenſur. celeb. auct. p. 268. XXIIX. alii, vt *Forſterus* hiſt. iur. Lib. III. cap. 12. XXXVII. annos natum *Accurſium* ad iurisprudentiam acceſſiſſe, exiſtiment. vid. *Bayle* Diction. Hiſtor. Crit. voce *Accurſe.*

§. II.

Poſteaquam enim per aliquot tempus Romanas leges Bononiæ interpretatus eſſet, conductis anteceſſorum

ſorum ſuorum, *Irnerii* nimirum, *Bulgari*, *Martini*, *Placentini*, *Ioannis Pylei*, *Azonis* aliorumque expoſitionibus, in ſolitudinem ſeſe abdidit, illas, antea confuſas, collegit, ſuis adauxit, & ſic omnes iuris Iuſtinianei partes ea quidem breuitate ac perſpicuitate illuſtrauit, vt nemo poſt eum iuri gloſſas adiicere tentauerit *a*).

a) Vid. *Pancir.* Lib. II. c. 30. *Ciſnerus* in epiſt. *De ICtis præſtantibus tum antiquis Romanis tum poſterioribus & neotericis interpretibus iuris*, quæ *Duäreni* Opp. T. II. Lugduni edit. eſt præfixa, & *Grauina* in orig. iur. ciu. p. 108. Vnde vero Gloſſa nomen ſuum habeat *Ioſephus Nerius* II. Analect. 29. expoſuit.

§. III.

Et quamuis *Andreas Alciatus*, *Franciſcus Hottomannus*, *Franciſcus Duarenus*, *Antonius Goueanus*, *Antonius* Nebriſſenſis *a*), aliique elegantioris iurisprudentiæ ſectatores peſſime de noſtro *Accurſio* ſentiant, ac in eo mox linguarum *b*), mox hiſtoriæ & antiquitatum *c*), mox dialectices ſtudium, mox aliud quid deſiderent: attamen æquiores rerum æſtimatores merito *Accurſii* in interpretando iure Iuſtinianeo ſtudium ac diligentiam efferunt, ac, ſi quæ in eius Gloſſis reperiantur, quæ barbariem redolent, non hominis ea, ſed ſeculi, in quo vixit, vitia fuiſſe, iudicant.

a) Qui Lexicon iuris ciuilis aduerſus quoſdam inſignes *Accurſii* errores Lugduni a. 1537. 8. edidit, in quo perpetuo vapulat *Accurſius*, & in fine extat ſomnium *Accurſii* de *Glauco* & *Diomede*, multa ridicula Accurſiana memorans. *b*) Vnde ille, quum in Græca incidit, *hæ ſunt litteræ, quæ legi non poſſunt*, dixiſſe fertur. Sed cum ipſe *Accurſius* ad L. 6. D. *de Bonor. poſſ.* diſertis verbis ſcripſerit: *Græcæ litteræ poſſunt intellgi & legi*, merito *Guilielm. Burton* in Hiſtoria Linguæ Græcæ, quæ Londini 1657. prodiit, contrarium defendit. add. Illuſtris *Boëbmeri* diſſ. De ſcriptura non legibili c. 1. §. 1. *c*) vid. diſſert. præliminaris. §. 39. & 40.

§. IV.

Quare recte *Accursii* aliorumque Glossatorum labores efferunt ac prædicant, illosque iuris studiosis de meliori commendant *Viglius Zuichemus a*), *Christophorus Colerus b*). *Ianus Vincentius Grauina c*), cum quibus *Claudius Cantiuncula d*), *Caspar Barthius e*), *Josephus Nerius f*), *Pierre Bayle g*), *Cornelius Bynckerboeckius h*), *Ioann. Saxonius Hattestedius i*), &, quod mirandum, ipse *Iacobus Cuiacius*, elegantioris iurisprudentiæ alias princeps, qui, *Accursium* Latinis & Græcis omnibus se anteponere, dicere non erubuit, consentiunt.

a) In epist. ad *Gerbard. Mulertium*. b) παρέργων cap. 18. c) de ortu & progr. iur. ciu. p. 108. d) in legali parænesi de ratione studii. e) ad Claudian. in Rufin. Lib. II. v. 85. f) Lib. II. Analect. c. 29. g) in Diction. Hist. & Critique voce *Accurse*. h) in præf. Obs. iuris Ciuil. præmissa. Cuius librum: *De glossis Accursianis* absque eis ius ciuile, quale hodie est in vsu, intelligi recte exercerique non posse, Basileæ 1548. 8. editum, Clariss. *Wieling* in prætermissis ad Labittum p. 60. citat. i) Lib. III. Obs. cap. 2.

§. V.

Præ ceteris autem *Accursii* aliorumque Glossatorum defensoribus *Albericus Gentilis* eminet, hic enim, quamuis in suis operibus passim historicam & criticam notitiam non leuem prodat, strenuum tamen *Accursii* & reliquorum Glossatorum defensorem in Dialogis: *De iuris interpretibus a*) potius se sistere, quam caussam agere bonarum litterarum maluit; quid autem ipsum ad subeundum illud officium mouerit, venerandus socer noster *Guilielmus Hieronymus Brucknerus b*) exposuit.

a) Londini anno 1582. typis descriptis & cura doctissimi *Hoffmanni* Lips. vna cum aliis scriptis 1721. 4. recusis. b) in programm. inaugur. De Accursianis & Alciateis anno 1695. edito: *Scilicet*, ait, *soli ferme Itali celebres fuerant, tanquam perfecti & consummati ICti, hanc* popu-

popularium suorum gloriam, elegantiori litteratura inualescente, per extraneos præsertim Gallos inanem, vel minimum dubiam reddi, non sine stomacho ferebat Gentilis. Vt igitur partam Italis conseruaret dignitatem, pro barbarie, in qua per aliquot secula vixerant, contra amœniora studia operose disseruit, & propterea vtrique parti Italos dedit Choragos Accursium & Alciatum, dum pro mucore & stribligine pugnantes Accursianos, pro politioribus litteris certantes, Alciateos vocauit, vt vel hoc pacto, siue vincerent barbari, siue vincerentur, per duces, quorum auspiciis dimicaretur, Italis suis constaret honos.

§. VI.

Tanta autem omni ætate inter ICtos pragmaticos Glossæ Accursianæ fuit auctoritas, vt illam potius quam textum pro se habere maluerint; hinc *Iason a)*: *Glossæ auctoritatem omnes excellere, & illi tanquam Carotio veritatis perpetuo adhærendum esse*, censet: & *Raphaël Fulgosus b)* auditores suos ita alloquitur: *Nam heri dixit Cynus, Glossam timendam propter præscriptam idololatriam per aduocatos, significans, quod sicut antiqui adorabant idola pro diis, ita aduocati adorent glossatores pro euangelistis, volo enim potius pro me glossatorem quam textum. Nam si allego textum, dicunt aduocati diuersæ partis & etiam iudices: Credis tu, quod glossa non ita viderit illum textum sicut tu &c.*

a) In L. 3. ff. *de Iust. & Iur.* & *Ludouicus Romanus* L. 1. C. *de Profess. & Med.* b) in L. *si solutum C. de oblig. & action.* in L. *ad officium C. comm. diu.* conf. *Franciscus Hottomannus* in præf. Consiliorum, *Pierre Bayle* dans le Dictionair. Histor. & Critique voce *Accurse* & Dn. *Boehmer* in Vsu Mod. Decretal. sub Tit. de Constit. princip. §. 42.

§. VII.

Inde etiam euenit, vt illi tantum textus iuris Iustinianei, quos Glossa illustrauit, in praxi recepti fue-

fuerint, regulaque inter pragmaticos inualuerit: *Quem textum glossa non agnoscit, illum nec nos agnoscimus*, cui, in primis quoad Nouellas, stricte adhuc hodie inhaerent *a*).

a) Vid. *Alber. Gentil.* de Lib. iur. ciu. cap. 7. & *Gottfr. Ludov. Menckenii* differt. *De Nouellarum glossatarum & non glossatarum auctoritate.*

§. VIII.

Dissentit equidem, quoad Nouellas, *Ericus Mauricius*, &, non glossatas etiam iuris partem constituere, asserit *a*) sed cum a receptione ius Iustinianeum suam in foris nostris habeat auctoritatem, Corpus iuris glossatum pro norma hic tenendum esse, vniceque illud docere, quasnam leges ex Nouellarum corpore sua auctoritate in fora introduxerit, Dn. *Hoffmannus* recte monuit *b*).

a) De libr. iur. comm. th. 17. *b*) in Histor. Iur. Iustin. pag. 328.

§. IX.

Quod autem adhuc hodie non exigua harum glossarum sit auctoritas, ex eo animaduertere licet, quod, post tot editos a politioribus iurisprudentiae sectatoribus obseruationum & emendationum libros, *Dionysius Gotbofredus* in notis, quas in ius ciuile maxima cum laude scripsit, plerumque vel epitomen glossae exhibuerit, vel spicilegium tantum fecerit, quodque saepius etiam consummatissimi ICti, vbi aqua ipsis haeret, & omnes commentatores recentiores ignorantiam suam fatentur, ad glossam, velut sacram quandam anchoram confugiant, & e diuinationibus ac coniecturis *Accursii* occasionem genuini indagendi sensus quaerunt.

§. X.

Hinc minime *Georgii Beyeri* Glossam, si non expressum, tacitum tamen abeundi dudum accepisse consilium, hodieque pro ciuiliter mortua haberi, sta-

ſtatuentis, a) ſententiam noſtram facimus, ſed potius, cum neque de expreſſo, neque de tacito principum Germaniæ conſenſu conſtet, merito illam reiicimus, gloſſæque maximam adhuc hodie in foris noſtris eſſe auctoritatem, affirmamus b).

a) In Notit. Auct. Iurid. Cent. II. Num. V. b) Vtrum vero non ſit felicior Iurisprudentiæ noſtræ ſtatus, ſi non ſecundum Gloſſam ſed Leges viueremus & iudicaremus, aliis diiudicandum relinquimus. conf. Doctiſſ. *Weſtphal.* De orig. & medela corruptæ Iurisprud. p. 38.

§. XI.

Quamplurimæ dantur Corporis Iuris Gloſſati editiones, ex antiquioribus frequentius Lugdunenſes de a. 1530. 1548. 1550. f. & Pariſienſis de a. 1534. 4. aſpiciuntur, ſed vti hæ litteris monachalibus (Münchs-ſchrifft) ſunt expreſſæ, ita ad vſum quotidianum non ſatis commodæ atque aptæ nobis videntur.

§. XII.

Nouiores ac præſtantiores Corporis iuris Gloſſati editiones ſunt, quæ poſt annum 1550. prodierunt, vt Lugdunenſis de a. 1550. f. Pariſienſes de a. 1559. 1569. 1567. f. Antuerpienſes de a. 1576. f. Veneta de a. 1591. & 1593. 4. quippe quæ noua ſcholia marginalia ex doctoribus elegantioribus, *Alciato*, *Budæo*, *Contio* excerpta, & in libris Nouellarum additiones *Ioannis Fabri* gloſſasque interiectas, exhibent.

§. XIII.

Præſtant vero reliquis omnibus eæ, quæ ſub ſigno Salamandræ Lugduni 1554. f. V. Tom. & quæ ſub ſigno Leonis ibidem 1580. prodierunt: Item quæ cum gloſſis & ſcholiis *Contii*, paratitlis *Cuiacii*, additis notis *Dionyſii Gothofredi* ibidem a. 1589. f. VI. Tom. lucem adſpexit publicam; optima denique eſt editio Veneta de a. 1574. 4. V. Tom. nec non editio *Petri Baudoziani*, quæ charactere minori exſcripta, atque Lugdu-

ni 1593. 4. & Geneu. 1614. 4. fuit edita, hæc enim non solum rara est, sed etiam ad vsum quotidianum maxime commoda *a*).

a) Vid. *Georg. Beyer.* Notit. Auct. Iurid. Cent. II. n. 5. Dn. *Struuius* in histor. iur. Iust. restaur. p. 395. & Dn. *Fabricius* Vol. XII. Bibl. Græc. p. 360. sequ.

§. XIV.

Huius Corporis iuris Glossati duos habemus indices, alterum *Petri Brossei*, alterum *Stephani Daoys*; ille Lugduni 1589. f. prodiit, sed breuior est, hic vero, auctus per *Thomam Dejuges* Venetiis 1610. & Geneuæ 1635. f. editus, optimus est, & non tantum ad iuris textum, sed etiam ad glossam comparatus; sed cum rarus hic index sit, non facile cum ipso iuris glossati corpore venditur.

CAP. VI.

DE SCHOLA ACCVRSIANA, SIVE DE DOCTORIBVS POST ACCVRSIVM, AD BARTOLVM VSQVE.

§. I.

Sicuti autem ab *Accursio* plenior iuris cœpit explicatio vsque ad *Bartolum*: ita separatam Accursiani constituunt scholam, cuius præcipuos hoc capite recensebimus Doctores.

§. II.

Duos filios *a*) *Accursius* suscepit, *Franciscum* nimirum, & *Franciscum Ceruotum*, non bonorum tantum, sed & doctrinæ heredes, *is* enim in docendi munere patri successit, *hic* vero nouas Glossas, Ceruotianas dictas, paternis addidit, quæ tamen vtplurimum a Doctoribus reiici solent *b*).

a) Filiam quoque habuisse dicitur, quæ ius ciuile Bononiæ publice docuerit. *b*) v. *Guid. Pancirollus* Lib. II. de Clar. LL. interpret. cap. 29.

§. III.

§. III.

Accursianis itaque annumeramus *Vbertum Bobium Parmensem*, qui magna cum laude Vercellis ius ciuile docuit; *Ioannem Columbinum*, qui glossas in libros Feudorum, a *Bulgaro* & *Pyleo* conscriptas, perfecit, nec non *Iacobum Ardizonum* Veronensem, qui feudorum summam reliquit *a*).

a) v. *Pancir*. Lib. II. cap. 31. & 32. *Grauina* in origin. iur. ciu. p. 109.

IV.

Præ ceteris autem *Odofredus* Bononiensis, vel, vt alii malunt, Beneuentanus, nominandus venit, qui magna nominis fama non solum Bononiæ ius ciuile docuit, sed & vberrimos in Pandectas & Codicem commentarios, vt & feudorum compendium, aliaque vtilissima scripta, edidit, vitaque anno 1265. excessit *a*).

a) vid. *Pancir*. Lib. II. c. 35.

§. V.

Præterea memorandus est *Dinus Rossanus*, cuius tanta in disputando fuit sublimitas, ut *Dini disputatio* in prouerbium abierit. Bononiæ *Dinus* docuit, &, postea quam vna cum *Ricardo Petrono* Senensi iussu *Bonifacii* IIX. pontificis sextum Decretalium librum composuit, variaque scripta reliquit, Bononiæ anno 1303. decessit *a*).

a) *Pancir*. Lib. II. c. 4. & *Grauina* c. 157.

§. VI.

Nec silentio prætereundi sunt *Petrus de Bella Pertica*, qui erudita in Digesta, Codicem & Institutiones scripta reliquit *a*) *Oldradus*, qui Bononiæ, Patauii & Romæ docuit, & præclara in ius ciuile commentaria, vt & luculenta responsa iuris in vulgus emisit *b*). *Iacobus de Beluiso* & *Butrigarius*, qui & do-

cendo

cendo & disputando Bononiæ claruerunt, variaque scripta & iuris responsa reliquerunt *c*).

a) Vid. *Pancir.* Lib. II. cap. 46. & *Grauina* cap. 159. *b*) *Pancir.* Lib. II. c. 52. & *Grauina* c. cit. *c*) *Pancir.* Lib. II. c. 55. & 56. *Grauina* c. 160.

§. VII.

Tandem etiam ad *Cinum* Pistoriensem, *Dini* discipulum, peruenimus, qui ius ciuile primum Bononiæ, deinde Perusiis, vbi *Gregorii* IX. Pontificis auctoritate Academia erat instituta, docuit, & luculentas interpretationes in libros iuris, quibus in iure ciuili nihil sanius, nihilque pressius *a*), edidit.

a) Vti *Grauina* c. 161. ait.

§. VIII.

Nec solum *Cinus* summus ICtus, sed etiam elegantissimus simul poëta fuit. Posteaquam autem varios discipulos, inter quos *Bartolus*, qui, in eius commentariis ingenium se perfecisse, dicit, primo loco nominandus est, reliquit, anno post N. C. 1336. e vita excessit *a*).

a) Vid. *Pancir.* Lib. II. cap. 58. & *Grauina* cap. 61.

§. IX.

Eadem ætate *Albericus de Rosate* Bergomensis, ob singularem experientiam forensem magnus practicus dictus *a*), floruit, &, præter alios iuris commentarios, locupletissimum rerum omnium Dictionarium edidit, annoque post N. C. 1354. demum e vita migrauit *b*).

a) *Fulgosus* Consil. 155. *b*) vid. *Pancir.* Lib. II. c. 66. & *Grauina* c. 162.

§. X.

Supersunt *Franciscus Tigrinus*, *Franciscus Ramponius*, *Nicolaus Mattarellus* aliique vsque ad *Bartolum*

Iuris

Iuris interpretes, qui seculo XIV. floruerunt, & iura ciuilia publice & priuatim professi sunt, de quibus *Guido Pancirollus a*), *Ioannes Ficbardus b*), *Marcus Mantua c*), *Ioann. Baptista de Gazalupis d*), *Cattellianus Cotta e*), & *Gribaldus Mopba f*) tractarunt.

a) Lib. II. de clar. LL. interpret. *b*) in vit. recent. ICt. *c*) in epit. vir. illuftr. *d*) in hiftor. interpr. & Gloffat. iuris. *e*) in recenfione infignium iuris interpretum & Doctorum. *f*) in catalogo interpretum iuris ciuilis, quos doctiffimus *Hoffmannus* vna cum *Alberici Gentilis* de iuris interpretibus dialogis fex conjunctim Lipf. 1721. 4. edidit.

CAP. VII.

DE SCHOLA BARTOLINA; SIVE DE IVRIS CIVILIS INTERPRETIBVS A BARTOLO AD IACOBVM CVIACIVM VSQVE.

§. I.

Sicuti Irneriani breuia fcholia, Accurfiani vero pleniores ad ius ciuile ediderunt gloffas; ita fæculo XIV. *Bartolus de Saxoferrato* eiusque difcipuli vsque ad *Andream Alciatum* nouam, profufam nimirum, iura tractandi inftaurarunt methodum.

§. II.

Spinas enim Bartolinæ fcholæ Doctores dialecticorum in Iurisprudentiam fparferunt, forenfibusque cauillationibus, propter inanem fubtilitatem tenuesque diuifiones, citra neceffitatem fæpius adhibitas, occafionem dederunt, ita vt recte mihi de illis Iacobus Cuiacius *a*): *Interpretes veteres funt verbofi & prolixi, in re futili multi; in difficili muti, in anguftia diffufi*, dixiffe videatur.

a) Lib. V. Refponf. Papin. ad L. filio *ff. de iniuft. rupto* &c. conf. *Guid. Pancirollus* II. de Clar. LL. interpretibus c. 6. & 7. & *Finckelthaus* in præf. obferuationibus præm.

§. III.

§. III.

Nec minus propter hiſtoriarum atque antiquitatum ignorantiam multa denſiſſimis tenebris inuoluerunt, vt *Antonius Goueanus* & *Franciſcus Duarenus* Bartolum peſſimum iuris Magiſtrum, alii vero, Sophiſticum, mollem ac ineptum leguleium, per contemtum vocare non veriti fuerunt *a*).

a) v. *Pancir.* Lib. II. de clar. LL. interpret. cap. 67.

§. IV.

Sed ſi dicendum, quod res eſt, hæc & ſimilia vitia non hominum fuerunt, ſed ætatis: in eiusmodi enim *Bartolus* eiusque diſcipuli inciderant tempora, vbi barbaries Gothica & Longobardica Latinum ſermonem & litteras fere omnes extinxerat, vt nemo niſi incomte & barbare ſcribere poſſet.

§. V.

Et licet in ſcribendo ac commentando Bartolini interpretes nimis fuerint profuſi, atque ab omni elegantia prorſus alieni; attamen non omni eos defraudandos eſſe laude, cum *Arthurio Duckio a*), *Iano Vincentio Grauina b*) & *Ioſepho Nerio c*), cenſemus, cum varias quæſtiones, in foro ſæpius emergentes, feliciter ſoluerint, ac in omnibus ſuis ſcriptis magnum ingenium oſtenderint.

a) De auctor. iur. ciu. Lib. I. c. 5. §. 15. *b*) in orig. iur. ciu. c. 164. *c*) Lib. II. Analect. c. 29.

§. VI.

Princeps huius ſcholæ dicitur *Bartolus* Cini & Iacobi Butrigarii diſcipulus, qui, Sentini in oppido Vmbriæ, quod nunc Saxoferratum vocant, anno 1313. natus, primo Piſis, deinde Peruſii ius ciuile tanta nominis celebritate profeſſus eſt, vt vndique ad ſe ſtudioſos attraxerit *a*).

a) v. *Thomas Diplouatatius* in vita Bartoli §. 15.

§. VII.

Quare, cum a Perusinis publici negotii caussa ad *Carolum* IV. Imperatorem Pisas legatus missus esset, hac occasione eius sapientia iuris ita Imperatori innotuit, vt ad confectionem Aureæ Bullæ eum adhibuerit, quam etiam confecit, multaque iuris Romani placita simul ei inseruit *a*).

a) v. *Thulemarius* de Octouiratu cap. 6. §. 15.

§. VIII.

Quâ re se ita Cæsari commendauit, vt non solum ad consilium fuerit adhibitus, sed etiam præter insignia gentilitia *a*), quæ pro se suaque familia impetrauit, facultatem concedendi veniam ætatis ac spurios natalibus restituendi, obtinuerit *b*).

a) Concessit enim *Carolus* IV. *Bartolo* eiusque liberis, vt Leonem rubeum cum caudis duabus in campo aureo usurparent, vid. *Diplouatatius* in vita Bartoli §. 6, *b*) v. *Pancir.* de clar. LL. interpr. Lib. II. c. 67.

§. IX.

Sicuti autem *Bartolus* ius ciuile incredibili quadam diligentia interpretatus est, multaque scripta *a*), quibus Digesta, Codicem & institutiones non parum illustravit, reliqui ita in tanta æstimatione, in primis apud Hispanos, fuit, vt, in diuersis Doctorum sententiis eam præualere debere, decreuerint, pro qua *Bartolus* steterit *b*).

a) Quæ Lugd. 1518. 1563. & 67. nec non August. Taurin. 1573. 74. & 75. multis Tom. in f. prodierunt: repertorium superlecturis *Bartoli Henricus Ferrendat* Lugd. 1518. edidit. vid. Catal. Bibl. Du Boisian. P. I. p. 141. *b*) v. *Panzirollus* Lib. II. cap. 67. *Grauina* in orig. iur. ciu. c. 164.

§. X.

Hinc non mirandum, quod à ICtis, qui ex eius schola prodierunt, mox *lucerna iuris*, mox *lumen arden-*

ardentissimum iuris ciuilis a), mox *optimus auriga in ciuili scientia c)*, mox *illuminator iuris & lux caecorum*, imo *dux vniuersorum* appellatus fuerit.

a) Vti eum *Angelus* in L. 1. C. *de iudic.* & Consil. 59. *Iason.* in rubr. ff. de *offic. Assess.* appellant. *b)* ita ab *Andrea Barbatia* de success. ab intest. cap. f. vocatur. *c)* a *Socino* Cons. 876. conf. *Diplouatatius* in vita Bartoli c. 8.

§. XI.

De *Bartoli* vita atque auctoritate, qui praematura morte, nimirum aetatis XLVI, anno 1359. ex hac vita ereptus est *a)*, multa *Franciscus de Curte b)*, *Tindarus de Perusio c)*, *Baptista Seuerus d)*, & *Iason e)* referunt: ex professo vero eius vitam *Thomas Diplouatatius f)* & *Lancellotus g)* delinearunt.

a) Quamuis *Tindarus* de test. Lib. II. c. 8. eum citius, anno nimirum aetatis 43, obiisse, testetur. *b)* in L. admonendi ff. *de Iureiur.* & Consil. 47. *c)* in tract. de testibus. Lib. I. cap. 9. *d)* in tract. de modo studendi. *e)* in L. quidam cum filium D. *de V. O.* *f)* vitam Bartoli, a *Thoma Diplouatatio* conscriptam, clarissimus *Fabricius* Tom. XII. Bibl. Graec. p. 555. inseruit. *g)* cuius vitam Bartoli *Grauina* in orig. iur. ciu. c. 165. citat. comparationem *Papiniani* & *Bartoli* apud *Josephum Nerium* II. Analect. cap. 29. inuenies.

§. XII.

Bartoli discipulus atque aemulus *Baldus* fuit, ex *Francisco Vbaldo Perusino* vna cum duobus fratribus *Angelo* & *Petro*, ICtis non minus celebribus, contradixit, vt hic, ad respondendum tempus petere, non erubuerit *b)*.

a) Schema genealogicum familiae Baldinae exhibet *Pancirollus* Lib. II. c. 72. *b)* v. *Castrensis* in L. 27. §. 1. *de inoff. testam.*

§. XIII.

§. XIII.

Doctoris dignitatem a *Bartolo* adeptus, primum in patria, deinde Ticini, amplissimis stipendiis euocatus, iura magna cum nominis celebritate *a*) docuit, &, postquam scriptis suis omnes iuris exornauit partes *b*), anno 1404. Kalendis Martii canis morsu Ticini obiit *c*).

a) Cum *Baldus* Ticinum venit, & se primum auditoribus ostendit, continuo exclamatum est, quia statura pusillus erat: *Minuit præsentia famam*, sed confestim excepisse fertur: *Augebit cetera virtus*, vid. *Pancirollus* Lib. II. cap. 72. *b*) opera *Baldi* coniunctim Lugd. 1585. V. Vol. f. & Venet. 1615. IV. Vol. f. publicam lucem adspexerunt. *c*) vitam eius *Pancirollus* l. c. & *Grauina* c. 166. sistunt.

§. XIV.

In *Bartolum* præceptorem nimis inhumanus fuit *Baldus*, eumque, quacunque potuit occasione, reprehendit, cuius tamen inhumanitatis grauissimas pœnas eum, propter corruptos varios Pandectarum Codices in *L. si creditor de distract. pign.* dedisse, publiceque flagellis cæsum esse, *Ludouicus Gomesius a*) narrat; sed, cum *Francisco Tigrino* ICto hanc contentionem *Bartolum* habuisse, optimis rationibus *Lancellottus b*) ostendit.

a) In princip. l. *de action. post.* n. 10. *b*) in vita Bartoli & ex eo *Grauina* c. 165.

§. XV.

Baldi discipulus & amanuensis *Paullus Castrensis* fuit, qui primum Florentiæ, dein Senis, Bononiæ, & tandem Patauii summa laude *a*) iura docuit, editisque variis iuris responsis atque commentariis valde decrepitus a. 1420. decessit *b*.)

a) Vnde, *si Bartolus non fuisset, eius locum Paullus tenuisset*, in prouerbium abiit. *b*) vid. *Pancir.* Lib. II. cap. 89.

§. XVI.

Proximum a *Paullo Castrensi* locum eius discipulo *Alexandro Tartagno* Imolensi damus, qui primo Ferrariæ, deinde Patauii; vbi maxima ei cum *Bartolomæo Cæpolla* intercessit æmulatio, & deinde Bononiæ iura summa cum admiratione professus est, & editis præclaris iuris responsis, quæ maxime in foro fuerunt auctoritatis, a. 1477. Bononiæ defunctus est *a*).

a) vid. *Pancirollus* Lib. II. c. 112. & *Grauina* c. 167.

§. XVII.

Discipulos & heredes doctrinæ *Bartholomæum Socinum a*) & *Iasonem Maynum* reliquit, quorum *ille* crebris disputationibus celebris extitit, *hic* vero ob perspicuam interpretandi iura rationem non solum *Ludouicum* XII. Regem Galliæ inter discipulos habuit, sed etiam variis legationibus ad Cæsarem & Pontificem, iussu *Ludouici Sfortiæ*, Mediolanensium Ducis, institutis, nomen suum celebre reddidit *b.*)

a) De illustri *Socinorum* familia eiusque in iurisprudentiam meritis vid. *Pancirollus* Lib. II. c. 126. & 162.
b) *Pancirollus* Lib. II. c. 127. opera huius ICti Lugd. 1545. August. Taurin. 1592. & Venet. 1622. IV. Tom. in f. in publicum sunt emissa. Vita *Hieron. Torti* ICti, à *Iasone Mayno* conscripta, Tom. IV. Amœn. Litter. *Schelbornii* n. 6. reperitur.

§. XVIII.

Nec minus celebres ICti fuere *Angelus* & *Petrus Baldi*, *Bartholomæus Salicetus* Bononiensis, factionibus alias clarus, *Iacobus Aluarottus* maximus iuris feudalis interpres, *Bartholomæus Cæpolla* celebris cautelarum scriptor.

§. XIX.

Tandem silentio prætereundi non sunt *Franciscus Curtius*, Iasonis æmulus, *Hyppolitus Riminaldus*, *Raphael Cumanus*, *Alexander ab Alexandro* Neapolitanus, genialium dierum auctor, *Ioann. Bertachinus*,

qui

qui copiosissimo suo indice maximum iuris studiosis attulit commodum, aliique quamplurimi, quorum mentionem *Pancirollus a)*, *Ioannes Fichardus b)*, *Marcus Mantua c)*, *Ioan Baptista de Gazalupis d)*, *Cattelianus Cotta e)*, & *Matthæus Gribaldus Mopha f)*, faciunt.

a) Lib. II. de clar. LL. interpret. *b)* in vitis ICtor. illustrium. *c)* in epit. vir. illustr. *d)* in histor. interpret. & Glossar. iur. *e)* in recens. insign. iuris interpretum. *f)* in catalogo interpret. iur. ciu.

§. XX.

Quamplurima horum ICtorum scripta in opere vastæ molis, quod quinque & viginti Voluminibus in fol. sub Titulo: *Tractatus Uniuersi Iuris*, Venetiis apud *Franciscum Zilettum* a. 1584. prodiit, continentur.

CAP. VIII.

DE SCHOLA CVIACIANA, S. DOCTORIBVS, QVI ELEGANTIORES LITTERAS CVM STVDIO IVRIS CIVILIS CONIVNXERVNT.

§. I.

HÆc Bartolinorum profusa commentandi libido ad sæculum vsque XVI. perdurauit, quo *Andræas Alciatus*, Insuber, primum elegantiores litteras, quibus omnes hactenus recensiti ICti plane destituti erant, cum iuris ciuilis studio feliciter iunxit, & pristinum iurisprudentiæ Romanæ nitorem restituit *a)*.

a) v. *Cattell. Cottæ* recensio iuris interpr. in fin. *Imperialis* in Musæo histor. pag. 98. *Guid. Pancir.* Lib. III. c. 169. & *Barnab. Brissonius* Lib. II. Select. Antiquit. cap. 13.

§. II.

Non equidem defuerunt ante *Alciatum* ICti. vt *Castilioneus*, *Raphaël Cumanus*, *Fulgosius*, *Alexander ab Alexandro* aliique, qui veterem iurisprudentiæ candorem atque veritatem arripuerunt, & in iure explicando non raro vulgarium interpretum viam desecuerunt; sed illorum opiniones à ceteris, barbariei adsuetis, propter nouitatis suspicionem reiectæ fuerunt *a*).

a) De pugna inter Humanistas & Glossatores vid. *Thomasius* in not. ad Testam. *Melch.* ab *Osse* n. 182. 183. 187. 188. nec non in eius Orat: *de vera & falsa Iurisprud.* p. m. 133.

§. III.

Hæc autem felicitas iurisprudentiæ Romanæ ex infelici ciuitatis Constantinopolitanæ potissimum obtigit excidio: cum enim expugnata hac vrbe eruditissimi Græcorum, nimirum *Emanuel Chrysotoras Byzantinus*, *Theodorus Gaza*, *Georg. Trapezuntius*, *Constantinus Lascaris*, *Marullus*, *Chalcondyles*, in Italiam confugerent, simulque libros Basilικῶν, *Theophilum*, *Harmenopulum*, ceterosque iuris Romano-Græci interpretes illinc adducerent, iurisprudentia etiam respirare, natiuamque dignitatem a priscis repetere cœpit auctoribus.

§. IV.

Et quamuis non defuerint, qui in veteri luto hærere maluerunt, atque, genuina interpretandi ratione posthabita, nouum ius sua auctoritate stabiliuerunt, *Realistas* sese appellantes, & ceteros, quos barbaro nomine *Humanistas* adpellabant, publico prosequentes odio; attamen suppuduit plerosque ICtos tantæ barbariei, vt, relectis glossatorum ineptiis, linguarum atque antiquitatum peritiam cum iuris ciuilis studio coniungerent, ac nouam quandam scholam, *Cuiacianam* dictam, instaurarent.

§. V.

Natus autem fuit *Andreas Alciatus*, cuius opera quasi postliminio iurisprudentia rediisse visa est in ciui-

ciuitatem Romanam, Mediolani, patre *Ioanne*, circa annum MCCCCXCIII, &, cum Ticini *Iasonem Maynum*, Bononiæ vero *Carolum Ruinum* ICtos audiuisset; iurisque ciuilis scientiam cum studiis humanitatis, præcinentibus *Laurentio Valla*, *Iano Parrhasio*, *Angelo Politiano*, *Bembo* & *Erasmo Roterodamo*, feliciter coniunxisset, maximam nominis sibi famam comparauit.

§. VI.

Docuit *Alciatus* primum *Ticini*, deinde Auenionensibus & mox Bituricensibus iura explicauit, sed non multis annis in Gallia, etsi humanissime a *Francisco I.* Galliarum Rege, fuit exceptus, esse potuit, siquidem a *Francisco Maria*, Mediolanensium Duce, ad Ticinense Gymnasium reuocatus fuit, licet, inde bellorum fluctibus bis eiectus, primo Bononiam, postea Ferrariam secesserit, ibique etiam iura docuerit.

§. VII.

Varia scripta *Andreas Alciatus*, quæ *Baptista Guarinus* opera *Pomponii Ellamæ Frisii* edidit *a*), reliquit, &, Cardinalis a *Pio* IV. Pontifice creatus, principio anni 1551, ætatis 58. obiit *b*).

a) Basileæ anno 1571. VI. Tom. in f. & 1582. IV. Tom. in f. Francof. 1617. IV. Tom. in fol. Inter scripta *Alciati* etiam libri Paradoxorum occurrunt, aduersus quos *Angelus a S. Iosepho* ICtus Miles Antiparadoxa Iuris Ciuilis Antuerp. 1563. edidit. *b*) *Thuanus* Lib. IX. hist. ad annum 1551.

§. VIII.

Ad ius ciuile eadem ætate elegantiam adplicare cœpit *Guilielmus Budæus* Parisiensis, quod clarissima eius monumenta *a*), inprimis annotationes ad Pandectas, de asse & ponderibus, vt & vocabulorum forensium libri, satis superque testantur, quamuis alii *Budæum* magis pro legum librorumque emendatore, quam iuris interprete habere velint *b*).

a) Quæ Basileæ apud *Nicol. Episcopium* cum præf. *Cælii Secundi Curionis* ad *Ioannem Fichardum* anno 1557. f. Tomis IV. coniunctim prodiere. *b*) vt *A. Augustinus*

Lib. IV. emend. cap. 52. vitam *Budæi*, per *Ludouicum Regium* conſcriptam, *Leickher* in vit. ICtorum p. 28. exhibet.

§. IX.

Inter maſculæ iurisprudentiæ reſtauratores etiam merito *Æmylius Ferrettus* Hetruſcus, a. 1489. patre *Marco Ferretto* ICto natus, refertur, qui, poſteaquam a *Philippo Decio* & *Camillo Petruccio* inſtitutus, primum Valentiam ad ius docendum conceſſit, deinde, a *Franciſco* I. Galliarum Rege accitus, plures eius iuſſu obiit legationes, atque, editis variis opuſculis *a*), tandem a. 1552. extinctus eſt *b*).

a) Quæ, a *Iulio Rondelino, Stephano Badereo, Ludouico Maſſa*, Ferretti auditoribus, ſingulatim edita, *M. Zacharias Palthenius* Typographus Francofurtenſis collegit atque edidit. *b*) vitam eius, per *Helenum Ribittum* conſcriptam, clariſſ. *Buderus* in vitis ICtor. p. 1. edidit. conf. *Pancirollus* Lib. II. c. 167. & *Grauina* cap. 171. de confuſione nominum *Ferretti* & *Perotti*, vid. *Bayle* in Diction. voce, *Perottus*.

§. X.

Ex huius ſchola *Antonius Goveanus* Luſitanus, elegans ICtus prodiit, cuius ingenium *Iacobus Cuiacius* ita admiratus eſt, vt, a iure Romano ſe deterritum fuiſſe, dixerit *a*), ſi *Goueanus* ciuilium ſtudiorum labores ſerio ſuſcipere voluiſſet. Sed non diu *Goueanus* iuri ciuili vacauit, &, poſteaquam paucis annis in pluribus Galliæ Gymnaſiis, Cadurci nempe, Valentiæ, Toloſæ, & Gratianopoli magna celebritate docuit, variaque ſcripta *b*) reliquit, annos nactus vix ſexaginta, vitam cum morte commutauit *c*).

a) v. *Maſſon* in vita *Cuiacii*. *b*) quæ Lugduni apud *Ant. Vincentium* vno volumine anno 1564. f. & ibidem a. 1599. in 8. & f. editæ reperiuntur. *c*) vita Goueani ab *Andrea Schotto* in Bibl. Hiſpan. Tom. II. Claſſ. VII. deſcripta apud *Leickherum* p. 197. extat. vid. *Grauina* cap. 172.

§. XI.

§. XI.

Inter *Alciati* discipulos primæ debentur partes *Antonio Augustino*, Cæsar-Augustæ in Hispania illustribus parentibus nato, qui tantos in utroque iure fecit progressus, vt omnibus antecessoribus merito præferatur *a*).

a) v. *Cuiacius* Lib. XII. Obs. cap. 28. & *Contius* Lib. I. Disput.

§. XII.

Ad ius ciuile enim quod attinet, primum emendationum & opinionum juris ciuilis libros edidit *a*), inque illis Haloandrinam editionem cum Florentina contulit, ac maximam iuris ciuilis partem ex Pandectis Florentinis illustrauit, nec minus de Legibus & SCtis *b*), de Nominibus propriis τῦ πανδέκτυ *c*) ex professo tractauit, atque *Iuliani* Nouellarum epitomen cum notis & paratitlis edidit *d*).

a) Venetiis apud *Iuntas* 1543. 4. recusi Lugd. 1560. 1591. 1650. 8. *b*) Romæ 1584. 4. recus. Paris. 1585. f. Lugd. 1592. 4. & 1606. f. *c*) Tarracon. 1579. f. & Tom. I. Thesaur. Iur. Ciu. insert. *d*) Ilerdæ anno 1567. 8. Basil. 1567. f.

§. XIII.

Nec minus in iure Canonico excelluit, ineptamque antecessorum, in tradenda iuris Canonici disciplina, methodum reiecit, quod partim antiquæ Decretalium collectiones *a*), partim de emendatione *Gratiani* dialogi, ab eo editi *b*), testantur. Tandem, Tarraconensium Archiepiscopus factus, anno 1586. ætatis 70. obiit *c*).

a) Quæ cum eruditis notis Ilerdæ a. 1576. f. lucem adspexerunt publicam, recusæ cura *Labbei* & *Cuiacii* Paris. 1609. & 1621. f. *b*) Tarracon. 1587. 4. Paris. 1607. cum notis *Baluzii*; & Duisburgi cum notis *Baluzii* & *Mastrichti*. *c*) vitam *Augustini* ex oratione funebri *Andreæ Schotti* *Leickher* collectioni suæ p. 108. inseruit. De nostro *Augustino* etiam *Metellus* in erudita præfat. ad Osorii res Emmanuelis quamplurima retulit.

§. XIV.

Non diu autem mascula hæc iurisprudentia in Italia floruit, sed mox in Galliam transiit, ita vt, Gallos ICtos in elegantiori iurisprudentia excolenda aliis nationibus palmam præripuisse, ipse ICtus Italus *M. Aurelianus Galuanus* dicere non erubuerit *a*).

a) In præf. ad Diss. de vsufructu.

§. XV.

In primis autem Bituricensium schola in Gallia ad exemplum scholæ Berytensis mater & nutrix legum fuit *a*), doctissimosque ICtos, qui masculam illam ac solidam professi sunt iurisprudentiam, semper aluit. Docuerunt enim ibidem *Alciatus*, *Baro*, *Duarenus*, *Donellus*, *Balduinus*, *Cuiacius*, *Contius*, *Boërius*, *Russardus*, *Raguellus*, *Hortensius*, *Ioannes & Iacobus Mercerius*, *Merillius &c.*

a) Vid. *Gothofredi* præf. ad Animaduers. libr. add. Liber, qui sub Tit. Iurisprudentia a primo sui ortu ad nobilem Biturigum Academiam deducta, carmine & cum fig. 16. emblemat. exornata, Lugdun. 1554. 4. prodiit.

§. XVI.

Post *Alciatum* in schola Bituricensi *Eguinarius Baro*, *Franciscus Duarenus* & *Franciscus Balduinus* iura docuerunt, elegantioresque litteras cum iuris studio feliciter coniunxerunt: quorum *ille* magis concertationibus cum *Goueano* & *Duareno*, quam scriptis *a*) clarus fuit, *iste* lenocinium orationis iuri ciuili adplicuit *b*) *hic* vero historiarum scientiam cum iuris studio optime coniunxit *c*).

a) Opera *Baronis* Paris. apud *Frid. Morell.* 3. Tom. f. a. 1598. prodiere. *b*) *Duareni* opera Lugd. 1554. 1579. f. Aurel. Allobrog. 1608. & Francof. 1592. II. Vol. f. edita reperiuntur. *c*) Nouam *Balduini* operum editionem Dn. *Thomasius*, vti ex epistola anno 1689. hac de re edita, patet, meditatus est, sed illa nondum lucem adspexit.

§. XVII.

§. XVII.

Francifco Duareno in iuris profeffione fucceffit *Hugo Donellus* Cabilonenfis, qui, cum ad Caluinianorum caftra tranfiiffet, Galliam relinquere coactus eft, & Heidelbergam, mox Leidam & tandem Altorfum conceffit, magnaque nominis fama vbique iura profeffus eft *a*).

a) De *Donello* legas iudicium *Grotii* Lib. V. Hiftor. ad a. 1596. ambitionis autem ftimulis nimium *Donellum* fuiffe agitatum, ex eo patet, quod *Cuiacii* promotionem in locum *Balduini* æquo animo non ferret, reprehenfus ob id a *Michaele Hofpitalio*, cuius epiftola nec non *Donelli* refponfio in opufc. *Donelli* poftum. pag. 269. & 276. extant.

§. XVIII.

Commentariorum de iure ciuili XXIIX. fcripfit libros, in quibus vniuerfum ius ciuile fingulari artificio ac methodo explicauit, nec minus Codicem vberrimis fuis commentationibus illuftrauit, variaque alia fcripta, doctrinæ & elegantiæ plena, reliquit *a*).

a) Vitam *Donelli* ex oratione funebri *Scipionis Gentilis* clariff. *Buderus* in vit. ICt. p. 77. exhibet, fimulque p. 221. fcripta eius recenfet.

§. XIX.

Omnes tamen & doctrina & editis fcriptis longo poft fe reliquit interuallo *Iacobus Cuiacius* Tholofanus, qui ex latericia iurisprudentia auream fecit, adeo, vt mafculam illam iuris fcientiam, ab *Alciato* reuocatam & poftliminio reftitutam, Cuiacianam appellemus.

§. XX.

Natus autem eft *Cuiacius* Tholofæ circa a. 1522. &, poftquam fe ipfe Græcis Latinisque litteris inftruxiffet, *Arnoldum Ferrerium* ICtum Tholofæ docentem, cui etiam poftea commentarium fuum de

vſurpationibus & vſucapionibus inſcripſit *a*), in iure audiuit.

a) a. nimirum 1556. cum *Ferrerius* Senatus Pariſienſis Præſes eſſet.

§. XXI.

Cum autem Tholoſani in petitione profeſſionis *Stephanum Forcatulum*, hominem inſulſum & ad docendum minus idoneum, *Cuiacio* antepoſuiſſent, Cadurcum, & mox Biturigas migrauit, ibique *Franciſco Balduino*, qui propter repudiatam Pontificiorum religionem *a*) in Academias Argentinam & Heidelbergenſem conceſſerat, in docendi munere ſucceſſit, illique per quadraginta fere annos ſumma cum exiſtimatione, & nominis fama præfuit *b*).

a) Quamplurimi tunc ICti, nimirum *Hugo Donellus*, *Franc. Balduinus*, & *Franc. Hottomannus* caſtra Pontificiorum deſerebant, aſt *Cuiacius* religionis Romanæ tenaciſſimus fuit, & ad quæſtiones theologicas reſpondit: *Nihil hoc ad edictum Prætoris.* vid. tamen *Clericus* in Bibl. Antiq. & hodiern. T. IX. *b*) agnouerunt hunc errorem poſtea Tholoſani & ſæpius *Cuiacium*, ad docendum in ſchola ſua, inuitarunt, ſed fruſtra, vtpote qui reſpondiſſe illis fertur:

Senatui P. Q. Tholoſano Iacobus Cuiacius
S. P. D.
Fruſtra abſentem requiritis, quem præſentem neglexiſtis, valete.

vid. *Gab. Vallus* ad L. 91. D. ad *L. Falcid.* & *Leickher* in notis ad vitam Cuiacii a *Maſſonio* deſcriptam pag. 265.

§. XXII.

Scripſit atque edidit quamplurima; vt, ſi antea natus eſſet, omnium interpretum vice fuiſſet; in primis autem notari meretur, quod non ſolum veterum ICtorum, *Papiniani* nimirum, *Africani*, *Vlpiani*, *Modeſtini* aliorumque fragmenta, in Digeſtis, reliqua,

in ordinem coëgerit atque commentariis suis illustrauerit, sed quod ipsa etiam veteris Iuris Romani & Græci monumenta, vt Codicem Theodosianum, Vlpiani regulas, libros Basilικῶν, aliaque, in lucem protraxerit.

§. XXIII.

Varios *Cuiacius*, partim ob doctrinæ præstantiam, partim quod nec parem nec superiorem ferre posset, *a*) nactus est aduersarios, nimirum *Franciscum Duarenum*, cum quo acres contentiones habuit, adeo, vt, ad vitanda maiora incommoda, quæ imminere scholæ Bituricensi inde videbantur, *Cuiacius* Valentiam per aliquot tempus migrauerit *b*).

a) Ita Ioannem Robertum *Sero in orbe natum* Lib. XV. Obs. c. 20. Guilielmum vero Fornerium, *Fornacarium* appellauit. *b*) vid. *Masson* in vita *Cuiacii*, ibique *Leickher* in not. p. 280.

§. XXIV.

Secundus *Cuiacii* aduersarius *Franciscus Hottomannus* fuit, qui non solum dissertationem *de Iustinianeo aureo* aduersus illius *Obseruat.* 31. *Lib.* XIX. edidit *a*), sed etiam duos amicabilium responsorum libros *b*) *Cuiacii* Obseruationum libris opposuit *c*).

a) Basileæ apud *Euseb. Episcopium* 1548. 8. *b*) qui cum libris eius obseru. & emend. Geneu. 1586. 1589. f. prodierunt. *c*) primores inter *Cuiacium* & *Hottomannum* controuersias in Iuris studiosorum libro singulari *Marcus Lyclama* a *Nycholt* Franek. 1609. 8. recensuit.

§. XXV.

Tertius fuit *Ioannes Robertus* Aurelianensis ICtus. Cum enim hic receptarum lectionum libros duos Aurelii a. 1567. 4. edidisset, *Cuiacii*que facilitatem in emendandis textibus notasset, *Cuiacius* illum in obseruationum libris male habuit, & Lib. XV. Obs. 20. *Sero in orbe natum*, transpositis litteris, vocauit, quibus *Robertus* tres animaduersionum libros a. 1580.

Pari-

Parisiis opposuit, ad quos, cum *Cuiacius* sub nomine Mercatoris a. 1581. Biturig. notata scripsisset, *Robertus* iterum notas Aureliæ a. 1582. 4. edidit.

§. XXVI.

Quartum deinde aduersarium *Cuiacius* nactus est *Marsium Gordonium* Cadurcensem, qui in prætermissorum libro, legum quarumdam receptam lectionem aduersus eum defendit. Voluit equidem *Ioannes Steckius* in obseruationibus anticriticis in *Cuiacium* inuehi *a*), eiusque emendationes Legum carpere, sed imperiti hominis audaciam quilibet statim agnouit.

a) Cuiacianum morem vocans abrumpere non soluere & affirmationem in negatiuam mutare, sed Steckium *Iacobus Gothofredus* libro singulari animaduersionum mordaci aceto excepit: nec minus *Albericus Gentilis* in libris Epist. & lectionum multa contra Cuiacium disputauit, sed hic Gentili non respondit. de aliis *Cuiacii* aduersariis vid. *Merillius* in præfat. ad Lib. III. ex Cuiacio c. 3.

§. XXVII.

Reprehendere etiam Cuiacium *Antonius Faber* passim in scriptis suis voluit *a*), sed pro *Cuiacio* aduersum *Fabrum* operas gratuitas aliquis sub nomine *Antonii Mercatoris* scripsit *Cuiacium*que defendit *b*).

a) Nec minus *Ægidius Menagius* notas in obseruationes *Cuiacii* scripsit, sed, vtrum illæ in publicum emissæ fuerint, nescio. *b*) Lugdun. Batau. 1616. 8.

§. XXVIII.

Vitam *Iacobi Cuiacii* atque elogium breui & eleganti stylo *Ioann. Papirius Masson a*) scripsit; opera vero eius coniunctim Parisiis 1578. f. ac postea Francofurti a. 1595. IV. Tom. 4. & Hanouiæ 1602. apud *Wechel.* f. nec non Lugduni 1606. f. præmisso tractatu *Alexandri Scoti* de controuersiis *Cuiacii* sententiis, prodierunt. Hisce operibus deinde accesserunt opera postuma *b*), prioribus addita, Paris. 1637. VI. Tom. f. Tandem nouam *Cuiacii* operum tam priorum, quam posteriorum editionem, in X. To-

mos

mos distributam, *Carolus Annibal Fabrottus* Paris. 1658. f. adornauit *c*).

a) Elog. P. II. pag. 291. & apud *Leickherum* pag. 264. conf. *Iac. Thuanus* Lib. XCIX. Histor. *Pancir.* Lib. II. c. 190. & *Grauina* n. 180. *b*) Emendationes erratorum in editionibus operum istorum postumorum quæ Francof. 1595. lucem viderant, ex MSCto Codice *Henr. Ernstius* in Catholicis iuris, Hafniæ 1634. 22. editis, concinnauit. *c*)Nouam horum operum editionem Clarissimus *Heineccius* erudito orbi promisit.

§. XXIX.

Eadem ætate *Franciscus Hottomannus* & *Barnabas Brissonius*, ICti eximii, floruerunt, quorum *ille* primum Aureliæ iura docuit, postea vero Senatoriam Parisiis tenuit dignitatem; sed, cum Caluini doctrinam amplexus esset, varia fata aduersa habuit, & tandem Basileam se contulit, ibique vsque ad annum 1590, qua vitam cum morte commutauit, iura maxima facundia professus est.

§. XXX.

Varia scripta, in quibus elegantiores litteras perpetuo cum iuris studio coniunxit, reliquit, quæ *Iacobus Lectius*, ICtus Geneuensis, edidit *a*). vitam eius, a *Petro Neueleto Doschio* descriptam, Leickherriana collectio exhibet *b*).

a) Geneuæ apud heredes *Eustathii Vignon* & *Iacobum Stoer* an. 1599. tribus Tom. in fol. *b*) p. 206.

§. XXXI.

Ad *Barnabam Brissonium* *a*) Romanæ Iurisprudentiæ omnisque antiquitatis peritissimum ICtum, quod attinet, is accurata sua iuris scientia hoc consecutus est, vt primo fisci patronus, mox consiliarius factus, & tandem ad Præsidis Parlamenti Parisiensis dignitatem euectus fuerit, sed, Parisinis aduersus regem tumultuantibus, miserabilem vitæ nactus est exitum *b*).

a) Vitam

§. XXXIV.

Nec prætermittendi ſunt celeberrimi ICti, qui in aliis Galliæ ſcholis, nimirum Pariſienſi, Aurelianenſi, & Valentina, iura magna nominis celebritate docuerunt, vt *Guilielmus & Radulphus Fornerius*, *Franciſcus Connanus*, *Anton. Mornacius* a) *Petrus* b) *& Franciſcus Pithœi*, *Ianus a Coſta*, *Franciſcus Florens* c), *Ioann. Dartis* d), *Ioann. Douiatius*, *Aegidius Menagius &c.*

a) Cuius opera Pariſ. 1654. III. Vol. f. & Pariſ. 1721. IV. Vol. f. prodierunt. b) Vita *Petri Pithœi* ſcripta a *Iosia Mercero* apud *Leickher* pag. 353. inuenitur, nec minus vitam eius *Ioann. Boiuin* Pariſ. 1715. 4. & *Loiſel.* Aduocatus quidam Gallicè conſcripſerunt & ediderunt. vid. Iournal des Sçauans a. 1726. menſ. Octobr. c) vita *Florentis*, opera & ſtilo *Ioannis Douiatii* delineata, præmiſſa eſt operibus Florentis Pariſ. 1697. 2. Vol. in 4. cura eiusdem *Douiatii* editis. d) vitam *Dartiſii* idem *Douiatius* deſcripſit, opera vero eius Canonica, in tres partes diſtributa, Pariſ. 1656. prodiere.

§. XXXV.

Piaculum eſſet prætermittere *Iacobum Lectium*, ICtum Geneuenſem, *Antonium Fabrum*, ICtum acutum a) ac, edito Codice Sabaudico aliisque ſcriptis, clarum. *Dionyſium* patrem & *Iacobum Gothofredum* filium, quorum *ille* notis, quibus totum iuris ciuilis corpus illuſtrauit, clarus extitit, *hic* vero, editis egregiis ad Codicem Theodoſianum commentariis, immortalitatem nominis conſecutus eſt.

a) Edidit Coniecturarum libros XX. contra quos *Hieron. Borgia* inueſtigationum libros XX. quibus illæ inueſtigantur & refelluntur, Neapoli 1674. 2. vol. fol. edidit.

§. XXXVI.

Sicuti autem ab Italis, *Andrea* nimirum *Alciato*, elegans & maſcula illa cœpit Iurisprudentia, & a Gallis

Gallis ad summum fastigium perducta fuit; ita ad ICtos Belgas propagata, & ad nostram ætatem continuata fuit, vt hi soli hodie superesse videantur, qui humanitatis studia cum iuris ciuilis studio coniungant *a*).

a) Conf. *Iac. Burchardi.* Pr. Quid caussæ sit, cur humanitatis studiis maius hodieque à Batauis quam à Germanis statuatur pretium. Hildburgh. 1718. edit.

§. XXXVII.

Præ cæteris autem ex Belgis, & nominis fama & scriptis editis, floruerunt *Viglius Zuichemus Frisius* primus Theophili editor, *Iacobus Ræuardus*, variis editis scriptis clarus, *Iulius Pacius*, *Iacobus Curtius*, *Antonius Perez*, felix Codicis Iustinianei interpres, *Arnoldus Vinnius*, *Ioann. Iacobus Wissembachius*, *Antonius Matthæi*, *Marcus Lyclama*, *Cornelius Eckius*, *Gerardus Noodtius*, & qui adhuc hodie solidam illam ac masculam Iurisprudentiam a caussidicorum iniuriis vindicant, legibusque Romanis priscam reddunt lucem, *Cornelius* nimirum *Bynckersboeckius*, *Zacharias Huberus*, *Antonius Schulting*, *Henricus Brenckmann*, *Euerard Otto*, *Abraham Wieling*, aliique quamplurimi.

§. XXXIIX.

Caue tamen, solos exteros a barbarie veterum iuris interpretum recessisse, existimes; Germania enim nostra etiam præstantissimos ICtos, quibus solida illa Iurisprudentia curæ cordique fuit, semper aluit, inter quos *Vldaricus Zasius*, *Gregorius Haloander*, *Marquardus Freberus*, *Ioann. Leunclauius*, *Nicolaus Cisnerus*, *Ioannes Ficbardus*, *Obertus Gipbanius*, *Rittersbusii*, *Vulteii*, *Goeddæus*, *Ioannes Strauchius*, *Ioann. Philipp. Sleuogtius*, aliique quam plurimi, memorandi sunt.

§. XXXIX.

Et quamuis aliæ ac ab elegantia longe remotæ iura tractandi in scholis Germaniæ innotuerint methodi, dum quidam disputando habitum iurisprudentiæ acquiri

acquiri posse crediderunt, alii per systemata ius ciuile tractare cœperunt, rursus alii ope compendiorum ICtos euadere posse, sibi persuaserunt, alii denique per quatuor caussarum genera, more Ramistico, ius ciuile professi sunt; non tamen defuerunt, nec adhuc hodie desunt, qui fontes riuulis praeferunt, atque solidam illam Iurisprudentiam Cuiacianam & dictis & scriptis suis exprimunt.

a) Scripta ICtorum ex schola Cuiaciana descendentium in Thesauro iur. ciuilis. cuius Tom. I. Lugd. Batav. a. 1725. Tom. II. a. 1726. & Tom. III. a. 1727. nec non Tom. IV. fol. prodierunt, opera & studio Vir. Clar. *Euer. Ottonis.* collecta reperimus. Edidit equidem *Pompeius Limpius* octo Volumina Repetit. Iur. Ciu. Venet. 1608. sed paucos ibi reperiri libros, artibus & litteris excultos, recte *Euer. Ott.* in praef. T. I. Thes. Iur. Ciu. praemissa, iudicat.

C A P. IX.

DE SCHOLA ICTORVM RAMISTICA.

§. I.

NOuam iura tractandi methodum, qua hodie plerique ICtorum utuntur, nimirum *Methodum caussarum*, a *Petro Ramo*, summo Philosopho, Ramisticam dictam, *Matthaeus Wesembecius*, ICtus celeberrimus, in scholas ICtorum introduxit.

§. II.

Cum enim *Petrus Ramus* per locos Topicos Philosophiam docere inciperet, & plerique eruditi, Theologi, Medici, Philosophi a) pariter ac ICti, hanc methodum, scientiis perspicue atque distincte proponendis, aptam iudicarent, *Matthaeus Wesembecius* etiam, qui Parisiis in elegantiores litteras incubuerat, & fortasse ipsum *Ramum* audiuerat, hanc methodum Iurisprudentiae adplicuit, & secundum quatuor causarum genera, ius ciuile tam viua voce, quam in scriptis suis exposuit.

 a) Ad-

a) Admiratores tamen Atiſtotelis Rami methodum ferre non potuerunt, unde etiam *Ramus* varia fata hanc ob rem habuit, quæ *Talæus* in vita Rami & *Io. Launoi.* De varia fortuna Ariſtotelis in Acad. Pariſ. cap 13. & 14. recenſuerunt.

§. III.

Quæ methodus Ramiſtica tanto plauſu a ICtis, etiam illis, qui alias *Rami* philoſophiam nihil faciebant, excepta fuit, vt plerorumque ICtorum ſæculi XVI. & XVII. opera Iuridica hac methodo conſcripta fuerint edita *a*).

a) Hinc Dn. *Thomaſius* in Introduct. ad philoſoph. Aulic. p. 215. *Eadem* ait, *confuſio metaphyſicæ cum Iurisprudentia Romana videtur originem debere Ramiſtis ſuperioris ſeculi, potiſſimum Weſembecio, poſt quem etiam non Ramiſtis hæc cauſarum methodus egregie placuit, ita vt hodie communi academiarum errore pro ICto non habeatur, qui thema aliquod per illa quatuor genera cauſarum ſummo cum eiusdem cruciatu non fuſtiget; Neque ſperandum facile eſt, vt hac parte ſanetur iurisprudentia Romana, poſtquam illi, qui optima quæque in Weſembecio, vt errores perſtringunt, in his ineptiis Weſembecium ſuperare omni ſtudio laborant.*

§. IV.

Natus fuit *Matthæus Weſembecius*, huius methodi auctor, illuſtribus parentibus, Patre ſcilicet *Petro a Weſembeck* & matre *Barbara Cilia*, Antuerpiæ anno 1531. &, poſteaquam Louanii, præeunte *Gabriele Mudæo* ICto, fundamenta in iurisprudentia iecit, relicto Belgio, Galliam ibique ſcholam Pariſinam viſitauit, & deinde in Germaniam, repudiata religione pontificia, conceſſit *a*).

a) Non confundendus eſt Matth. Weſembecius cum Petro Weſembecio, fratris ſui filio, qui etiam Anteceſſor Ienenſis fuit.

§. V.

Vbi, peruagatis nonnullis oppidis & academiis, variisque iactatus difficultatibus, celeberrimam hanc Salanam adiit, & non ſolum ſummos in iure hono-

res,

res, sed etiam professionem iuris circa a. 1558. *a*) in nouiter instaurata hac schola consecutus est

a) Scribit enim in epistola, a. 1560. VI Id. Iul. ad Serenissimum Ducem *Ioannem Fridericum* data, quam vir doctissimus *Ioannes Ioachim Müllerus* dem entdeckten Staats-Cabinet P. I. c. 3. p. 42. inseruit, se per triennium & amplius Ienæ vixisse.

§. VI.

Sed, posteaquam per aliquod tempus Ienæ summo cum Academiæ commodo iura professus fuit, Elector Augustus Vitebergam illum a. 1568. euocauit; vbi etiam vsque ad a. 1587. quo vitam cum morte commutauit, professionem iuris summa cum laude & hominum admiratione tenuit *a*).

a) Fortasse fulgur excommunicationis, quo Ministerium Ienense a. 1560. *Wesembecium* persecutum fuit, & cuius acta Dn. *Müllerus* dem eröffneten Staats-Cabinet P. I. c. 3. inseruit, causa fuit, vt vocationem, ab Electore missam, acceptauerit.

§. VII.

Vitam *Wesembecii* partim ipse narrauit *a*), partim *Michael van der Perre*, ICtus Louaniensis *b*), *Andreas Rauchbar c*), ICtus Vitebergensis, & *Nicolaus Hieronymus Gundlingius d*) descripserunt.

a) In narratiuncula, orationi de *Papiniano* a. 1570. subiecta. *b*) qui vitam *Wesembecii* paratitlis eius a. 1650. 4. editis, præmisit. *c*) in oratione de vita & obitu *Wesembecii*, Vitebergæ a. 1587. recitata. *d*) in Otiis P. 2. cap. 4.

§. VIII.

Licet autem plerique ICtorum post *Wesembecium* ad hæc vsque tempora methodo caussarum inhæreant, atque nimio studio ad res morales atque iuridicas illam adplicent: attamen non omnes iuris materias commode per quatuor caussas tractari posse, quilibet æquus rerum æstimator facile videt *a*), quod etiam *Ioannes Nicolaus Hertius*, qui alias hanc methodum aduersus *Thomasium* defendit, concede-

re, nec quodlibet argumentum methodum hancce caufarum recipere, confiteri debuit *b*).

a) v. Dn. *Gundlingii* otia P. 3. p. 241. *b*) in Diff. de Iurisprudentia vniverfali §. 22.

CAP. X.

DE RECEPTIONE IVRIS ROMANI IN GERMANIA.

§. I.

OMnes quidem ius Romanum in Germania receptum effe, & ad cauffarum adhiberi decifionem, vno ore fatentur; fed quando hoc factum, quomodo, ob quam cauffam & denique in quantum illud receptum fit, non conuenit.

§. II.

Artburus enim *Duckius*, qui totus in extollendo iure Romano fuit, ius Romanum in Germania effe originarium & domefticum, ex eo ftatuit *a*), quod, translata Monarchia Romana a Romanis ad Germanos, Legum Romanarum auctoritas etiam Majeftatem imperii Romani fequi debeat; fed huius rationes *Hermannus Conringius b*), & *Erneftus Ioachim Weftphal c*) fatis refellerunt. &, monarchiam a Romanis ad Germanos non effe tranflatam, oftenderunt.

a) De vfu & auctor. iur. Rom. Lib. II. c. 2. §. 20. *b*) de Orig. Iur. Germ. c. 23. *c*) in Diff. Roftoch. de *Iuris Rom. indole & obligandi diuerfa ratione ac dignitate* cap. 1. §. X.

§. III.

Alii, vt *Chriftoph. Lebmann a*) & *Ioannes Schilter b*), iuris Romani vfum iam Sæculo X. & fequentibus in Germania viguiffe, quod Reges Francorum in Capitularibus fuis, *Gratianus* in Decreto, aliique eius ætatis fcriptores frequenter ad Legem Romanam

nam prouocent:,sibi persuadent; sed illos, ius Ante-Iustinianeum cum Iustinianeo, Galliam cum Germania, confundere, iam supra monuimus.

a) Lib. II. Chron. Spir. c. 39. b) in Diss. *de Inuestitura Princip. Imperii simult.* §. 2. c) Part. 1. c. fin.

§. IV.

Rursus alii, sæculo XII. ius Romanum, abolitis etiam patriis iuribus, per *Lotharium II.* Imperatorem non solum in Italia, sed & Germania fuisse receptum, credunt; sed falsum hoc esse, *Hermann. Conringius a), Georg. Calixtus b), Christoph Adam. Rupertus c),* & *Henricus Linckius d)* ex historia ciuili solide commonstrarunt.

a) De orig. Iur. Germ. c. 22. & 23. b) in appar. theol. p. 135. & in arte nou. p. 14. c) ad Besoldi Synops. p. 561. d) *de iur. Iust. auctor.* differt. 1.

§. V.

Alii porro receptionem Iuris Romani in Germania *Friderico I.* Imperatori adscribunt, quod in comitiis Roncaliensibus non solum iura Romana professus sit, sed etiam Authenticam *Habita C. Ne filius pro patre* in gratiam studiosorum Codici inserere iusserit; sed quamuis negandum non sit, *Fridericum I.* magni & Ius Romanum & eius interpretes, ob rationes supra a) adductas, fecisse b), exinde tamen, illum ius Romanum in fora Germaniæ introduxisse, non sequi, quilibet facile cognoscet.

a) P. III. Membr. II. c. 4. b) Hinc etiam Imperator apud *Radeuicum* Lib. II. c. 5. in vita eius dixit: *Nostis, quod iura ciuilia nostris beneficiis in summum prouecta, firmata, ac moribus vtentium adprobata, satis babeant roboris*, vid. *Strauch.* in Irnerio non errante cap. 2. th. 7. & *E. Mauricius* de Lib. Iur. ciu. th. 21. in fin. *Conrad. Sincerus* in Diss. epistol. §. 38. & 39. *Stryck* de usu & auctor. Iur. Rom. in for. Germ. §. 21.

§. VI.

Sunt denique, qui Sæculo XIII. vel demum XV, Ius Romanum in Germania receptum esse, asserunt; quorum sententiæ, modo inter receptionem priuatam, quæ Sæculo XIII. & publicam, quæ Sæculo XV. contigit, distinguamus, & nos subscribimus *a*).

a) Et sub hac distinctione etiam *Conringium* cap. 32. de orig. Iur. Germ. vbi, nonnisi Sæculo XV. Ius Ciuile in scholas & fora Germaniæ introductum esse, statuit, intelligimus.

§. VII.

Primaria autem iuris Romani in Germania introducti atque recepti occasio peregrinationes iuuenum nostrorum, trans Alpes ad Academias Bononiensem præcipue & Parisinam *a*) iuris ciuilis discendi causa institutæ, fuerunt.

a) Quod studiosi, imo proceres Germaniæ etiam ad Parisiensem academiam ea ætate commigrarint, ex *Arnoldo Lubecensi* Lib. III. c. 5. teste omni exceptione maiori, *Rigordo* Chronographo Parif. ad annum 1209. *Alberico Monacho* ad a. 1209. apud *Leibnit.* p. 451. aliisque, a Dn. *Struuio* in hist. iur. pag. 533. citatis, probatur; addatur *Bulæi* Histor. Acad. Parisiensis, *Conring.* in Antiq. acad Differt. I. & Dn. *Boëbmerus* in Comm. ad X. Tit. II. Lib. I. §. 28.

§. VIII.

Cum enim ante Sæculum XIV. Germania academiis plane destituta esset, iuuenes nostri magno numero in Italiam atque Galliam *a*), iuris discendi causa, contendebant, reuersique in patriam, ius, quo ibidem innutriti erant, in iudicia atque aulas Germaniæ introducebant.

a) Vbi iam sæculo XII. Iuris ciuilis & Canonici studium floruit v. *Bulæus* in hist. vniuers. Paris. T. II. ad sæcul. vniuers. IV. p. 580. & Dn. *Boëbmer* in V. M. X. sub tit. *de Constitut.* §. 28.

§. IX.

§. IX.

Veniſſe autem iam Sæculo XII. & XIII. in Italiam & Galliam Germanos, partim ex Authentica *Habita C. ne filius pro Patre*, a *Friderico I.* Imperatore in gratiam ſtudioſorum, ſtudiorum cauſſa peregrinantium, a. 1158. data *a*), partim ex ingenti ſtudioſorum numero, qui ea ætate Bononiæ fuit *b*), partim ex eo, quod Germanorum natio ſeparatam ibi conſtituerit ſocietatem, ſuosque Conſiliarios, procuratores, a iurisdictione Rectoris exemtos, ac ſeparata ſacra ſepulchraque habuerit *c*), luculenter probatur.

a) Quod hæc Authentica non de Italis, ſed peregrinis, longum iter facientibus, loquatur, ex ipſis eius verbis, quando Imperator, *ſe in fauorem ſcholarium, qui ſtudiorum cauſſa peregrinantur, qui amore ſcientiæ exules ſiunt, de diuitibus pauperes, qui ſemet ipſos exinaniunt, vitam ſuam multis periculis exponunt*, conſtituiſſe dicit, probatur. *b*) referunt enim *Sigonius* Lib. II. Rer. Bonon. & *Grauina* in Orig. Iur. Ciu. n. 151. ex *Odofredo* tempore *Azonis* celeberrimo Gloſſatore, decem ſtudioſorum millia Bononiæ fuiſſe, quorum magna pars Germanica iuuentute conſtabat, notante *Hottomanno* in dedic. præfixa comment. ad Inſtit. & *Bolognino* ad Auth. *Habita* C. *ne filius pro patre n.* 63. *c*) vid *Iacob. Middendorp.* de priuil. acad. Lib. IV. pag. 11. *Limnæus* Lib. IV. Iuris Publ. c. 4. n. 66. *Schrader* in Monum. Ital. pag 54. & 65. & *Anton. Gattus* in Hiſtor. Gymn. Ticinenſ. cap. 13. & 14.

§. X.

Hoc ius itaque ciuile, quod iuvenes Germani trans Alpes didicerant, & ſecum in patriam adduxerant, ſtatim in vſum deductum, & ad negotiorum tam priuatorum, quam publicorum deciſionem adhibitum fuit, imo, quod maximum eſt, ipſis Germaniæ Legibus admixtum reperitur.

§. XI.

Quod ſi enim publicas Sæculi XIII. XIV. & XV.

 inſpi-

inspiciamus tabulas, iuris Romani vsum illæ clarissime loquuntur; ita *Ioann. Petrus de Ludwig a)* diploma sæculi XIII. adducit, ex quo, Comitem quendam Schwartzburgicum, iudicem Austregalem inter Electorem Brandenburgicum & Archiepiscopum Magdeburgensem electum, non ante sententiam dicere voluisse, quam Romani iuris peritos conscripsisset, patescit.

a) Von den Mängeln und Verbesserung des Teutschen Lehn-Rechts. p. 14.

§. XII.

Simili modo *Philipp. Balthasar Gerdesius a)* ex *Kantzouii* MSCto Historiæ Pomeraniæ diploma a. 1290. quod iuris Canonici, ciuilis & Vasallagii, des Mann-Rechts / meminit, adducit: pariter *Fridericus* Elector Palatinus, dum, ab Imperatore *Friderico* se armis impetitum, publicis scriptis a. 1462. conqueritur, ad Ius Romanum prouocat *b)*.

a) In Exercit. de Norma iudicandi leges feudales in Germania p. 25. *b)* apud *Dattium* de Pace publ. Lib. I. c. 27. & 74.

§. XIII.

Præterea huius rei fidem faciunt renunciationes iuris Romani, quæ in Sæculi XIII. & XIV. diplomatibus frequentissime occurrunt. Ita in tabulis venditionis, inter Duces Slauorum & Episcopum Caminensem a 1276. factæ, renunciatio Iuris Ciuilis & Canonici reperitur *a)*; pari modo Per-Illustris L. Baro *de Lyncker* diploma, a. 1340. confectum, producit *b)*, in quo Comes quidam Gleichensis Canonico & ciuili iuri omnibusque horum iurium beneficiis renunciat, plura harum renunciationum exempla apud *Nicolaum Schatenium c)*, *Ioannem Schilterum d)*, *Ioannem Nic. Hertium e)*, Dn. *Struuium f)*, & *Boëhmerum g)*, occurrunt.

a) Apud *Mart. Rangonem* Pomer. Diplomat. pag. 265. *b)* Com-

b) Comment. in ius ciuile ad tit. de orig. iur. §. 11. *c*) Lib. XI. & XII. Ann. Paderb. *d*) de inueſtit. ſimult. princ cap. 3. §. 2. *e*) in diſſert. *de Conſultat. Legib. & Iudiciis* §. 14. *f*) in hiſtor. iur. Germ. p. 351. *g*) in Vſu Mod. X. p. 1. n. 114.

§. XIV.

Probatur etiam iuris Romani in Germania receptio ex immixtione huius iuris Romani in Leges patrias, ſæculo XIII. & XIV. conditas; quodſi enim ſpeculum Saxonicum *a*) & Sueuicum *b*) euoluimus, quam plurima capita, ex Iure Romano depromta, in illis reperimus; pari modo Aureæ Bullæ Titulis XXIV. ex iure Romano, & quidem ex L. 5. 6. & 7. C. *ad L. Maieſtatis* eſt depromtus *c*).

a) Ita artic. 37. Lib. I. & 56. Lib. II. nec non artic. 63. Lib. II. des Sächſiſchen Land-Rechts / vbi ad *Caleſurniam* fœminam Romanam prouocatur, ex iure Romano ſunt deſumti, vid. *Stryckius* de vſu & auctor. iur. Rom. in foris Germ. §. 10. *b*) Sic cap. VI. Lib. I. Speculi Sueu. ex Tit. Inſtit. *de Iure N. G. & Ciu.* eſt deſumtum, in cap. 41. ad *L.* 5. §. 2. π. *de ſtatu hom.* in cap. 64. ad L. Aeliam Sentiam prouocatur, nec minus cap. 253. cauſſæ exheredationis in Nouella *Iuſtiniani* n. 3. c. 3. recenſentur, plura habet Dn. *Struuius* in hiſt. Germ. p. 489. *c*) de aliis iuris Romani capitibus, Legibus Germaniæ tum temporis admixtis, v. *Hertius* de Conſult. LL. & Iudic. §. 14. & Dn. *Boëhmerus* in Vſu Mod. X. Lib. I. Tit. 2. §. 20.

§. XV.

Non parum priuata hæc iuris Romani in Germania auctoritas per itinera Imperatorum, in Italiam frequenter ſuſcepta, promota fuit; vt enim Cæſares ICtos Italos ſummo in honore habebant *a*). ita etiam quosdam ſecum in Germaniam adducebant, atque grauiſſimis, imperii non minus quam aulæ ſuæ, negotiis illos adhibebant.

a) Vid. Hiſt. Noſtr. P. III. Memb. II. c. 4.

§. XVI.

Ita *Ludouicus Bauarus* Imperator defensoribus *Dante Aligerio* Florentino, *Marsilio* Patauino & *Guilielmo Occamo*, peregrinis hominibus, aduersus Pontificum molimina vsus fuit *a*), quod apologiæ, pro hoc Imperatore scriptæ, variis, ex iure Iustinianeo depromtis, flosculis auctoritateque ICtorum plenæ *b*), satis probant *c*).

a) Vnde *Nic. Burgundus* in Histor. Bau. in *Ludouico* IV. p. 82. *At ille*, ait, *quoque caussæ suæ non deerat, Theologorum & iurisprudentum sententias explorans, quos ea ætas nouerat præstantissimos; Academia Parisiensis totum illum litis progressum nullius momenti esse censebat: Idem in Italia ICti responderant. Cum his consentiebant Germani.* *b*) quæ recensentur apud *Gladou.* in dem Versuch der Reichs-Historie in vita *Ludouici Bauari* §. 29. & Dn. *Struuium* Hist. Iur. Publ. pag. 839. *c*) Idem Imperator *Vdalrico*, homine in vtroque iure perito, teste *Tritbemio* Ann. ad a. 1333. vsus fuit.

§. XVII.

Pariter *Carolus* IV. Imperator, in Italia per aliquot tempus degens, nouas academias, Ticinensem nimirum & Florentinam, fundauit, *Bartolum*, celebrem iuris Iustinianei interpretem, Consiliarium habuit, eumque ad Aureæ Bullæ confectionem adhibuit; Nec minus *Wenceslaus*, *Rupertus* & *Sigismundus a*) Consiliariis, iuris Romani peritis, vsi fuerunt.

a) Huic enim Imperatori *Georgius Fiscellus* I. V. D. a. consiliis fuit. v. *Conring.* de Orig. iur. Germ. c. 32.

§. XVIII.

Vt autem Cæsares Iuris Iustinianei interpretes secum ex Italia adduxerunt illorumque consiliis vsi fuerunt; ita principes non minus imperii viros, huius iuris peritos, in aulis suis habuerunt; exemplo esse poterit *Bogislaus* X. Pomeraniæ Dux, qui *Petrum*

trum Rauennatem eiusque filium, teste *Hermanno Conringio a*), ex Italia secum adduxit.

a) De orig. iur. Germ. cap. 32.

§. XIX.

Stabilita praeterea atque in vsum fuit deducta iuris Romani in Germania auctoritas per Academias, Saeculo XIV. institutas, nimirum Viennensem, Erfurtensem, Heidelbergensem ac Ingolstadiensem; in his enim iuris canonici iuxta ac ciuilis Professores constituebantur, simulque iuris ciuilis publice docendi licentiam nanciscebantur.

§. XX.

De Viennensi Academia *Vrbani* Pontificis apud *Petrum Lambecium a*) extat priuilegium de a. 1363, quo iuris ciuilis & Canonici docendi licentia Professoribus conceditur; idem Priuilegium *Clemens* VI. a. 1387. & *Vrbanus* VII. a. 1389. Academiae Erfurtensi *b*), *Rupertus* Imperator Heidelbergensi *c*) & *Ludouicus Diues*, Dux Bauariae, Ingolstadiensi tribuit.

a) Lib. II. Comment. Bibl. Vindeb. c. 5. pag. 85. *b*) vid. *Conring*. de orig. iur. Germ. §. 31. & *Stryck*. de vsu & auth. iur Rom in for. Germ. §. 22. *c*) Diploma *Ruperti Palatini* de a. 1380. *Tolnerus* in Hist. Palat. pag. 122. exhibet. *d*) vid. *Wiguleius Hund.* Metrop. Salisburg. p. 239.

§. XXI.

Consummata tandem haec iuris Romani auctoritas fuit, per honores & dignitates, quibus saeculo XV. iuris Ciuilis ornabantur Doctores. Cum enim publicis negotiis ab Imperatoribus & principibus non tantum adhiberentur, sed etiam sub *Sigismundo* in Concilio Constantiensi cap. 6. a. 1416. quaedam ecclesiarum beneficia illis destinata essent *a*); factum est, vt ingens Doctorum numerus nasceretur *b*), hoc modo iuris Romani auctoritas in dies cresceret,

a) vid.

a) vid. *Goldast.* T. II. der Reichs-Satzungen pag. 90. simile quid in Concil. Basil. a. 1440. cap. 9. propositum fuisse, ex eodem *Goldasto* pag. 149. constat. b) Quare *Fridericus* III. Imperator de eorum numero restringendo, iisque a iudiciis & consiliis penitus semouendis in Comitiis Moguntinis de a. 1440. cogitauit; sed irrita eius fuisse consilia, nihilque penitus contra Doctores vsumque iuris ciuilis eo tempore fuisse statutum, ex Rec. Imp. de a. 1442, patet. v. *Goldast.* T. I. derer Reichs-Satzungen f. 116. *Müller* in Reichs-Tags-Theatro P. I. c. 5, *Thomasius* in quæstion. promiscuis, a. 1693 editis, qu. 10.

§. XXII.

Receptio itaque iuris Romani in foris Germaniæ ex hactenus deductis patet, sed priuata, instrumentalis & scholastica: quare nunc etiam, quando ius Romanum publice in Germaniæ tribunalibus receptum fuerit, inquirendum erit.

§. XXIII.

Ad legalem & publicam itaque in foris Germaniæ quod attinet receptionem, illa circa finem sæculi XV. demum contigit, quo gloriosissimæ memoriæ Imperator *Maximilianus* I. Camerale iudicium fundauit, atque publicam iuri Romano indulsit auctoritatem.

§. XXIV.

Cum enim Germania multis retro sæculis bellis intestinis atque diffidationibus misere diuexata, iusque in viribus positum fuisset, Ordines Imperii, hisce patriæ nostræ calamitatibus moti, assiduis sollicitationibus Imperatores adierunt, vtque non tantum pax publica restitueretur, & ius illud manuarium aboleretur, sed etiam Tribunal quoddam imperii, in quo caussæ principum controuersæ legitime proponi ac dirimi possent, institueretur, vehementer vrserunt.

§. XXV.

Constituta equidem erant in Imperio duo suprema Tribunalia Cæsarea, seu Palatia, vel Palentiæ *a*),

vt

vt tum appellabantur, die Käyserliche hohe Reichs Pfaltzen in Sachsen und Schwaben/ quorum vicariam gubernationem, diuisis inter se limitibus, Saxonicus & Rhenensis tenebant: sed cum in summis hisce iudiciis ex solis iuribus Germanicis, quæ ius manuarium confirmabant potius, quam detestabantur, causæ dirimerentur, non multum commodi inde Statibus Imperii, obseruante *Ioann. Philippo Dattio b*), obuenit.

a) Vid. de his palentiis *Goldast.* præf. Tom. I. derer Reichs-Satzungen pæmissa, & *Marqu. Freherus* Lib. I. de origin. Palat. c. 16. *b*) De Pace Imp. publ. Lib. IV. cap. 1.

§. XXVI.

Nec iudicium Cæsaris aulicum das Kayserliche Cammer- und Hof-Gericht/ quod summum ante annum 1495. in imperio solum Tribunal erat, nec, quæ tum temporis conuentione constituebantur *Austregarum* iudicia rem conficere, ac inueterato malo medelam afferre poterant, dum illud aut in extremis Germaniæ partibus hærebat, aut plane, absentibus scilicet Cæsaribus, non patebat, *Austregarum* vero iudicia potentiores metu, vi & armis facile perrumpere poterant *a*).

a) Vid. *Datt.* de Pace Imp. publ. Lib. IV, cap. 1.

§. XXVII.

Sed quamuis de iudicio, in Germania stabili sede locando, sæpissime Ordines imperii in publicis Comitiis, sub *Friderico* III. Imperatore circa medium sæculi XV. habitis, nimirum Norimb. a. 1467. Colon. & Norimb. 1487. Francof. 1489. deliberare cœperint; infructuosas tamen fuisse illorum deliberationes, Acta Comitialia testantur.

a) Quæ apud Dn. *Müllerum* in Theatro Comit. Part. II. *Goldastum* in denen Reichs Satzungen / & *Dattium* de Pace Imp. publ. Lib. IV. c. 1. reperiuntur.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Quod itaque *Fridericus* III. perficere non potuit, filius eius *Maximilianus* I. feliciter peregit, & ad optatum perduxit finem. Primo enim in Comitiis Wormatiensibus a. 1495. pacem publicam, quæ der Königliche Land-Friede zu Worms dicitur, restaurauit *a*), deinde eodem anno Iudicium Camerale, publicæ pacis vinculum & firmamentum *b*), omnium Ordinum Imperii, Comitiali voce & suffragio ordinauit, vtque Status Imperii, abolitis diffidationibus, querelas suas ibidem proponerent, constituit *c*).

a) Historiam huius Constitutionis plenius explicat *Datt.* Lib. V. de Pace Imp. publica cap. 1. *b*) Vti *Carolus* V. in proposit. Comitiorum Spirensium a. 1544. teste *Sleidano* Comment. de statu religionis Lib. XV. illud appellauit. *c*) v. Acta Wormatiensia apud Dn. *Müllerum* in Theatro Pac.

§. XXIX.

Quo autem summi huius Tribunalis Iudices & Assessores scirent, secundum quas leges iudicare debeant, & quam legum subordinationem Imperator in imperio comprobet, vt ante omnia mores, consuetudines & statuta, redliche/ erbare und leidliche Ordnungen / Statuten und Gewohnheiten *a*) cuiuslibet regionis ac loci inspiciant, his deficientibus ad iura imperii communia, i. e. Recessus imperii, ius Canonicum & ciuile, zu des Reichs- und gemeinen Rechten recurrant, statuit.

a) Hanc clausulam status Imperii, dissentiente Imperatore, ordinat. Camer. inseruisse, B. *Müllerus* in Reichs-Tags Theatr. sub Maximil. I. testis est.

§. XXX.

Non equidem cum *Christophoro Lehmanno a*), publica Imperatoris & ordinum conuentione vel constitutione, abrogatis omnibus antiquis Germanorum iuribus, ius Romanum tum temporis receptum fuisse, statuimus; expressiora enim huius conuentionis vel constitutionis publicæ vestigia viri docti merito desiderant; nec doctissimi *Ioann. Philipp. Dattii* coniecturam, qua *Lehmannum* formulam, iudici & assessoribus

bus a. 1495. præscriptam, in Archiuo Spirensi vidisse, adeoque non abs re statuisse, conuentum esse tunc inter Cæsarem & imperii ordines, vt in Camera secundum Romanas leges, tanquam ius imperii commune, iudicaretur, nostram facimus *b*); hoc tantum volumus, Imperatorem *Maximilianum* in ordinatione iudicii Cameralis iudici & assessoribus, vt secundum ius Romanum iudicarent, iniunxisse, & hoc modo publicam ei auctoritatem tribuisse.

a) Scribit enim Lib. IV. Chron. Spir. cap. 21. Es seye in keiner Historie zu finden / daß ein Kayser oder König dieselbe alte Gesetze und Rechte der Teutschen abgeschaffet / oder andere Rechte an dero statt anzunehmen gebothen / bis bey Aufrichtung des Kayserlichen Cammer-gerichts / die Kayser / Fürsten und Stände des Reichs / nach denen gemeinen beschriebenen Römischen Rechten / alle Bürgerliche Streit und Recht-Sachen zu entscheiden / übereinkommen und verabscheidet. *b*) Lib. IV. de pace Imper. publ. cap. 1. n. 111.

§. XXXI.

Quare merito a *Reinckingio* discedimus, statuenti *a*). in Camerali iudicio Leges Romanas adlegari quidem, sed pro ratione tantum, non pro auctoritate; verba enim imperatoris *Maximiliani*, nach des Reichs gemeinen Rechten zu richten / legalem iuri Romano illum vim tribuisse, satis ostendunt *b*).

a) Lib. I. de Regim. secul. & eccles. cl. 2. cap. 4. n. 10. *b*) quod etiam recte aduersus *Reinckingium* anonymus quidam in Diatribe Historico-Iuridica: *De receptione Iuris Romani eiusdemque ad legum Germaniæ veterum in foris vsu auctoritateque præsenti* pag. 28. monuit.

§. XXXII.

Primo enim Imperator *Maximilianus* I. in ordinatione iudicii Cameralis a. 1495. in assessoribus, vt essent iurium periti & promoti, der Rechten gelehret und gewürdet / & sic simul, vt eo iure vterentur, quo innutriti, & in quo honoris gradum meruerant, voluit; II. Mentionem

tionem missionis, des Einsatzes / ex primo & secundo decreto Tit. 19. ex iure Romano facit, & III. in appellationibus ab interlocutoria illud obtinere Tit. 20. vult, was in denen Kayserlichen Rechten geordnet ist.

§. XXXIII.

Præcipuum autem probationis nostræ fundamentum in formula iuramenti, a *Maximiliano* I. a. 1495. Cameræ assessoribus præscripta, atque a *Dattio a)* exhibita, ponimus; quamuis id omnium maxime ruinosum *Conradus Sincerus b)* iudicet; quippe quæ iudicem Cameræ atque assessores, vt secundum consuetudines & statuta regionum & locorum, nec non iura imperii communia, nach des Reichs gemeinen Rechten/ sententias pronuncient, adstrinxit.

a) Lib. IV. de pace Imp. publ. cap. I. n. 116. b) in dissertat. epist. *De Germanicarum legum veterum ac Romani iuris in republ. nostra origine, auctoritateque præsenti* §. 74.

§. XXXIV.

Omissa equidem est hæc formula in ordinatione Camerali a. 1495. prout illam in corpore recessuum conspicimus; esse tamen formulam hanc a *Maximiliano* I. præscriptam, cum I. in omnibus veteribus extet editionibus *a)*, II. mentio eius fiat in erneuerter Ordnung etlicher Puncten / belangend den gerichtlichen procefs des Kayserlichen Cammer-Gerichts = = = a. 1538. Vbi sub titulo: Folgen die Ayd der Personen zum Cammer-Gericht gehörig / primo loco habetur: Des Richters und der Urtheiler Ayd / wie der auf dem Reichs-Tag zu Worms anno 1495. aufgerichtet / mit dem Anhang auf dem Reichs-Tag zu Worms anno 1521. geordnet &c. tuto concludimus.

a) Confer. Ordin. Camer. de a. 1555. Part. I. tit. 57.

§. XXXV.

Conspirant cum ordinatione Camerali aliæ Imperatoris *Maximiliani* I. constitutiones, nimirum constitu-

ſtitutio contra blaſphemos in Comitiis Wormatienſibus a. 1495. lata. Tabulæ fœderis Sueuici a. 1496. tit. X. Ordinatio Cameralis a. 1507. (quæ integrum proceſſum ex iure communi, Canonico nimirum & Romano, Cameræ aſſeſſoribus præſcripſit) art. 34. §. 2. & art. 36. §. 12. Tabulæ fœderis prorogati a. 1512. tit. 27. & ordinatio Notariorum a. 1512. Tit. 1. §. 1. in quibus non ſolum ad ius Romanum frequenter prouocatur, ſed etiam publica illi vis atque auctoritas tribuitur.

§. XXXVI.

Mortuo *Maximiliano I.* non decreuit iuris Iuſtinianei auctoritas, ſed nouis ſanctionibus, a ſucceſſoribus eius latis, fuit ſtabilita ac confirmata; Sic Imperator *Carolus* V. in Edicto Norimberg. de a. 1521. Ordin. Camerali de eodem anno tit. 32. §. 2. Receſſu Spirenſi de a. 1519. §. 38. Ordinat. proceſſuali de a. 1538. partim leges Romanas allegat, partim etiam, ut ſecundum ius commune, **denen gemeinen und Kayſerlichen Rechten**/pronuntietur, ſtatuit.

§. XXXVII.

Præ ceteris autem, *Carolum* V. legalem iuri Romano tribuiſſe auctoritatem, nemeſis Carolina, a. 1530. ſolenniter totius imperii conſenſu publicata, euincit, in hac enim Imperator, ſe ea propter ſuam conſtitutionem criminalem edidiſſe, quo in poſterum ſecundum ius commune eo accuratius pronuncietur, non tantum expreſſe dicit *a*); ſed etiam in ipſa conſtitutione frequentiſſime ad ius Romanum, **Kayſerliche geſchriebene Geſetze**/ prouocat *b*), imo articulo XXXV. **Es ſoll in dieſen und andern dergleichen Fällen unſer Kayſerlich geſchrieben Recht gehalten werden** / publice profitetur.

a) In præf. Conſtit. Crim. *b*) art. 194. 117. 118. 120. 121.

§. XXXIIX.

Pari modo *Ferdinandus I.* imperator in ordinatione Auguſtana de a. 1557. Part. I. Tit. 57. & *Maximilianus II.* in ordinat. Polit. de a. 1577. tit. 17. §. 8.

ius ciuile adprobarunt, vtque assessores Cameræ non secundum suum arbitrium, sed leges communes, nach des Reichs gemeinen Rechten, Abschied &c. iudicarent, iusserunt. Quod etiam in iudicio aulico obseruatur, vbi Consiliarii Aulici nach des Reichs-Constitutionen und die gemeinen beschriebene Rechte iudicare tenentur a), & in fine ordinationis iudicii aulici iubetur: Daß das Corpus Iuris Ciuilis und Canonici allezeit auf der Reichs-Hof-Raths Tafel seyn soll, damit man sich derselben gebrauchen könne.

a) v. Tit. I. §. Und weilen dann Ordin. Iud. Aulici de a. 1654. apud *Limnæum* Iur. Publ. T. V. & *Hulder. v. Eyben* in diss. *de auctoritate vsuque Iur. Iustin. in Germania iudiciis* cap. 7. §. 12.

§. XXXIX.

Taceo nunc reliquas imperii constitutiones, quæ sæculo XVI. & XVII. sunt promulgatæ, v. g. ordin. polit. de a. 1548. Tit. 1. Rec. de a. 1567. §. Und nachdem. Ord. Polit. de a. 1577. §. 16. Recess. Nouiss. de a. 1654. §. 105. ex quibus euidenter adparet, Imperatores nostros ius Iustinianeum suum facere voluisse, illudque pro iure communi & publice recepto habuisse.

§. XL.

Quæ cum ita sint, *Hermanni Conringii* a), & *Ioachimi Martini* Unverfahrts b) obiectio, quasi ius Romanum in summis tantum imperii tribunalibus, in Statuum territoriis & iudiciis non æque receptum sit, corruit. Quamuis enim illud, vti iam supra b) monuimus, in imperio expressa quadam constitutione non fuerit receptum & promulgatum; attamen tacito Ordinum consensu illud in prouinciis agnitum esse, praxis quotidiana comprobat. Accedit, quod omnes hactenus recensitæ constitutiones, in quibus ius Romanum, ceu imperii commune, agnoscitur & confirmatur, scientibus & non contradicentibus imperii Ordinibus fuerint promulgatæ, quibus

bus tamdiu ſtandum erit, quamdiu de contraria Statuum voluntate non conſtat *c*).

a) De Orig. Iur. Germ. c. 33. *b*) in pædia Iurisprudentiæ c. 6. *c*) poſſe autem Status imperii Leges contra Ius Romanum ferre, imo etiam illud in territoriis ſuis abrogare *Conringius* l. c. *Limnæus* Lib. IV. Iur. publ. c. 8. n. 253. *Schwederus* Part. ſpec. Iur. Publ. Sect. II. c. 13. §. 2. *Ludolph. Hugo* de ſtatu region. Germ. c. 3. § 10. Dn. *Thomaſius* in Diſſert. *de ſtatuum Imperii poteſtate legislatoria contra ius commune* & illuſtris *Berger* in Oecon. Iur. p. 34. n. 4. probant.

§. XLI.

Imo non deſunt regiones in imperio noſtro, quæ, repudiatis antiquioribus iuribus & conſuetudinibus, iuri Romano ſimpliciter ſeſe ſubmiſerunt. Ita Marchia per Receſſ. de a. 1527. 1534. 1538. & 1572. abolito iure Saxonico, nomotheſin Romanam introduxit. Pari ratione in terris Brunſuicenſibus & Luneburgicis iuri Saxonico repudium datum, iusque Romanum ſub Duce *Henrico Iuniore* a. 1567. *a*) receptum fuit.

a) Probatur hoc ex artic. 32. des Landtags-Abſchiedſ zu Saltzdalum de a. 1597. ibi: Denn daß viel hochgedachtes Fürſten / Hertzogen Heinrichs des Jüngern / und der fürnehmſten Land-Stände / ſo dazu gezogen worden / auch zuforderſt Kayſerl. Majeſtät eigentliche Meynung geweſen / daß man ſich der gemeinen beſchriebenen Kayſerl. aber nicht der Sachſen Rechten am Fürſtlichen Brunsweigiſchen Hof-Gericht gebrauchen ſolle / conf. *Chriſtoph. Ioann. Conr. Engelbrechti* Iuris Brunſuico-Luneburgici ſpecimen primum Helmſtad. 1719.

§. XLII.

Sunt equidem, vt *Conradus Sincerus a*), qui nomine communis iuris, der gemeinen Rechte / in conſtitutionibus imperii, a nobis adductis, iura Germanica & domeſtica ſignari putant; ſed iura communia in publicis Imperii conſtitutionibus eſſe Romana *b*),

quia non tantum iuri patrio & consuetudinario opponuntur, sed etiam communia & scripta iura Cæsarea, gemeine und geschriebene Kayserl. Rechte / sæpius iunguntur, *Ioann. Philipp. Dattius c)*, *Ioann. Samuel Stryckius d)*, *Ioann. Caspar Heidelmannus e)*, & *Ernestus Ioachim Westphal f)* ex ipsis imperii constitutionibus solide aduersus *Sincerum* monstrarunt.

a) Seu potius illustr. *Ioann. Kulpisius* in Diss. epistol. *De Germanicarum LL. veterum, ac Romani iuris in republ. nostra origine auctoritateque præsenti Lipsiæ* a. 1682. edita, a Dn. *Thomasio* notis illustrata §. 74. & 75. recensionem huius epist. vid. apud *Beyerum* Notit. Aut. Iurid. p. 83. b) sub appellatione tamen iuris communis in Imperii Constitutionibus etiam sæpius Ius Canonicum venire, Dn. *Thomasio* in Caut. circa præcogn. iurispr. ecclesiasticæ c. 22 §. 4. *Boehmero* in vsu Mod. Decret. Lib. I. Tit. 2. § 56. aliisque lubenter concedimus. c) de pace Imperii publ. Lib. IV. c. 1. n. 117. & sequ. d) in discursu prælim. *De vsu & auctoritate iuris Romani in for. German.* §. 15. e) in Diatribe Hist. Iurid. *De receptione iuris Rom. eiusdemque vi & LL. German vet. in foris usu auctoritateque præs.* pag. 31. f) in Differt. *de Iuris Rom. indole & obligandi diuersa ratione ac dignitate in for. apud Romanos & Germ.* cap. 11. §. 5.

§. XLIII.

Quemadmodum autem Doctores in tempore & modo receptionis iuris Romani in foris Germaniæ non conueniunt: ita diuersas plane recepti huius iuris peregrini, nobis non promulgati, moribus nostris non raro contrarii, caussas adferunt.

§. XLIV.

Quidam enim, qui cum *Accursio*, *Iasone*, *Baldo* aliisque Glossatoribus, iuris Romani decreta per huminis diuini afflatum iuris illius confectoribus indita fuisse, statuunt, aut cum *Alberico Gentili*, *Hugone Donello*, *Sfortio Odda a)* & *Iano Vincentio Grauina* ius Romanum ipsum ius Naturæ & Gentium, ab vni-

vniuerſo hominum genere colendum eſſe, aſſerunt, hanc ob cauſſam ius Romanum receptum fuiſſe, ſibi perſuadent. Sed licet, ius Romanum nunquam deſtitui ratione, lubenter illis concedamus: hanc rationem tamen non ſemper eſſe naturalem, ipſe Imperator *Iuſtinianus* confitetur *b*).

a) Qui in Tract. de reſtit. in integr. p. 1. qu. 10 n. 70. ruſticos excuſandos, ſi ignorent ius ſtatutarium; non vero ſi ius Romanum, tradit. *b*) in §. 4. I *de Iuſtit. & iur.* ibi: *collectum eſt enim ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut ciuilibus.*

§. XLV.

Alii, ius Romanum ob ſingularem æquitatem, dignitatem ac præſtantiam in foris noſtris eſſe receptum, dicunt. Sed quamuis negandum non ſit, ius Romanum dignitate ſua atque præſtantia omnia alia iura vincere, vt etiam præſagio futuri ſæculi *Craſſus* apud Ciceronem *a*): *Incredibile eſt, quam ſit omne ius ciuile, præter hoc noſtrum, inconditum ac pene ridiculum*, dixiſſe videatur: attamen alias etiam fuiſſe iuris huius recepti cauſſas, nimirum partim legum patriarum defectum, partim peregrinæ rei amorem, partim indulgentiam Cæſarum *b*), firmiter concludimus.

a) Lib. I. de oratore add. *Corn. Eckii* Orat. *De præſtantia & neceſſitate iuris ciuilis*, Franeckeræ 1686. recitata. add. *Suffridi Petri* Orat. de præſtantia LL. Roman. Antuerp. 1574. 4. & *Simon. Vinuti* Orat. de ſapientia Romanorum in iure conſtituendo, reddendo, interpretando 1651. hab.

CAP. XI.

DE VSV ATQVE AVCTORITATE IVRIS ROMANI IN FORIS GERMANIÆ.

§. I.

POſteaquam itaque ius Romanum a Sæculo XIII. Germaniæ noſtræ innotuiſſe, Sæculo vero XV,

& sequentibus legalem auctoritatem ab imperatore *Maximiliano I.* eiusque successoribus, scientibus & tacentibus imperii Ordinibus, accepisse, ostendimus: restat, vt etiam in vsum atque auctoritatem iuris Romani præsentem inquiramus, simulque, in quantum illud receptum sit, monstremus.

§. II.

Diuersæ iterum circa hanc rem Doctorum sunt sententiæ, quidam enim, vt scholastici iuris interpretes, ciuilistæ seu legistæ dicti, in excessu peccant, &, solum atque vnicum ius ciuile seu Romanum, Germaniæ legibus & consuetudinibus omnibus plane abrogatis & abolitis, in foris nostris esse receptum, contendunt. Sed horum sententia, sicuti falsa Doctorum Italicorum, in primis *Caroli Sigonii a*), narratione nititur: ita merito a viris, Status Germanici peritis, exploditur.

a) Vti cap. 2. Part. III. Membr. II. histor. nostræ ostendimus.

§. III.

Alii contra, vt *Conradus Sincerus a*), &, qui eum sequitur, *Henr. Ernestus Kestnerus b*), in defectu peccant, & ius Romanum nec solum, nec principaliter receptum esse, sed veteres leges Germanicas adhuc in vigore esse, & fundatam allegantibus dare intentionem, ius vero ciuile secundario duntaxat esse receptum, nec fundatam suppeditare intentionem, nisi quis probet illud ea in parte, qua citatur, fuisse receptum, asserunt.

a) In differt. epistolica sæpius iam citata. b) in Tractat. *de defectibus Iuris Commun.* Problem. 4.

§. IV.

Rursus alii media incedunt via, vt *Ioannes Schilterus a*), *Ioannes Samuel Stryckius b*) aliique, &, præter ius patrium ac veteres leges Germanicas, etiam ius Romanum vsu & obseruantia receptum es-

ſe, ita vt fundatam intentionem habeat allegans legem Romanam, nec debeat obſeruantiam eius probare, ſed aduerſario incumbat demonſtrare, illam propter contrarium ius Germanicum non potuiſſe recipi, putant.

a) Exercitat. I. ad Pand. §. XI. & XII. & in additam. pag. 61. nec non in Actis erudit. anni 1682. p. 366. vbi hanc ſuam ſententiam aduerſus *Conradum Sincerum*, qui eum in Diſſertatione epiſtolica §. 60. 61. & 88. notauerat, defendit. b) in Diſcurſu prælim. §. 27.

§. V.

Alii denique, vt L. B. de *Lyncker a)* & *Ioann. Caſpar Heidelmann b)*, ius Romanum non tantum in complexu receptum, ſed etiam in pugna legis Germanicæ veteris illi tamdiu ſtandum eſſe, donec huius vſus & obſervantia in foro doceatur, defendunt.

a) in Comment. ad Ius ciu. ad Tit. de Orig. iur. §. 12. b) in Diatr. Hiſtor. cit. Sectione 3. §. 4.

§. VI.

Si itaque in conflictu diuerſarum harum ſententiarum dicendum, quod res eſt, ius Iuſtinianeum nos non obligat ex legislatione & publicatione, vti quidem *Reinckingius a)* & *Limnæus b)* ſibi falſo perſuadent; ſed ex voluntaria receptione, in quantum itaque illud fuit receptum, in tantum etiam vſu in foris noſtris venit.

a) De Regim. ſecul. & eccleſ. Lib. I. cl. 2. c. 8. b) Lib. II. Iur. Publ. c. 8. §. 4. vbi ius Iuſtinianeum Germanos obligare vi legislationis Imperatoris *Iuſtiniani* vniuerſi orbis domini, clamitant.

§. VII.

Eſſe autem ius Romanum in foris noſtris receptum, non pro parte, nec eatenus, qua actu obſeruatur, aut adplicari poteſt, ſed in complexu, vti

quidem recte viri illustres *L. B. de Lyncker* a) & *Dn. de Berger* b) statuunt, ex eo potissimum probatur, quod in Constitutionibus imperii, capite antecedente citatis, non particulae quaedam, aut singulares huius iuris materiae fuerint receptae, sed totum ius Romanum ceu commune imperii Ius & suppletorium in omnibus casibus, iure Germanico non decisis, agnitum fuerit & confirmatum.

a) In Analectis ad *Struuii* Syntagma Exercit. II. th. 35.
b) in Dissert. de vsu action. poen. §. 9.

§. VIII.

Vnde is, qui, lege Romana subnixus, siue agit, siue excipit, intentionem fundatam habet, neque legis receptionem, neque eius obseruantiam, neque, quod ad statum nostrum adplicari possit, probare debet; sed aduersario, aut legem non esse receptam, aut contrariis legibus abrogatam a), aut non adplicabilem, probare incumbit.

a) Cum cautione tamen *Buignonius*, *Groenewegen*, *Christinaeus* aliique, qui integros de Legibus abrogatis libros scripserunt, legendi sunt, quippe qui de vsu & obseruantia Legum Romanarum in foris Germaniae iustum non ferre possunt iudicium. vid. *Stryckius* in Discursu praelim. §. 43.

§. IX.

Licet autem ius Romanum vniuersum & in complexu in nostris sit receptum: attamen in subsidium receptionem eius factam esse, deficientibus nimirum Legibus, consuetudinibus patriis & constitutionibus Imperii, constans imperii praxis testatur. In citatis enim capite antecedente constitutionibus Iudices & Assessores Camerae ac Iudicii Aulici primo ad leges patrias honestasque consuetudines cuiuslibet loci, redliche/ erbare/ und leidliche Ordnungen und Gewohnheiten derer Fürstenthümer/ Herrschafften und Gerichten &c.

&c. & his deficientibus ad Ius commune & Caesareum, gemeine und Kayserliche Rechten / ablegantur.

§. X.

Hinc etiam iudices in dirimendis controuersiis 1) ad Iura singularia loci seu statuta, Stadt-Recht/ Willkühr/ 2) ad leges prouinciae, Land-Recht/ Landes-Constitutionen und Ordnungen / 3) ad Recessus Imperii recurrere, &c, si hisce patriis iuribus caussa, quae agitur, tacta non sit, aut ex Iure Romano, aut Canonico rei controuersae decisionem, monente illustri *Bergero a*), petere tenentur.

a) in Oecon. iur. p. 33.

§. XI.

Quae cum ita sint, facili negotio quaestio decidi potest: sitne ius Romanum principale ius, an Germanicum? quatenus enim plures casus ex iure ciuili deciduntur, quam ex Iure Germanico, eatenus illud principale nominari potest; quatenus vero in causarum decisione, primum ad ius Germanicum, & deinde in subsidium ad Ius Romanum est recurrendum, eatenus Ius Germanicum recte principale, Romanum vero minus principale & subsidiarium adpellatur.

§. XII.

Hic autem Iuris Romani in foris nostris vsus atque auctoritas non tantum circa negotia priuatorum, sed etiam caussas Imperii publicas sese exerit. Nam quamuis *Hermanno Conringio a*), Ius publicum Iustinianeum non obligare hodie Germaniam, aut *Friderico Georgio Lautensackio b*), ex solo Iure Romano & Canonico inepte iuris publici controuersias dirimi, lubenter concedamus: exinde tamen, nullum Ius Romanum in negotiis imperii publicis habere vsum, non sequi, viri Doctissimi *Ludolph Hugo c*) *Huldericus Eybenius d*), *Ioann. Samuel Stryckius e*), & *Ioann. Ioachim Müller f*) solide monstrarunt,

 a) In

a) In præf. ad *Taciti* librum de Mor. Germ. & in Differt. *de Iuris publici Iustinianei in Germania auctoritate*, quæ Tractatui de Origine Iuris Germ. p. 165. subiecta reperitur. b) in Diss. *De inepta ratione decidendi controuersias Iuris publici ex Iure Rom. & Can.* Erfurti 1710. habita. c) in Tractatu *de Statu region. Germ.* cap. 6. d) in Differtat. *De auctoritate vsuque iuris Iustin. in German.* c. 12. e) in Discursu prælim. §. 39. f) in dem entdeckten Staats-Cabinet Part. IV. cap. 1.

§. XIII.

Euoluamus modo sententias, obseruationes & relationes Camerales apud *Tilemannum de Benignis*, *Meichsnerum*, *Ostermannum*, *Simonem Guntherum*, *Meurerum*, *Melandrum*, *Scipionem*, *Magenhorstium*, *Rosacorbium*, *Reichwinum*, *Rodingium*, *Klockium*, *Mynsingerum*, *Beckerum*, *Gailium*, *Blumium* & Per-Illustrem *Ludolphum*, item deductiones iurium, quibus Illustrium controuersiarum, in iudicio Austregali, Aulico, Camerali & Reuisorio agitatarum, fundamenta & merita demonstrantur: leges Romanas non tantum vtramque in illis facere paginam, sed etiam ad causarum publicarum decisionem adhiberi, deprehendemus.

§. XIV.

Imo, quod maximum est, in ipsa Sacratissim. Imperatoris aula, atque in Statuum Imperii suffragiis & iurium deductionibus, quæ in vniversalibus Imperii comitiis feruntur & exhibentur, legum Romanarum allegationem non infrequentem esse, acta Imperii atque Comitiorum, apud *Müllerum*, *Londorpium*, *Thucelium*, *Fabrum* aliosque collectores, testantur.

§. XV.

Sicuti autem Ius Romanum in summis imperii Tribunalibus ac negotiis publicis obseruatur: ita non minorem illud in Germaniæ prouinciis habet auctoritatem, vt nulla sit regio, ciuitas ac oppidum, in quarum tribunalibus Iuris Iustinianei decreta ad cau-

ſarum deciſionem non adhibeantur, quod de ipſa Saxonia noſtra accuratiſſimus praxeos Saxonicæ obſeruator *Carpzouius* aſſerere non dubitat *a*).

a) In Prax. Crim. Quæſt. 42. n. 25. & Part. III. Dec. 288. n. 20. vbi, quod illa, quæ iure Saxonico expreſſe non deciſa, relinquantur ſub diſpoſitione iuris communis, aſſerit.

§. XVI.

Quam maxime denique exinde Iuris Romani in foris noſtris probatur auctoritas, quod iura ſtatutaria, ſi dubia ſint, ex eo declarentur *a*), ſi nimis generalia, reſtringantur *b*), &, ſi nihil diſponant, ſuppleantur, quod, quamuis *Titio c*) & Dn. *Kreſſio d*) ita abſurdum videatur, ac ſi quis ſacram ſcripturam ex libris *Ariſtotelis* explicari velit: tamen conſtanti praxi, vti ex *Zaſio e*), *Gailio f*), *Schurffio g*), *Carpzouio h*), *Berlichio i*), *Brunnemanno k*), *Richtero l*), *Menckenio m*) aliisque patet, ſeruatur.

a) Hinc regulæ Practicorum: *Statuta potiſſimum ex iure communi ſunt deſumta*, &, *Statutum condentes, quantum per rationes ciuitatis ſuæ fieri potuit, quam maxime illæſam iuris communis auctoritatem ſeruare voluiſſe, cenſendi ſunt*; *b*) vnde regulæ: *Statutum eſt ſtrictæ interpretationis*; *Quæ ſtatuta ſunt exorbitantia, ita ſunt interpretanda, vt quam minime ius commune lædant*; &, *Statuta non admittunt interpretationem extenſiuam, ſed reſtrictiuam* *c*) in notis ad *Lauterb.* præfat. *d*) in præf. Specim. Iur. priu. præmiſſa. *e*) in L. *properanda* C. *de iudiciis* n. 20. *f*) Lib. I. Obſ 50. n. 8. *g*) Cent. 1. conſ. 55. *h*) Part. III. Conſt. 20. def. 10. & P. I. C. 16. d. 15. nec non Part. I. Deciſ. 63. P. 2. D. 236. P. III. D. 295. *i*) P. III. Conc. 24. n. 9. *k*) Centur. I. Deciſ. 15. *l*) Deciſ. 81. *m*) in Compend. Pandect. pag. 3.

§. XVII.

Quæ cum ita ſint, non parum iurisprudentiæ noſtræ *Arthurus Duckius a*), *Ioann. Ioachim Hagemeier*

meier b), *Helfricus Hunnius c)*, *Ericus Mauricius d)*, *Henricus Linckius e)*, *Huldericus Eybenius f)*, *Ioann. Samuel Stryckius g)*, *Ioann. Caspar Heidelmann h)* *Ernestus Ioachim Westphal i)* aliique consuluisse mihi videntur, quod vsum atque auctoritatem Iuris Iustinianei in foris Germaniæ præsentem ex historiarum monimentis, legibus imperii publicis & hodierna praxi peculiaribus scriptis monstrare, & dignitatem huius iuris contra obtrectatores & dissentientes defendere voluerint.

a) De vsu & auctorit. Iur. Ciuil. Rom. in Dominiis principum christianorum Londini 1653. 8. sæpius recus. *b*) de vsu & auct. iur. Ciu. Francof. 1663. 4. *c*) de auctor. iur. Giessæ 1629. 8. *d*) de libris Iur. Commun. eorumque vsu. *e*) in binis diss. *De Iuris Iustin. receptione atque auctor. in Germania* Altorf. 1679. & 80. hab. *f*) De auctor. vsuque Iur. Iustin. in Germaniæ iudiciis inter opera p. 170. *g*) in discursu prælim. vsui π. Mod. præmisso, *h*) in Diatribe Hist. Iurid. De receptione Iur. Romani eiusdemque ac LL. Germ. veterum in foris vsu auctoritateque præsenti Gothæ 1713. 8. *i*) in Diss. de *Iuris Romani indole & obligandi diuersa ratione ac dignitate in foris apud Rom. & Germanos* Rostoch. 1715. habita.

PART.



PART. IV.

HISTORIÆ IVRIS GERMANICI

CAP. I.

DE CONDITIONE LEGVM GERMANICARVM ANTE SÆCVLVM QVINTVM.

§. I.

Germani, ſicuti iam ante *Iulii Cæſaris* tempora in ſocietates ciuiles coierunt *a*); ita illos ſine regimine, Legibus atque iudiciis non fuiſſe, admodum probabile eſt. Quoniam autem obſcuriſſima eſt antiquorum temporum hiſtoria, pauca de Legibus Germanorum, quæ ante ſeculum V. fuerunt, dicemus.

a) Vid. *Conringii* Diſſ. de republica antiqua vet. German. Helmſtad. 1654. hab. *Hertius* in Notitia vet. German. popul. & Dn. *Hoffmann* in ſpecim. conieſt. polit. de orig. & nat. LL. Germ. Cap. 2. Period. 2.

§. II.

Hoc tantum ex aureo *Cornelii Taciti de moribus Germanorum* libello *a*) diſcimus, quod, quemadmodum initio apud omnes gentes boni fuerint mores, tum leges ſimplices, & denique ſucceſſerint leges ſcriptæ *b*); ita etiam apud Germanos veteres plus boni mores, quam alibi bonæ leges valuerint *c*).

a) Cap. 19. *b*) Vti idem Lib. III. Annal. c. 16. eleganter dicit. *c*) idem apud Scythas Germanos obtinuiſſe *Iuſtinus* ex Trogo Lib I. Hiſtor. teſtatur, *Iuſtitia gentis*, ait, *ingeniis, culta non legibus*.

§. III.

§. III.

Hinc etiam ante sæculum V. vestigium scriptarum legum non extat, &, Germanos leges suas, quo illas memoriæ mandarent, canticis, more aliarum gentium *a*), comprehendisse, exinde probabile videtur *b*), quod & hodienum singuli versiculi cantionum *Leges*, Gesetze vocentur.

a) De hoc gentium more *Aristoteles* Section. 19. Probl. 28. *Cur leges pleræque*, ait, *cantilenæ appellantur? An quod homines prius quam litteras scirent, leges cantabant, ne eas obliuioni mandarent, quod etiam nostra ætate Agathyrsis in more est; Ergo primas quoque posteriorum cantilenarum eodem appellauerunt nomine, quo omnes superiores vocabantur.* *b*) vid. *Thomasii* Diss. Morum cum Iure scripto contentio §. 8. 9. 16. & 55.

§. IV.

Quemadmodum autem leges Germanorum simplices & non scriptæ erant: sic pari ratione simplex plane procedendi apud illos obtinebat forma; non enim more Romanorum iudicia sua in splendidis ædibus, sed sub dio, palam, in libero aëre habebant *a*), quo iudices atque assessores, qui caussas controuersas tractabant, sed non ad habitandum & sedem fixam constituendam, sed quo promtius dexteriusque iura redderent, conuenisse, intelligerent.

a) Vid. *Du Fresne* & *Spelmann.* in Glossar. voce *Campus. Hertius* in Diss. de Consult. LL. & iudiciis in specialibus German. Rebuspublicis §. 9.

§. V.

Nec processus inter Germanos veteres prolixus ac sumtuosus erat, sed ex bono & æquo iudicabatur. Iudices enim, quorum vices pacis tempore principes regionum atque pagorum subibant *a*), breuibus interrogationibus caussarum momenta perscrutabantur, quo facto, Scabini *b*) mox secundum hanc inquisitio-

ſitionem & teſtium depoſitionem iudicabant, ſæpius etiam, ſi cauſſa valde eſſet dubia, armis partes litigantes dimicabant *c*).

a) *Caeſar* Lib. VI. de bell. Gall. & *Tacitus* cap. 12. de Mor. Germ. *b*) de quorum officio erudite *Frider. Brummerus* in Exercit. de Scabinis medii æui, quæ inter Brummeriana pag. 273. reperitur, egit. *c*) vnde *Pomponius Mela* Lib. III. de ſitu orbis, Germanos ius in viribus habuiſſe, dixit. conf. *Ephraim Gerhardi* diſſ. De iudicio duellico Ienæ 1711. habita.

§. VI.

Hinc etiam expenſarum & ſportularum apud illos optimus modus habitus fuit. Publica enim iudicibus, ne ſportularum exactione graues litigantibus exiſterent, ſtipendia conſtituebantur, & pœna in delictis leuioribus partim iudici *a*), partim actori eiusque heredibus *b*) exſoluebatur *c*).

a) Quod antiquis *Fredum* a Friede/ quia pacis & ſecuritatis cauſſa Magiſtratui ſoluebatur, vocari ſolebat. *b*) *Widrigildum* a wider & gild ſiue geld / quia compenſationis & talionis loco dabatur, dictum vid. *Tacitus* de mor. Germ. cap. 12. ibique *Iuſtus Chriſtoph. Dithmar* in not. *c*) hanc iudiciorum Germanicorum conditionem *Herm. Conringius* de iudiciis Reipubl. Germ. *Herm. Adolph Meinders* de Iudiciis Centenariis, Centumuiralibus, Crimin. & Ciu. German. Lemgou. 1715. 4. & Excell. *Beckius* in Diſſ. de Curiis Prouin. Sax. examinarunt.

§. VII.

Et quamuis Germanorum mores ab eo tempore, quo bella cum Romanis geſſerunt, aliquo modo alterati fuerint; attamen tenaciter per aliquot ſæcula eum retinuerunt morem, vt non legibus ſcriptis, ſed bonis conſuetudinibus vterentur.

§. VIII.

Imo, cum Romani iura & proceſſum Romanum in

in Germaniam introducere vellent, post fatalem Varianam cladem, omnem iuris Romani memoriam Germani penitus sustulerunt, & in caussarum patronos, a Romanis constitutos, adeo crudeliter saeuierunt, vt alios oculis priuarint, aliis manus amputarint, ac, recisis linguis, quas manibus tenebant, *tandem vipera sibilare desiste*. dixerint *a*).

a) v. *Velleius* Lib. II. Hist. & *Florus* Lib. IV. cap. 12. v. *Dan. Frid. Iani* Obseru. De odio veterum Germanorum in caussarum patronos, quae T. IV. Miscell. Lipf. reperitur.

CAP. II.

DE STATV LEGVM GERMANICARVM A SAECVLO QVINTO AD SAECVLVM VSQVE NONVM.

§. I.

CVm autem saeculo quinto variae gentes Germanicae, non contentae suis sedibus, migrationes instituerent, cultissimasque occidentalis imperii prouincias inuaderent & occuparent; deuictos populos suis legibus non solum non priuarunt, sed etiam sibi ipsis quasdam leges scriptas, ad imitationem gentium debellatarum, constituerunt.

§. II.

Vnde diuersarum Germanicarum nationum, nimirum Francorum, Ripuariorum, Alamannorum, Bauariorum, Burgundionum, Frisonum, Anglorum & Werinorum, Saxonum & Slauorum leges scriptae mox ortae sunt.

§. III.

Famosissima autem omniumque legum antiquarum Germanicarum antiquissima lex Salica fuit, quae ad Francos potissimum, qui inter Ligerim & Carbonariam Siluam in Hannouiae & Brabantiae confinio habita-

habitarunt, pertinuit, hæc enim ſub initium Sæculi V. per proceres & Rectores gentis, *Wiſogaſtum*, *Bodogaſtum*, *Salogaſtum* & *Windogaſtum* lingua Latina *a*) conſcripta, & a variis Francorum regibus *Clodouæo b*), *Childeberto c*), *Chlotario d*), *Carolo Magno e*), & *Ludouico Pio f*) aucta fuit, quod diſcrepantia legis Salicæ exemplaria MSCta ſatis ſuperque teſtantur.

a) *Alteſerra* equidem Lib. III. Rer. Aquitan. *Schilter* in præf. Cod. Alemann. feud §. 13. & Dn. *Hoffmann.* in Specim. coniect. polit. de orig. & natura LL. Germ. p. 24. Legem Salicam vernacula lingua a Francis conditam fuiſſe ex eo, quod non credibile ſit, Germanos lingua exotica, paucis cognita, vſos fuiſſe, ſtatuunt; ſed lingua Latina Legem Salicam eſſe conſcriptam, rectius *Conringius* de O. I. G. c. 2. *Thomaſius* in Delin. hiſt. iur. §. 82. *Beyer* in Poſit. *v.* ad Tit. *de orig. iur.* & præ ceteris Dn. *Struuius* in Hiſtor. Iur. German. n. 416. defendunt. *b*) vid. prolog. Legis Salicæ. *c*) vid. *Lindenbrog.* in Cod. LL. antiqu. p. 346. *Baluzius* Tom. I. Capit. p. 17. & *Gundlingius* ad τὰ πρῶτα p. 29. *d*) videntur huc ſpectare capitula 58. quæ apud *Heroldum*, *Lindenbrogium* & *Baluzium* vna ſerie ſequuntur. *e*) vid. *Lindenb.* p. 351. & *Baluz.* T. I. p. 387. & T. II. p. 1060. *f*) vid. *Baluzius* Tom. I. pag. 606.

§. IV.

Occupata fuit Lex Salica potiſſimum circa pœnas delictis, Francicæ gentis familiaribus, dictandas, quæ tamen non corporis afflictiuæ, neque capitales, ſed pecuniariæ, etiam in homicidio, adulterio, furto, aliisque grauiſſimis delictis, erant. Nam quæ de pœna capitali, fuſtigationis & caſtrationis diſponuntur *a*), ad ſeruos, ancillas & pueros regios pertinent.

a) v. g. Tit. XLII. c. 4. & 15.

§. V.

Duæ autem eæque diuerſæ cognitæ ſunt legis Sa-

 licæ

licæ editiones, vna *Basilii Heroldi* & *Godfridi Wendelini*, qui eam ex MSCto Fuldensi in publicum protraxerunt, altera *Ioannis Tilii a)*, *Petri Pithœi*, *Friderici Lindenbrogii b)*, *Hieronymi Bignonii c)*, *Stephani Baluzii & Eccardi*, quamuis MSCtos Codices, qui in Bibliothecis asseruantur, sæpius ab impressis differre, negandum non sit. Ita in Bibliotheca Gothana Ducali Codicem Legis Salicæ seruari, in quo capitula eum non tenent ordinem, qui in binis his editionibus obseruatur, Summe Reuerendus Dn. *Salomo Ernestus Cyprianus d)* testatur.

a) Paris. 1573. b) Paris. 1602. & in Codice Legum antiquarum. c) Par. 1665. d) in Catalogo Cod. MSCtorum Bibliothecæ Gothanæ §. 54. p. 12.

VI.

Commentarium in Legem Salicam *Godfridus Wendelinus* Antuerp. a. 1644. f. edidit. Notis eam *Ioann. Georg. Eccardus* Francof. & Lipsiæ illustrauit Glossaria vero in illam *Petrus Pithœus*, *Godfried Wendelinus*, & *Hieronymus Bignonius* conscripserunt a).

a) Ad Historiam Legis Salicæ pernoscendam *Ioann. Iac. Chifletius* de Terra & lege Salica apud Dn. *Struu.* T. II. Biblioth. libr. rar. *Vincentius Cabotius* Lib. I. Variar. diss. c. 16. *Cocceius* in Orat. de Lege Salica, *Hertius* in Notit. regni Francici c. 5. *Conringius* de O. I. G. c. 7. *Innocent. Cironius* Lib. V. Obs. Iur. Can. Dn. *Struuius* in Hist. Iur. Germ. §. 3. Dn. *Hoffmannus* in Spec. coniect. politic. p. 22. & scripta inter *Leibnitium* & *Gundlingium* de origine Francorum edita, apprime faciunt.

§. VII.

Post Legem Salicam Ripuariorum, gentis Cis-Rhenanæ & Francis subiectæ, leges, a Francorum Regibus, *Theodorico a)* nimirum *Clodouæi* filio & *Dagoberto* collectæ, in scripturam redactæ atque emendatæ fuerunt.

a) vid. præfat. LL. Baiuar. præmiss. & *Baluzius* ad Capit. Tom.

Tom. I. pag. 25. & in annot. pag. 989. *Conring.* cap. 9.

§. VIII.

Legi Salicæ valde similes fuerunt Leges Ripuariorum, ita vt etiam a multis pro altera Legis Francorum parte ex eo, quod Eginhardus: *Nam Franci duas habent leges, plurimis in locis valde diuersas*, dixerit *a*), fuerint habitæ *b*), nisi quod grauiores pœnas in furtum & crimen læsæ Majestatis statuerint *c*), & nouum procedendi modum, per probationes vulgares *d*), & iudicium duellicum *e*), introduxerint.

a) In vita *Caroli M.* *b*) vid *Innocentius Cironius* Lib V. Obs Iur. Can. & Dn. *Hoffmann.* Sect. II p. 32. *c*) vid. Tit. 29. c. 1. Tit. 60. c. 6. & Tit. 79. *d*) vid. *Hachenbergii* Germ. Med. Differt. III. *e*) vid. *Ioann. Christoph. Becmanni* Diss. de Iudiciis Dei. *Du Fresne* & *Spelman* in Glossario voce *Ordalia.* *f*) vid. *Ephr. Gerhardi* Diss. de Indicio Duellico.

§. IX.

Ex hisce Ripuariorum Legibus hodie quædam supersunt vestigia, vt enim alia silentio prætercam, doctrina de Morgengaba, de qua *Nicolaus Hieronymus Gundlingius a*) ex professo tractauit, eiusque a dote differentia ex Titulo XXXVII. capite I. & II. repetitur.

a) In Diss. *de coëmtione vxorum & Morgengabe* 1722. ventilata.

§. X.

Sequitur nunc Lex Alamannorum, quam *Theodoricus* Rex Francorum in scripturam primus redegit, *Childebertus* emendauit, *Clotarius* perfecit, & *Dagobertus* renouauit *a*), quæ etiam pleraque cum aliis veterum Germaniæ populorum legibus communia habet, nisi quod multa in fauorem ecclesiarum & Clericorum in illa fuerint constituta.

 a) Vid.

a) Vid. Inſcriptio Legis Alamann. apud *Lindenbrogium* in Cod. LL. antiqu. *Heroldus* p. 17. & *Schilter* in præf. ad Cod. Iur. Feud. Alemann. §. 5.

§. XI.

Idem *Theodoricus* Francorum Rex Baiuuariis, populo Germaniæ clariſſimo, ſcriptas leges *a*), a *Dagoberto* poſtea auctas & renouatas, dedit, quæ vna cum Decretis Ducum Baiuuariorum, in primis *Thasſilonis*, apud *Heroldum* *a*) & *Lindenbrogium* *c*) inueniuntur.

a) vid. præf. Leg. Baiuuar. præmiſſa. b) in LL. antiqu. pop. Germ. p. 58. c) in Cod. LL. antiqu. p. 391.

§. XII.

Fontes harum legum, præter mores & conſuetudines gentis Baiuuaricæ, ſacra ſcriptura, Codex Theodoſianus & Conciliorum canones fuerunt, conditio vero illarum eadem, quæ reliquarum legum, nimirum ſunt ſuperſtitioſæ, Clericis indulgent, nimiaque in puniendis delictis lenitate laborant *a*).

a) v. *Conring.* c. 9. & *Hoffmann.* Sect. IV.

§. XIII.

Famoſiſſima etiam eſt lex Burgundionum *a*), antiquiſſimæ Germanicæ gentis, circa Seculum V. condita & ab auctore *Gundebaldo* Gundebada dicta *b*), ad quam frequentiſſime in capitularibus regum Francorum prouocatur *c*).

a) Quæ apud *Heroldum* p. 131. & *Lindenbrogium* p. 487. reperitur. b) vid. *Gregor. Turon.* Lib. II. Hiſtor. Franc. c. 33. c) v. Capitulare II. de a. 834.

§. XIV.

Sicuti autem Burgundiones non ſolum cultiſſimas Romanorum prouincias occuparunt, ſed etiam per aliquot tempus armorum conſortium cum iis inierunt: ita etiam quamplurima Legis Gundobadæ capita

pita ex Legibus Romanorum desumta videntur *a*). Sic testamenta omnesque testandi ritus, a Romanis inuentos, a Burgundionibus receptos fuisse, ex Titulo XLIII. cap. 1. patet.

a) Iuris Romani & Gundobadæ commixto etiam ex *Papiani* responsorum libro, quem ad imitationem breuiarii Alariciani iussu *Gundobaldi* Regis ex LL. Romanis composuit, probatur, vid. P. I. Hist. nostr. cap. fin. §. 16.

§. XV.

Collectæ eadem ætate fuerunt Leges Fresonum *a*), & quidem, vt alii putant, a *Theodorico* aut *Dagoberto* Francorum Regibus, alii *b*), ab *Haraldo* Danorum Rege, rursus alii *c*), a *Carolo M.* Sed quamuis incerta sit huius legis historia; antiquissimæ tamen Fresonum legis neque *Heraldum*, neque *Carolum M.* auctorem esse, sed horum ætatem longe eam antecedere, certissimum est.

a) Extant Leges Fresonum apud *Heroldum* pag. 131. & *Lindenbrog*. p. 487. antiquas etiam Frisiorum leges *Sibrandus Siccama* Franeck. 1617. 4. edidit notisque illustrauit.

§. XVI.

Prostat etiam lex antiquissima & breuis, Titulos XVII. complectens *a*), sub nomine Angliorum & Werinorum seu Thuringorum, gentium Saxonibus affinium *b*), ex qua lege varia iuris hodierni capita, v. g. de Alode, de rebus vtensilibus & expeditoriis **Gerade und Hergewette**, partim repetuntur, partim illustrantur.

a) Apud *Heroldum* p. 127. *Lindenbrog*. p. 479. & *Leibnitium* T. I. Rer. Brunsu. p. 81. *b*) vid. *Hertius* in Notit. vet. Germ. popul. P. II. c. 2. §. 3. & 39. & *Conring*. de O. I. G. c. 13.

§. XVII.

Sequitur nunc lex Saxonum *a*), nobilissimæ Ger-

manicæ

manicæ gentis & Christianæ religionis hostis infensissimæ, quæ, quamuis admodum breuis sit & XIIX. tantum titulis constet, multa tamen singularia continet, Homicidii enim pœna Werigeldum erat *b*), vxoribus a maritis dos constituebatur *c*), fœminæ sub tutela erant *d*) furtumque capitaliter puniebatur *e*); vt inde, legem Saxonum crudelissimam a *Wippone* appellatam fuisse, multis videatur.

a) Quæ apud *Heroldum* p. 121. & *Lindenbrogium* p. 476. reperitur. Leges Anglo-Saxonicas ecclesiasticas & ciuiles *Dauid Wilckins* Londini 1721. f. edidit, præmissa est *Wilh. Nicolsons* diss. epist. de Iure Saxon. Feudali. conf. Biblioth. ancienne & mod. T. 8. & Memoires Litter. de la Grande Bretagne de a. 1722. *b*) de hoc Werigeldo vid. *Ephraim Gerhardi* Diss. de imputatione damni per ignorantiam inuiti § 19. & *Schilter* Exercit. ad π. 19. § 15. *c*) vid. *Gundlingii* Diss. de coëmtione vxorum & Morgengabe. *d*) vid. *Euerhardi Ottonis* Diss. de Tutela Fœminarum perpetua & *Schilter* Exercit. 37. §. 222. *e*) Tit. 4. c. 1.

§. XVIII.

Magnam Lex Saxonum sub *Carolo M.* passa est mutationem, posteaquam enim bellicosam hanc nationem gloriosissimæ memoriæ Imperator deuicit, & Christianæ religionis principiis imbuit, nouas etiam leges Saxonibus, quibus multum eorum mores immutauit, dedit; Quo capitulatio eius de partibus Saxoniæ, in publicis Comitiis lata, quam *Fürstenbergius* ex MSCto Palatino Bibliothecæ Vaticanæ edidit *a*), *Hermannus Conringius* Libro, de Origine Iuris Germanici subiecit *b*), Commentariis vero suis *Hermann Adolph Meindersen c*) & *Caspar Caluoer d*) illustrarunt, pertinet.

a) Et monumentis Paterborn. c. 301. inseruit. *b*) p. 332. *c*) in libro de statu religionis & reipubl. sub *Carolo M.* Lemgou. 1711. 4. edito. *d*) in Saxon. inferior. antiqua Lib. II. c. 6.

§. XIX.

§. XIX.

Ad leges, a *Carolo M.* Saxonibus datas, etiam præceptum de institutione Episcopatuum per Saxoniam de a. 798. & præceptum pro *Trutmanno* comite, vt & Capitulare Saxonum, Aquisgrani a. 797. datum, quæ apud *Stephanum Baluzium a)* reperiuntur, referri possunt.

a) Tom. I. Capitul.

§. XX.

Habuit etiam gens Slauorum propria sua instituta, quæ tamen ad nostram ætatem non peruenerunt; vnde de illorum conditione *Adamus Bremensis a)*, *Helmoldus b)*, *Albertus Krantzius c)*, & *Lindenbrogius* euoluendi erunt.

a) In Hist. Ecclef. *b*) in Chron. Slauorum. *c*) in Vandalia. *d*) in collectione script. Septentrionalium.

§. XXI.

Hæ fuerunt Leges populorum in Germania commorantium: supersunt adhuc leges gentium Germanicarum, quæ patrias Sedes reliquerunt, nec vnquam reuerterunt; quo Gothi, quorum Leges *Ioann. Messenius a)*, & *Ioann. Loccenius b)* ediderunt, Wisi-Gothi, de quibus Part. I. cap. fin. egimus, & Ostro-Gothi *c)* referri merentur.

a) Stockholmiæ 1614. *b*) Londini Scanorum a. 1675. conf. Ioannes *Stirnboecki* Tráct. de Iure Sueonum & Gothorum Holmiæ 1682. editus. *c*) v. *Conring*, cap. 4. & *Hoffmann*. pag. 71.

§. XXII.

Præ ceteris autem Longobardorum leges, quarum auctores *Rotharis*, *Grimoaldus*, *Luitprandus*, & *Aistulphus* Longobardorum reges fuerunt, ea ætate celebrantur, quæ tamen, victo a Carolo M. *Desiderio* Longobardorum Rege, varias etiam mutationes expertæ fuerunt *a*).

a) vid. *Conring*. cap. 11. & Dn. *Hoffmann*. pag. 71. De auctore, qui Leges Longobardorum collegit & in certos titulos distinxit. vid. Nova Litt. Lipf. Germ. a. 1726.

a. 1726. p. 909. Varias LL. Longobard. promulgationes atque editiones *Ludouicus Antonius Muratorius* in præf. T. I. p. 11. Script. Rerum Italic præmiſſa, recenſet, nec minus nouam harum Legum editionem eid. Tomo inſeruit, notisque ſuis illuſtrauit.

§. XXIII.

Has veterum Germaniæ gentium leges *Ioannes Sichardus a*), *Baſilius Ioann. Herold b*), *Fridericus Lindenbrogius c*) & *Melchior Goldaſtus d*) collegerunt; hiſtoriam vero illarum *Hermannus Conringius e*), *Conradus Sincerus f*), *Werlhofius g*), Dn. *Chriſtian Godefredus Hoffmannus h*) & *auctor i*) pertexuerunt.

a) Qui LL. Ripuariorum, Boiuuariorum, & Alemann. congeſſit & Baſileæ 1530. 8. edidit. *b*) in originum atque Antiquit. libris Baſileæ a. 1557. f. edit. *c*) in Codice LL. antiquarum Francof. 1605. f. *d*) in Collectione conſtitut. Imperial. *e*) in Tract. de Orig. Iur. Germ. *f*) ſeu potius *Georg. Kulpiſius* in diſſ. epiſtolica ſæpius citata. *g*) in ſpeciminibus Iuris Germanici enucleati Helmſt. 1701. 4. *h*) In Specim. Coniectur. Politic. De origine & natura LL. German. priuatarum antiquarum &c. Lipſ. 1715. 4. *i*) In denen eröffneten Gedancken vom Teutſchen Stadt- und Land-Recht. Ienæ 1720. 8.

CAP. III.

DE LEGIBVS REGVM FRANCORVM CAPITVLARIA DICTIS.

§. I.

Hic Iurisprudentiæ Germanicæ a Sæculo V. vsque ad nonum fuit ſtatus, qui mirum in modum, poſteaquam *Carolus M.* plerasque Germanicas gentes ſub ſuam poteſtatem redegit atque occidentale imperium reſtaurauit, fuit immutatus.

§. II.

Is enim, ſicuti iuris iuſtitiæque amans erat, magnaque regnandi pollebat prudentia, gentium Germani-

manicarum Leges nondum collectas colligere, & in scripturam redigere iussit, scriptis autem proprias quasdam, testantibus *Eginhardo a)* & *Poëta b)*, addidit.

a) In vita *Caroli. M.* Idem docent verba diplomatis *Caroli M.* apud *Noppium* in Chron. Aquisgran. Lib. III. p. 3. & Annales Franc. apud *Lambecium* in Biblioth. Vindebon Lib. II. c. 5. a. 802. b) in vita *Caroli M.* apud *Leibnitium* Tomo I. Script. rer. Brunsu. p. 168. vbi ita canit:

In quibus antiquas leges correxit, in ipsis
Vniri mandans, dissona, quae fuerant.
Addidit his etiam, quae congrua duxit
Pauca quidem numero, sed valde vtilia.
Cunctorumque sui regni leges populorum
Collegit, plures inde libros faciens.

§. III.

Quod autem *Carolus M.* exemplo *Childeberti*, *Chlotarii*, *Carolomanni* & *Pipini*, suorum antecessorum, quamplurimas nouas leges, *Capitularia* ex eo dictas, quod in certa capita & sectiones essent distinctæ a), vario tempore promulgauerit, ex scriptoribus eius ætatis b) probatur, vnde recte *Stephanus Baluzius c)*, neminem Regum Francorum veteris æui tot leges tulisse, mihi dixisse videtur.

a) Vid. *du Fresne* in Glossar. voce Capitulum & *Mastricht* in Hist. Iur. Can. & Eccles. n. 214. b) v. *Sigebertus Gemblacensis* ad a. 802. & 3. c) in præf. Capitul. §. 31.

§. IV.

Quam maxime autem ea ætate leges & Capitularia inter se differebant; leges enim erant mores cuiuslibet populi, Sæculo V. & sequentibus in scripturam redacti & a Regibus adprobati, qualis erant Lex Salica, Ripuariorum, Alamannorum &c. Hæc vero Legum quasi appendices erant atque additamenta.

 Quam

Quam legum & Capitularium differentiam non tantum *Eginhardus a)* & *Hincmarus b)*, sed & ipsa Capitularia *c)* indicant.

a) C. XXXIX. vitæ *Caroli M.* & in annal. ad. a. 821. *b)* opusculo XIV. *c)* Capitulare *Ludouici Pii* de a. 821. cap. fin.

§. V.

Hæc capitularia in publico procerum tam ecclesiasticorum, quam sæcularium conuentu, arbitrio regis tamen non excluso, conficiebantur *a)*, a populo adprobabantur, & subscriptione procerum atque fidelium confirmabantur *b)*.

a) Hinc recte *Gretseri* & *Baronii* opinio, quasi pleraque capitularia auctoritate Romanorum Pontificum essent condita, a *Stephano Baluzio* in præf. Capitul. §. 9. reiicitur. *b)* vid. *Hertius* in Notit. Regni Franc. c. 5. §. 6. & Dn. *Struu.* in Hist. Iur. German. p. 433.

§. VI.

Obiectum Capitularium negotia tam ecclesiastica *a)* quam sæcularia, fontes vero illorum, præter Codicem Theodosianum *b)* & ius Anteiustinianeum, canones consiliorum erant, & quamuis, pauca tantum ex conciliis esse desumta & in Capitularia translata, *Hermannus Conringius* existimet *c)*, contrarium tamen *Antonius Augustinus d)*, *Petrus de Marca e)* & *Stephanus Baluzius f)* euicerunt.

a) v. *Mastricht* in hist. iur. Canon. & Eccles. n. 129. & sequ. *b)* vid. Diss. nostra inaugur. *De Codice Theodos. eiusque in Codice Iustin. vsu* cap. pen. *c)* de O. I. G. c. 14. *d)* de Emend. *Gratiani* Lib. II. Dial. X. *e* de Concord. Sacerd. & Imp. Lib. IV. cap. 25. *f)* in præf. capit. §. 9.

§. VII.

Executionem Capitularium Comites & Missi Regii habebant, horum enim officium *a)* erat, in Episcoporum, Abbatum aliorumque procerum facta inquirere, ab iis rationes exposcere, negligentiam eorum emendare ac supplere, nec non conuentus iuridicos per prouincias agere.

a) De

a) De Missorum Officio conf *du Fresne* in Glossario voce *Missi* & *Hertius* in Not. Regni Franc. c. 5. §. 27.

§. VIII.

Magna horum capitularium sub Francis, Germanis & Italis erat auctoritas, ita vt non solum loco legum & canonum habita *a*) sed etiam multa ex illis a *Reginone*, *Burcbardo Wormatiensi* aliisque in canonum collectiones, a *Gratiano* vero in Decretum *b*) fuerint relata.

a) Imo ad eorum obseruationem ipsos Pontifices adstrictos fuisse, ex epistola *Leonis* IV. ad *Lothar.* Imper. *Stephanus Baluzius* in præf. Capitul § 21. probat. conf. distinct. 10 c. 9. & c. 2. qu 7. c. 41. *b*) v. c. 2. qu. 1. c. 37. Sic in Concilio Rauennat. a. 904 a. *Labbæum* Concil. T. IX. p. 508. patres excommunicationem promulgarunt in eos, qui non obseruarent gloriosissimi Caroli M. Imperatoris, & Ludouici atque Lotharii, nec non filii eius Ludouici, quæ in eorum Capitularibus statuta atque sancita sunt, licet *Lud. Ant. Muratorius* in præf. ad T. I. Part. II. Rec. Ital. Script. de Legibus Longobardicis, inter quas de decimis ecclesiasticis leguntur T. III. L. III. à Carolo M., Ludouico Pio, & Lothario editæ, intelligere vellit.

§. IX.

Eundem morem Caroli M. filii, *Pipinus* nempe rex Italiæ, *a*) & *Ludouicus* imperator, ob beneficia in clericos collata *Pius* dictus, *b*) seruarunt, & in Conciliis, frequenter habitis, varia Capitularia, negotia tam secularia, quam ecclesiastica concernentia, ediderunt.

a) Extat capitulare *Pipini* de a. 793. apud *Baluzium* T. I. Capit. Reg. Franc. p. 533. & alia ex lege Longobardorum excerpta pag. 541. *b*) quæ Tom. I. apud *Baluzium* reperiuntur.

§. X.

Hæc Capitulatio *Caroli M.* & *Ludouici Pii* ab interitu vindicauit & in quatuor libros a. 827. *a*) digessit *Ansegisus* Abbas Fontanellensis, vel, vt *Sigbertus Gemblacensis b*) dicit, Abbas Lobiensis, quorum duo priores caussas ecclesiasticas, duo posteriores

vero

vero cauſſas ſæculares continent. Poſt quartum vero librum tres appendices, quarum prima & ſecunda *Caroli M.* tertia vero *Ludouici* & *Lotharii* Capitularia complectitur, reperiuntur *c*).

a) vid. *Sigbert. Gemblac.* ad illum annum. *b*) ad a. 727. vid. tamen *Baluzius* in præf. ad Capitul. §. 39. *c*) prolixam huius collectionis anatomen inuenies apud *Carolum le Cointe* Annal. Eccleſ. Franc. ad a. 827.

§. XI.

Atque hæc Capitularium collectio ſub *Ludouico Pio* & *Carolo Caluo* non tantum publicam auctoritatem accepit *a*), ſed & in variis Galliæ *b*) & Germaniæ *c*) conciliis, imo ab ipſo Pontifice *Leone* IV. in epiſtola ad *Lotharium* Imperatorem ſcripta, quæ apud *Gratianum d*) reperitur, fuit adprobata.

a) vid. *Baluzius* in præf. Capitul. §. 41. & 42. *b*) v. g. in Concilio Meldenſi c. 78. vid. *Anton. Auguſtinus* de emendat. *Gratiani* Dial. X. & XI. *c*) v. g. in Synodo Mogunt. ſub *Rhabano Mauro* habita cap. 16. in Syn. Mogun. ſub Imper. *Arnolpho* a. 880. habita can. 21. & 23. vid. *Conring.* cap. 17, *d*) can. 9. Diſtinct. 10.

§. XII.

Hæc Capitularia *Caroli M.* & *Ludouici Pii Beatus Rhenanus* primus Libro II. rerum Germanicarum a. 1531. edit. in lucem protulit: poſt quem *Ioachimus Vadianus* libro ſexto aphoriſmorum de euchariſtia p. 215. illa inſeruit, tandem *Vitus Amerpachius* librum Conſtitutionum *Caroli M.* Ingolſtadii 1545. 8. edidit, quem poſtea *Ioannes Buſæus* Moguntiæ a. 1602. ad calcem epiſtolarum *Hincmari* recudi fecit *a*).

a) vid. Dn. *Struuius* in Hiſt. Iur. German. p. 439.

§. XIII.

Quia autem varia Capitularia *Caroli M.* & *Ludouici*

uici Pii ab *Anſegiſo* erant prætermiſſa, aliam & quidem pleniorem Capitularium collectionem *Benedictus Leuita* Moguntinus; iuſſu *Ottgarii* Moguntini præſulis *a*), circa a. 845. edidit, atque *Anſegiſi* collectioni tres libros, quintum nempe, ſextum & ſeptimum adiecit *b*).

a) Exiſtimat quidem *Baronius* in annal. ad a. 845. & 47. hanc Capitularium collectionem ex præcepto Concilii Meldenſis a *Benedicto* eſſe confectam, ſed vid. *Conring.* de O. l. G. cap. 15. & 19. & *Nat. Alexander* Sæc. IX. Hiſt. Eccleſ. art. 11. p. m. 54. *b*) quintus capitula CCLI, ſextus CCCXXX, ſeptimus CCCLXXII. continet.

§. XIV.

Licet autem multa capitula *Benedictus Leuita* ſuæ collectioni inſeruerit, quæ in collectione Anſegiſiana non reperiuntur, attamen in eo *Leuitæ* collectio *Anſegiſi* eſt poſtponenda, quod illa Capitularibus multa aliena immiſcuerit ac ita Capitularia Cæſarum cum epiſtolis Pontificum, ius patrium cum peregrino turpiter confuderit: inepta enim hæc *Leuitæ* collectio præter Capitularia Imperatorum, Pontificum epiſtolas, conciliorum canones, excerpta ex Codice Theodoſiano aliisque Iuris Ante-Iuſtinianei partibus, a Wiſi-Gothis deprauatis, continet *a*).

a) Vid. *Steph. Baluzii* præfat. Capit. & præf. notis ad *Ant. Auguſtini* Gratianum ſcriptis, præmiſſa.

§. XV.

Benedicti Leuitæ collectionem quatuor additiones, nimirum prima capitulorum LXXX, ſecunda XXV, tertia LXXIX. & quarta CIIX, nec non volumen, capitula XX. *Caroli* Imperatoris *Ludouici* filii continens, excipiunt, in quas varia coniecta ſunt Capitularia, quæ in illis collectionibus non reperiuntur, quando autem & a quo hæ additiones factæ ſint, certo dici non poteſt *a*).

a) vid.

a) vid. *Conring* de O. I. G. c. 15. & *Baluzius* in præf. Capitul. §. 40.

§. XVI.

Nec minus filii *Ludouici Pii* ceterique Carolingicæ stirpis imperatores, nimirum *Ludouicus II. Carolus Caluus*, *Ludouicus Balbus*, *Carolomannus* & *Carolus Simplex* ad exemplum maiorum curam legum habuerunt, variaque Capitularia ediderunt *a*), quæ tamen partim ad Galliam, Belgium & Italiam pertinent, partim etiam paucas de negotiis sæcularibus Constitutiones complectuntur *b*).

a) Quæ apud *Baluzium* T. II. reperiuntur. *b*) vid. *Conring*. de O. I. G. c. 17.

§. XVII.

Primus de restituendis Regum Francorum Capitularibus sollicitus fuit *Ioannes Tilius*: verum, opus ab eo inchoatum *a*) *Petrus b*) & post illum *Franciscus Pithœus c*) ad finem perduxerunt, & nouam atque ampliorem, interpolatam tamen & corruptam, Capitularium editionem procurarunt.

a) Quod Parif. 1548. prodiit vid. *Baluzius* in præfat. ad Capit. §. 51. *b*) Parisiis 1588. vna cum glossario vocum obscurarum in Capitularibus repertarum. *c*) Parif. 1603.

§. XVIII.

Nec minus *Iacobus Sirmondus* doctissimus Iesuita *Caroli Calui* Capitularia Parisiis a. 1623. edidit atque digessit, illisque *Ludouici* II, *Carolomanni* & *Caroli Simplicis* capitula, nec non doctissimas suas notas adiecit *a*).

a) Recensionem huius operis apud *Mastricht*. n. 210. inuenies.

§. XIX.

Sed omnibus hisce *Stephani Baluzii* Tutelensis editio,

ditio, qua Parisiis a. 1677. in f. publicam lucem adspexit, palmam facile praeripit, hanc enim suasu *Petri de Marca* Archiepiscopi Parisini ex collectionibus *Ansegisi*, *Leuitae* & quatuor additionibus adornauit, & non tantum Capitularia *Caroli M.* atque *Ludouici Pii*, sed & reliquorum Francorum regum, quotquot reperire potuit, edidit, varias formulas, ea aetate in iudiciis vsitatas, nec non glossarium adiecit, omniaque notis suis doctissimis illustrauit *a*).

a) Quid in hac Capitularium editione praestiterit, ipse *Baluzius* in praefatione, illi praemissa, late exponit.

§. XX.

Allegantur equidem aliae constitutiones, nimirum *Caroli Crassi* de expeditione Romana, quam *Conradus Rittershusius* ad Guntherum Ligurinum edidit, *Marquardus* vero *Freherus* commentario illustrauit, vt & *Arnulphi* & *Henrici* I. constitutiones, quas *Goldastus* Tomo I. constitutionum imperialium inseruit; sed dubiae admodum illas esse fidei, solide *Hermannus Conringius a*) monstrauit.

a) De Orig. Iur. Germ. c. 17.

CAP. IV.

DE STATV LEGVM GERMANICARVM A SAECVLO DECIMO VSQVE AD FAMOSAS SPECVLI SAXONICI ET SVEVICI COLLECTIONES.

§. I.

QVamuis sub Regibus Carolingicae stirpis maxima Capitularium fuerit auctoritas; attamen extincta illa stirpe & electo in Germanorum regem *Conrado* Franconiae comite *a*), mox etiam capitularia, quia multa continebant, quae Ducibus Germaniae ac Comitibus, ad plenariam libertatem adspirantibus,

tibus, contraria videbantur, fuerint suppressa *b*), Ducesque ac Comites legislatoriam potestatem sibi vindicarunt *c*).

a) Optime Statum Germaniæ nostræ, qui sub *Conrado* fuit, Dn. *Ludwig* in Germania principe post Carolingica sub *Conrado* I. & Dn. *Gundling* in Diss. *De statu reipublicæ Germanicæ sub Conrado* I. quamuis in omnibus non conueniant, descripserunt *b*) De suppressione Capitularium valde *Stephanus Baluzius* in præf. Capitular. §. 1. conqueritur, omnemque calamitatem ex illorum neglectu esse ortam contendit. *c*) vid. *Hertii* Dissertat. *De superioritate territor.* & Dn. *Thomasii* Dissert. *De statuum Imperii potestate legislatoria contra ius commune.*

§. II.

Et cum misera atque ad perpetua dissidia Germaniæ in hac periodo composita fuerit facies; paucissimæ etiam leges in illa sunt latæ, & Germania nostra non tam legibus vniuersalibus, quam moribus, consuetudinibus & legibus prouinciarum particularibus, de quibus sequentibus capitibus agemus, fuit gubernata.

§. III.

Imo, si quæ reperiuntur constitutiones, ab imperatoribus hac in periodo latæ *a*), illæ non in Germania, sed in publicis Italiæ conuentibus *b*) sunt promulgatæ, & non tam negotia priuatorum, quam caussas publicas, v. g. electionem nouorum Imperatorum, tutelas illustrium personarum, defensionem iurium Imperatorum aduersus pontificum molimina, pacis publicæ defensionem, aliaque concernunt.

a) Caue tamen, omnes huius periodi constitutiones, a *Goldasto* Tom. I. Constitutionum Imperialium insertas, genuinas esse, credas, dubiæ enim plerasque esse fidei, eruditi iamdudum obseruarunt. *b*) Vt plurimum in campis Roncaliis, loco inter Placentiam & Cremonam sito, habitis. vid. *Otto Frisingensis*

gensis Lib. II. de reb. Frider. c. 2. *Guntherus Ligurinus* in vita Frider. Lib. II. *Abbas Vrspergens.* Lib. I. nec non *Andreas Riuinus* in Diss. *de Maiumis*, *Maicampis & Roncaliis*, quam *Ioann. Georg. Græuius* collect. rariorum Dissertationum Vltrai. anno 1702. edit. pag. 537. inseruit.

§. IV.

Occurrunt autem in hac periodo primum leges *a*) Imperatoris *Ottonis I*, ob res præclare gestas *Magni* dicti, inter quas lex de successione nepotum duello in Comitiis Westphaliæ Stelensibus, a. 942. celebratis, determinata *b*), qua nepotes ad successionem aui vna cum patruis vocantur, eminet.

a) Quas *Melch. Goldastus* Tom. vn. Constit. Imper. pag. 125 inseruit. *b*) narrantibus id *Witechindo Corbei.* Lib. II. Annal. pag. 644. apud *Meibomium* T. I. Scriptor. Germ. *Sigberto Gemblac.* ad a. 942. & auctore chronici Belgici p. 78.

§. V.

Ineptitudinis equidem atque iniquitatis hoc *Ottonis* factum multi incusant; sed non absque ratione politica, ne scilicet viros nobiles & senes offenderet, ab Imperatore *Ottone* hoc factum esse, ipse *Witechindus a*) obseruat.

a) Lib. II. Annal. p. 644. apud *Meibomium.*

§. VI.

Caue tamen, ne cum *Matthæo Colero a*) aliisque, Ius Weichbildicum Magdeburgense, quod maximæ olim inter exteras etiam gentes fuit auctoritatis, *Ottoni* tribuas, priuilegium enim huius imperatoris, quod Iuri Weichbildico præmittitur, esse suppositi-tium & recentiori ætate scriptum, *Leuberus b*), *Gryphiander c*), *Conringius d*) & *Struuius e*) solide monstrarunt.

a) In orat. de orig. & progr. Iur. Saxon. *b*) de stapula Saxon.

Saxon. p. 466. c) de Weichbild Saxon. c. 51. d) de Orig. Iur Germ. cap. 18. e) in Hist. Iur. Germ. cap. 24.

§. VII.

Nec minus leges *Ottonis* II. *de duobus reis stipulandi vel promittendi*; Ottonis III. *de Mancipiorum proprietate*; Henrici II. de *veneficiis & illicitis nuptiis, de Iurisdictione ecclesiarum imperii, de pacis turbatoribus & Homicidis, de Parricidis*; vt & *de iuramento calumniae clericorum a)*, a *Melchiore Goldasto* collectae & operi constitutionum imperialium insertae *b)*, supersunt, quas tamen plerasque, vt dubiae & suspectae fidei, accuratiores reiiciunt.

a) Quae *Henrici* constitutio Lib. II. LL. Longob. tit. 67. reperitur, conf. Gundlingiana P. IV. n. von Eydschwur der Geistlichen.

§. VIII.

Sunt etiam quaedam leges ab Imperatoribus Francicis *Conrado* nimirum II. *Salico* dicto, *Henrico* III. IV. & V. promulgatae, quae partim Iuri Feudali Longobardorum *a)*, partim Constitutionibus Imperialibus, a *Goldasto* editis, sunt insertae. Sed illae non tam caussas priuatorum, quam negotia publica, nimirum pacis publicae & feudorum constitutionem ac conseruationem, concernunt.

a) Ita *Conradi* Imp. constitutio: *De successione filiorum & agnatorum* Lib. III. LL. Longob. Tom. 8. c. 4. eius pars vero I. Feud. I. reperitur, aliae *Conradi* constitutiones II. Feud. XI. §. fin. II. F. XXXIV. & XL. extant. conf. Gundlingiana P. I. p. 205.

§. IX.

Nec minus Sueuici Imperatores in publicis conventibus, tam in Germania, quam in Italia, & quidem in Campis Roncaliis *a)* habitis, varias ediderunt constitutiones. Quales sunt *Friderici I.* leges castrenses apud Brixiam in publico Ordinum imperii con-

conuenta a. 1158. latæ *b*), aliæque ciuiles *c*), inter quas Authentica *Habita C. ne filius pro patre*, eodem anno in gratiam iuris cultorum promulgata, eminet.

a) De campis Roncaliis *Andreæ Riuini*, non *Franckenstenii*, vt multi fcribunt *de Maiumis Maicampis & Roncaliis* differtatio cit. conferri meretur. *b*) quæ apud *Goldastum* T. vn. Conftit. Imper. p. 268. extat. *c*) quæ apud *Goldastum* T. III. Conftit. Imper. p. 330. confpiciuntur.

§. X.

Idem Imperator prudentiffimus varias de pace Imperii publica conferuanda, nec non iure manuario tollendo in præfentia Procerum imperii fanciuit leges *a*), quarum vna *II. Feudorum XXVII*, altera vero de incendiariis & pacis violatoribus *Lib. V. Feudorum X.* reperitur.

a) vid. *Datt.* de pace Imperii publica Lib. IV. cap. 1.

§. XI.

Tandem etiam fæculo XII. *Otto* IV. varias leges, v. g. de *donationibus*, *vulneratis*, & *pro pace publica feruanda*, nec non *Philippus* imperator de *diffidamentis* tulerunt, quæ tamen publicum vtplurimum Imperii Statum concernebant *a*).

a) vid. Dn. *Struuius* in Hift. Iur. Germ. §. 17.

§. XII.

An vero leges, in Comitiis Roncalienfibus Sæculo XII. ab Imperatoribus latæ, Germanos quoque obligauerint, dubium multis *a*) videtur, & quamuis viro celeberrimo *Christiano Godofredo Hoffmanno* affirmatiuam ex eo, quod I. præfentes fuerint principes imperii, II. eorum confenfu leges latæ, III. de eorum feudis iudicatum, & IV. Leges vtplurimum generaliter conceptæ fuerint, defendere placuerit *b*); proceres tamen imperii, non tam Legum ferenda-

rum Comitiorumque habendorum, quam comitatus caussa, præsentes tum temporis in Italia fuisse, ex scriptoribus eius ætatis patet.

a) Vt *Conrado Sincero* in diss. epist. §. 67. b) in Conspectu LL. Germ. p. 98.

§. XIII.

Præ ceteris autem *Fridericus* II. sæculo XIII. circa leges ferendas occupatus fuit. Non solum enim de caussis publicis a) & ecclesiasticis b), sed etiam de negotiis priuatorum quam plurimas leges tulit, inter quas Authentica *Cassa C. de SS. Ecclesiis*, & Authentica *Nauigia C. de furtis*, quæ in Codicem Iustinianeum sub nomine Authenticarum relatæ c), eminent.

a) Huc constitutio, quam *Goldastus* T. II. der Reichs-Satzungen p. 17. exhibet, quæque primus Recessus imperii, idiomate Germanico scriptus, dicitur, pertinet, vid. tamen L. B. *de Lyncker* de idiomate imperiali p. 10. & Dn. *Struuius* in histor. Iur. German. §. XIIX. b) quæ a *Pfeffingero* ad *Vitriarium* Lib. I. Tit. II. p. 67. recensentur. c) vid. P. II. Hist. nostræ cap. 10.

§. XIV.

Cum autem horum imperatorum constitutiones, a nobis recensitæ, magis statum publicum, quam negotia priuatorum respexerint; Germaniam nostram non tam legibus scriptis, quam moribus & consuetudinibus, nec non iure Canonico & ciuili, in primis autem iure manuario in hac periodo fuisse gubernatam, ex scriptoribus Sæculi XII. & XIII. constat.

CAP.

CAP. V.

DE IVRE GERMANORVM MANVARIO, von Faust- und Kolben-Rechte.

§. I.

SIcuti maiores nostri bellicæ admodum erant indolis *a*), vt *Seneca* de illis: *Quid Germanis animosius, quid armorum cupidius, quibus innascuntur innutriunturque, quorum vna illis cura est, alia negligentibus?* dixerit *b*); ita etiam ius in viribus habuerunt *c*), & per multa sæcula lites subortas, non iudicio, sed armis & ferro deciderunt.

a) vid. *Tacitus* de Mor. Germ. c. 14. & Lib. XV. Annal. c. 1. *b*) de Ira Lib. I. c. 11. *c*) monente *Pomponio Mela* Lib. III. De situ orbis.

§. II.

Et hæc peruersa lites dirimendi ratio ita Germaniam & veterem & mediam infecit, vt pleræque eius gentes *a*) iuri manuario, dem Faust- und Kolben-Rechte / locum dederint, atque in dubiis causis ad scelestum hoc præsidium, diuinumque, vt peruerse tum temporis credebatur, iudicium *b*) confugerint.

a) Quod apud plerasque Germaniæ nationes ius manuarium adprobauerint ex *LL. Burgund.* tit. 45. *Alamann.* tit. 44. §. 1. tit. 56. §. 1. Tit. 84. *Baiuuar.* tit. 2. c. 2. tit. 9. c. 4. & *Longob.* Lib. I. tit. 9. §. 39. & Lib. II. tit. 35. §. 3. patet. *b*) vnde vetus auctor de beneficiis, a Dn. *Thomasio* editus, §. 100. ait: *Tamen iudicium Dei non est licitum adhiberi per vllam caussam, nisi cuius veritas per iustitiam non potest aliter reperiri, hoc terminabitur iudicio Dei.*

§. III.

Consistebat autem ius manuarium partim in iudicio Duellico, dem Kampff- und Kolben-Gerichte / partim in Faidis & diffidationibus, denen Vehden; illud nihil

 aliud

aliud erat, quam duorum concertatio, auctoritate iudicis hac lege instituta, vt ex ipsius euentu de re ambigua diiudicaretur. a) Diffidationes vero erant denunciationes animi hostilis, qua quis alii cuipiam significabat, se eum armis, igne, spoliis, rapinis persequuturum b).

a) *Hermann.* disp. feud. c. 42. b) v. *Bocerus* de crimine diffidationis c. 1. n. 4. & *Ephraim Gerhard.* in diss. *De Iudicio Duellico* Ienæ 1711. habita, cap. 1.

§. IV.

Personæ huius iudicii Duellici principales erant iudex & partes litigantes, ille, deficientibus omnibus probationibus, dimicationem ad implorationem partis læsæ a) concedebat; hæ vero ambiguam disceptationem, quæ ordinario iure terminari non poterat, per duellum dirimebant.

a) Formulam huius implorationis ex *Hermanni de Bare* tractatu, de formandis libellis Dn. *Gerhard.* cit. diss. c. 1. §. 5. nota a. exhibet.

§. V.

Caussæ iudicii duellici erant vel ecclesiasticæ a), vel sæculares; hæ iterum vel priuatæ vel publicæ b); priuatæ vel criminales vel ciuiles c); quamuis, maiorem fuisse iudicii Duellici in purgandis & detegendis criminibus, quam in dirimendis caussis ciuilibus, vsum, negandum haud sit.

a) Etiam religionis probandæ caussa duella fuisse suscepta Dn. *Gerhard.* in diss. cit. c. 3. §. 4. probat. b) vid. diss. cit. cap. 3. §. 5. c) vid. c. 3. §. 8. & 9. cit. diss.

§. VI.

Ad modum, in hoc iudicio obseruatum, quod attinet; campus planus, soli & pulueri non expositus, eligebatur, quem termino præfixo ingrediebantur duellantes, consiliarii, patrini, campiones, & qui alias

alias victores in singulari certamine fuerant; vbi, præstito prius iuramento innocentiæ, armisque æqualiter diuisis, tam diu vario Marte pugnatum, donec pars victrix extitisset, & sic victa pro reo haberetur, causaque caderet *a*).

a) Vti ab *Ephr. Gerhard* in cit. diss. c. I. §. 5. describitur, conf. *Nicolai Vptoni* Canonici Sarisburiensis *de officio militari* liber, & *du Fresne* in Glossar. voce *Duellum*.

§. VII.

Sed cum peruersus hic probandi mos ita placeret maioribus nostris, vt non tantum laici, sed etiam Clerici *a*) eo vterentur; pontifices, quo huic malo obviam irent, loco iudicii duellici ceterarumque probationis vulgaris specierum purgationem Canonicam *b*) in forum introduxerunt.

a) vid. Tit. X. *de clerico pugn. in Duello*. *b*) vid. Tit. X. *de purgat. Canon.* ibique commentatores.

§. VIII.

Et hoc modo factum est, vt cum fine sæculi XV. iudicium duellicum etiam euanuerit. Accesserunt deinde Imperatorum, nimirum *Matthiæ*, *Ferdinandi III.* & *Leopoldi*, vt & Ordinum imperii constitutiones, vulgo Duel-mandata dictæ, quibus omnis monomachia fuit sublata.

§. IX.

Altera iuris manuarii, in Germania vsitati, species diffidatio, die Befehdung/ fuit. Quodsi enim graues inimicitiæ inter duos pluresque essent ortæ, diffidatoriis litteris *a*), in quibus tamen honorem sibi hac clausula reseruare solebant: Will deß meine Ehre gegen euch und die ewrigen bewahret haben/ animum hostilem sibi inuicem significabant, seque tamdiu armis, igne, spoliis & rapinis persequebantur, donec vel sacramento sollemni interiecto, quod *Obrutta*, vel

Ohrfried nominabatur *b*), vel cautionibus *c*) repromissæ securitatis, diffidia ista componerentur.

a) Formulas litterarum diffidationum *Dattius* de pace Imperii Publ. Lib. I. c. 15. §. 19. *Speidelius* in notab. voce Fehd & Dn. *Gerbard* in diss. *De iudicio duellico* exhibent. *b*) vid. LL. Longob. Lib. I. T. 9. §. 34. Lib. II. tit. 7. §. 2. Capitul. *Caroli Calui* tit. 34. §. 10. & *Caroli M.* Lib. IV. c. 27. *c*) formulæ eiusmodi cautionum apud *Marculphum* P. II. form. 18. in formulis Sirmondicis form. 39. in form. Lindenbrog. form. 124. reperiuntur.

§. X.

Non solum autem proceres imperii, virique alii illustres & strenui, litteras diffidatorias sibi inuicem miserunt, illisque hostilem animum declararunt; sed etiam inferioris conditionis, imo leuissimæ sortis homines, summis principibus *a*) hoc modo inimicitiam significare, ausi fuerunt.

a) Ita pistores, narrante *Bocero* in tract. de diffidat. pag. 13. imperiali Augustæ Vindelicorum ciuitati faidam significarunt; pari ratione Dn. *Mullerus*, vir doctissimus & de antiquitatibus patriis bene meritus, in Reichstags-Theatro cap. 7. inter alia einen Abschieds-Brief eines Kochs mit seinen Küchen-Jungen, Holtz-trägern und Schüsselwäschern an Graf Otten von Solms / communicauit.

§. XI.

Et quamuis de coërcendo hoc malo imperatores Carolingicæ stirpis iam laborauerint: attamen vindicta priuata & vlciscendi cupiditas in primis inter proceres imperii ita inualuit, vt hæc priuatorum bella etiam post Carolingorum tempora continuata, & subsequentes imperatores, *Fridericus* scilicet I. & II. *Albertus* I, *Carolus* IV. *Fridericus* III. aliique certas tantum leges diffidationibus præscribere, contenti fuerint.

§. XII.

§. XII.

Tandem circa finem ſæculi XV. per pacem imperii publicam *a*) den Königlichen Land-Frieden / a *Maximiliano* I. communi procerum imperii conſenſu Wormatiæ a. 1495. ſtabilitam, & ſequentibus imperii conſtitutionibus *b*) firmatam, omnes diffidationes ſublatæ, & pro ſpecie fractæ pacis ſunt habitæ.

a) Ita enim fol. 27. des Königlichen Land-Friedens ſtatutum reperitur: Darauf haben wir alle offne Fehde und Verwahrung durch das gantze Reich aufgehoben und abgethan. *b*); nimirum Receſſu Imper. de a. 1506. Tit. von aufgerichteten Land-Frieden 1712. §. Und ob iemand &c. & in den Kayſerl. Land-Frieden de a. 1548. tit. von aufgerichteten Land-Frieden. v. *Dattii* elegantiſſimus de Pace Imper. publica liber.

CAP. VI.

DE SPECVLO SAXONICO ET SVEVICO.

§. I.

QVanquam in ſe certum exploratumque eſt, Saxones ante *Caroli M.* tempora ſuis legibus, ſeu potius conſuetudinibus, vixiſſe *a*); attamen iuris Saxonici originem a *Caroli M.*, quippe cuius auctoritate ius illud in ſcripturam primum redactum fuit *b*), æuo merito deducimus *c*).

a) Non tamen Iuris Saxonici originem ad *Conſtantini* tempora cum gloſſatore in præf. ad Weichbild referimus. *b*) vid. Part. IV. Hiſt. noſtræ cap. 2. quamuis *Crantzius* in Saxonia Lib. II. cap. 21. *Carolum M.* Saxonibus leges dediſſe, primus negauerit. *c*) integrum tamen Speculum Saxonicum a *Carolo M.* conditum fuiſſe, vti *Ioann. de Laſco* Poloniæ Cancellarius fecit, minime ſtatuimus. vid. *Obrecht.* diſſ. III. de LL. German.

§. II.

Ea enim *Caroli M.* erga deuictos Saxones fuit humanitas, vt iura Francorum illis non obtruserit, sed suis Legibus viuere permiserit, imo Legem Saxonicam variis nouis legibus adauxerit *a*); quod etiam subsequentes post *Caroli* Magni excessum imperatores, in primis *Ottones*, Saxonicæ libertatis statores fecisse, admodum probabile nobis videtur.

a) vid. P. IV. Hist. nostræ c. 2. *b*) ad Constit. enim *Ottonum* & *Friderici* I. varii textus in Speculo semet referunt. vid. *Rechenberg* diss. de origine Iur. Sax. §. 15. & *Gryphiander* de Weichb. Sax. c. 42. §. 5. 6. 7.

§. III.

Cum autem ius, quo Saxones Sæculo X. XI. & XII. vtebantur, moribus magis & traditione populari, quam litterarum monumentis constaret: *Epko a Repkau*, eques Saxonicus *a*), quo aliis inseruiret, atque consuetudines Saxonicas ab obliuione ac interitu, quem Leges Pontificum, tum temporis in Germaniæ fora penetrantes, ipsis minabantur *b*), vindicaret, corpus quoddam, Speculum Saxonicum dictum, priuato studio collegit.

a) Cuius familiam *Heigius* in Quæst. iur. quæst. 8. & *Hornius* in præf. ad Ius feud. §. 12. exponunt, & quem Vasallum Principis Anhaltini fuisse, *Becmannus* in hist. Anhalt. P. VII. c. 3. scribit. *b*) hinc in art. 3. Lib. I. des Land-Rechts in f. legitur: der Papst mag kein Recht setzen / da er unser Land-Recht oder Lehnrecht mit ändern oder kräncken möge.

§. IV.

Sumitur autem Speculum Saxonicum vel late, pro iure nimirum prouinciali, Land-Recht / Municipali, Weichbild & feudali, Lehn-recht / vel stricte, pro iure Saxonico prouinciali, Sächsisch Land-Recht / & hoc vnice etiam *Epko a Repkau* sub nomine Speculi Saxonici edidit *a*).

a) Ius

a) Ius enim Weichbildicum circa initium sæculi XIV. compilatum est, & iuris feudalis collectio Spec. Saxon. non multo est recentior.

§. V.

Ætas huius collectionis, cum ipse *Repkow* & scriptores eius ætatis sileant, certo determinari non potest, esse tamen Speculum Saxonicum sæculo XIII. circa annum 1230. a) compilatum, ex eo, quod multa in hoc speculo commemorentur, quæ circa initium huius sæculi euenerunt, quodue virorum, v. g. *Hoyeri Comitis de Falckenstein* b), qui circa idem tempus inclaruerunt, mentio fiat, firmiter concludimus.

a) Quod etiam *Conringius* de O. I. G. c. 30. *Strauchius* in diss. Iur. Publ. Diss. 3. & 6. & *Rinck*. in diss. *de speculo Saxonico* statuere videntur. b) vid. Dn. *Struuius* in hist. Iur. Germ. p. 457.

§. VI.

De idiomate, quo *Epko a Repkow* in compilando hoc speculo vsus fuit, inter Doctores non conuenit: *Schilterus* enim, a) *Conradus Sincerus* b), & Dn. *Thomasius* c) Latina quidem lingua *Repkouium* mores Saxonicæ gentis colligere voluisse, ob laboris tamen difficultatem consilium suum mutasse, & idiomate Germanico collectionem suam perfecisse, statuunt. Sed *Repkouium* speculum Saxonicum statim in Latina lingua conscripsisse, & deinde integrum illud in idioma Germanicum transtulisse, ipsa huius speculi præfatio d) nos edocet.

a) Exercit. ad π. XXIII. §. 64. b) in diss. epist. §. 16. c) in Select. Feud. §. 48. d) ibi:

Nun dancket allgemein/
Dem von Falckenstein/
Das Teutsch is gewannt;
Diß Buch durch seine Bethe ꝛc.
it. Daß ihm war viel unbedacht/
Da er es in Latein hatte bracht/

Ohn

Ohn Hülff / und ohne Lere /
Da daucht ihn das zu schwere /
Daß er es in deutsch wante.

§. VII.

Fontes huius speculi vtplurimum mores maiorum fuerunt; quare speculator in præfatione dicit:

Diß Recht hab ich selber nicht erdacht /
Es habens von Alter auf uns bracht /
Unsere gutte Vorfahren / rc.

Quamuis, *Repkouium* multa ex sua praxi & experientia speculo adiecisse, admodum credibile sit.

§. VIII.

Sicuti autem speculum Saxonicum barbaris admodum sæculis a *Repkouio* fuit collectum atque editum: ita etiam pro conditione illorum temporum varii næui & defectus in eo deprehenduntur. Non enim solum in historicis varias fabulas & figmenta immiscet, sed etiam multa obsoleta, dura & iniqua, v. g. modum probandi per duellum, ferrum candens, aquam frigidam &c. in se continet *a*).

a) Quos næuos Dn. *Leyser* in diss. *de præstantia LL. Roman. præ iure Saxonico* & Dn. *Hoffmann* in Specim. coniect. Politic. p. 118. probe annotarunt.

§. IX.

Verum, licet speculum Saxonicum maculis suis atque defectibus laboret: ex eo tamen, non statim omnem vtilitatem illi esse denegandam, illudque, tanquam opus fabulosum, ex iure Romano & Germanico consarcinatum, atque ineptiarum plenum *a*) reiiciendum, cum vtilitas huius collectionis non ex interna structura, sed receptione sit diiudicanda, quilibet æquus rerum æstimator facile intelligit *b*).

a) vti Dn. *Ludwigio* in der Einleitung zu dem Teutschen Müntzwesen mittler Zeiten cap. f. it. von Mängeln und Verbesserung des Teutschen Lehn-Rechts. §. 7. illud voca-

vocare placuit. *b*) vid. Dn. *Rinckii* diss. *de specul. Saxon. iur. Sax.* §. 6. sequ.

§. X.

Et hoc speculum Saxonicum, quamuis publica auctoritate non fuerit promulgatum, imo per *Gregorium* XI. *a*) & *Eugenium* IV. pontifices viginti duo huius speculi articuli reprobati, magno cum applausu fuit acceptum, & non solum in Saxonia, sed etiam Lusatia *b*), Silesia *c*), Bohemia, Polonia, Borussia, Anhaltino principatu, Holsatia *d*) Marchia, Pomerania, Westphalia, terris Megapolitanis & Brunsuicensibus instar corporis iuris Germanici habitum *e*); vt non immerito, a saeculo XIII. ad XV. omnem Germaniam Iure Saxonico & Sueuico administratam fuisse, *Philipp. Datt. f*) asserat.

a) v. Dn. *Struuius* in hist. iur. Germ. p. 47. *b*) vid. *Ludwigs* differ. iur. feud. comm. & Lusatic. *c*) vid. *Sam. Strykii* diss. de Iure Silesiorum Saxon. & de origine & progr. Iur. Sax. in Silesia. *d*) vid. *Mauricii* praef. Cons. Chilon. praemissa. *e*) v. *Hoffm.* in specim. Coniect. Politic. p. 109. sequ. *f*) de Pace Imp. publ. lib. 4. c. 1. n. 7.

§. XI.

Quae iuris Saxonici auctoritas ex eo potissimum probatur, quod *Carolus* IV. in Aurea Bulla *a*) secundum iura Saxonica & Francica vtrumque Imperii Vicariatum distinxerit, atque Electori Saxonico terras, in quibus ius Saxonicum viguit, Electori vero Palatino, vbi ius Sueuicum vsu obtinuit, tanquam vicariis imperii gubernandas reliquerit; & quamuis *Christian. Godofredus Hoffmannus b*) verba Aureae Bullae: *in iis locis, vbi Saxonica iura seruantur*, de illis prouinciis, quae olim ad Saxonicam plagam spectarunt, non quae iure Saxonico vixerunt, intelligere uelit, attamen eius sententiam, cum omnes saeculi XIV. scriptores de summa iuris Saxonici te-

stentur

ſtentur auctoritate, admitti non poſſe, quilibet facile animaduertit *c*).

a) Cap. V. §. 2. *b*) in ſpecim. Coniect. politic. p. 117. *c*) vid. *Gruebneri* diſſ. de Terris iuris Saxonici. *Keſtner* problema III. De auctoritate ſpeculi Sax. & Sueu. quod in Tract. de defectibus iuris comm. propoſuit. *Rinck.* in diſſ. de ſpec. Sax. §. X. & *Ioann. Zachar. Hartmanni* de Vicariatu Sax. per Friſiam Orient. Comment. §. 13. & 14.

§. XII.

Promota quam maxime fuit huius ſpeculi auctoritas; quod præclaræ nobilitatis & dignitatis viri, nimirum *Burchardus* Archiepiſcopus Magdeburgenſis, *Otto* & *Hoyer* Comites Valckenſteinenſes, *Volrad a Dreyleben*, *Conrad a Ruslau*, *Henricus a Barteslében*, *Nicolaus de Bork* aliique, interpretationem eius in ſe ſuſceperint, atque gloſſis ſuis illud illuſtrauerint *a*).

a) Non tamen gloſſa, quæ iuris Sax. textibus eſt ſubiecta, vno tempore facta, ſed ſucceſſiue aucta & locupletata fuit. v. *Gryphiander* de Weichb. Sax. c. 53. & *Rinck.* in diſſ. cit. §. XI.

§. XIII.

Præ ceteris autem iuris Saxonici gloſſatoribus *Thammo* ſiue *Theodorus a Burgsdorff a*), eques Sileſius atque epiſcopus Naumburgenſis, eminet, quippe qui circa annum 1268. non ſolum in ſpeculum breues annnotationes & gloſſas ſub nomine Apoſtillæ ſcripſit, ſed etiam repertorium congeſſit.

a) v. *Hanckii* tr. de Sileſ. indig. eruditis c. 33.

§. XIV.

In eo tamen parum ſpeculi Saxonici gloſſatores lapſos eſſe cenſemus, quod mores patrios ex iuribus peregrinis, Romano ſcilicet & Canonico, expo-

exponere intenderint, & sic ius patrium cum peregrino turpiter confuderint.

§. XV.

Huius iuris Saxonici, des Sächsischen Land-Rechts, auctoritas, quamuis, recepto iure Iustinianeo & conditis sæculo XIV. & sequentibus ab imperii ordinibus legibus prouincialibus quamplurimis, valde fuerit imminuta: attamen adhuc hodie in variis Imperii Germanici prouinciis, in primis vero in Saxonia Ducali, quæ Serenissimorum Saxoniæ Ducum dominium agnoscit, in quantum per recentiores leges eius capita non fuerint abrogata, viget & ad caussarum decisionem adhibetur *a*); quamuis non desint ICti *b*), qui non aliter Ius Saxonicum vetus hodie valere censent, quam quatenus eius vsus & obseruantia circa casum controuersum probari possit.

a) Hinc etiam in ordinat. Sereniss. Saxon. Ducum prouinc. in primis ordinat. Curiæ Prou. Sax. comm. cap. 15. dicitur: So wohl die Sächsischen Rechte / wie solche ausgedruckt / und in denen Landen dißeits des Thüringer Waldes in Ubung/und von alters herkommen/ conf. *Stryck.* in disc. prælim. §. 31. *Horn.* in diss. de prærogatiua morum præ Iur. Rom. *Schreiter* in diss. de orig. Iur. Sax. §. 27. *Rinck* in diss. de spec. Sax. §. 16. & Dn. *Thomasius* in not. ad *Kulpisii* diss. epist. ad §. 25. Excipiuntur tamen quædam prouinciæ quæ, licet dominium Serenissimorum Saxoniæ Ducum agnoscant, tamen Sueuici iuris terris annumerantur, vt Ducatus Coburgensis. & Princip. Hennebergensis. vid. *Schilter* Exercit. ad Pandect. p. 262. *b*) vt *Hartm. Pistor.* P. 2. Qu. 25. n. 35. & qu. 26. n. 18. *Schultes* qu. 69. n. 17. *Carpzou.* P. 3. C. 2. D. 13. *Richter* Dec. 28. n. 15. L. B. *de Lyncker* Decis. 1264. Resolut. 8. & Dn. *Harprecht ab Harprechtstein* in Tract. cui Tit. Speculi Sueuici & præsertim iuris Feud. Alamannici in foris Vicariatus Sueuo-Franconico-Palatini non vsus modernus Kiel. 1723. 4.

§. XVI.

Varia speculi Saxonici dantur exemplaria, tam manu exarata, quam impressa; MSCtos huius speculi Codices *Gryphiander a*) *Werlhof b*) *Lambecius c*) & Dn. *Struuius d*) recensent; inter editiones vero typis impressas Basiliensis a. 1483. apud *Bernard Ritzel*, & Lips. a. 1488. Augustana a. 1516. & *Christoph. Zobelii*, quæ cum additionibus & Scabinorum responsis Lipsiæ 1569. cura *Georg. Menii*, nec non a. 1614. litteris *Gothardi Vægelini* prodierunt, referri merentur *e*).

a) De Weichb. Sax. c. 39. *b*) Specim. II. Iur. German. enucl. cap. 2. §. 175. *c*) de Bibl. Vindeb. Lib. III. c. 8. *d*) in hist. iur. Germ. p. 468. *e*) edidit etiam *Iac. Frid. Ludouici* ius Prou. Saxon. idiomate Saxon. Latino & Misnico Halæ 1720. 4.

§. XVII.

Quibusdam editionibus etiam accessit der Richtsteig/ quod nihil aliud est, quam processus a Saxonibus olim obseruatus, cuius auctores *Burcard von Mangelfeld* & *Gercken a Kertau* a Glossa ad artic. X. des Weichbildes nominantur.

§. XVIII.

Et cum speculum Saxonicum sine omni ferme connexione & ordine concinnatum esse, multi viderent, huic malo D. *Georg. von Prietzen a*) *Beniamin Leuber b*) & *Melchior Kling c*) medelam afferre & systematico ordine speculum illud exhibere voluerunt *d*).

a) In compendio Iur. Sax. *b*) in dem Buch über die alten priuilegien der Stadt Magdeburg Sächs. Weichbildes. *c*) qui Lipsiæ 1572. & Francofurti 1600. Ius Saxonicum textu & glossis in ordinem quendam redegit. *d*) huc etiam illi, qui differentias Iur. Ciu. & Saxon. scripserunt, vt *Lud. Fachsius*, *Benedictus Reinhart*, *Christoph. Zobel*, *Luder Mencke* aliique, quos Dn. *Struuius* in Bibl. Hist. c. 6. §. 120. recenset, referri merentur.

§. XIX.

§. XIX.

Speculo Saxonico, dem Sächſiſchen Land-Recht / circa initium ſæculi XIV. *a*) acceſſit ius Weichbildicum, Magdeburgenſe, quia huius iuris ſedes præcipua vrbs Magdeburgum fuit, dictum, quod, quia pleraque, etiam fabulas & figmenta, cum ſpeculo Saxonico communia habet, recte a *Matthæo Colero b*) ſpeculi Saxonici epitome dicitur.

a) Hinc merito priuilegium, ab *Ottone* I. Imperatore Magdeburgenſibus ſuper iure Weichbildico datum, ab accuratioribus, nimirum *Leubero* in disquiſit. de ſtapula Saxon. n. 406. *Coler*. in orat. de iur. Saxon. orig. & progr. Dn. *Hoffmanno* in Specim. Coniect. Polit. vt ſuppoſititium reiicitur, quamuis Magdeburgenſes eius confirmationem *in Inſtrum. Pac. art.* XI. impetrarint. *b*) in orat. cit.

§. XX.

Tantæ autem Ius Weichbildicum fuit auctoritatis, vt non ſolum ex Bohemia, Polonia *a*) & Boruſſia Magdeburgum, vbi ſupremum Scabinorum erat iudicium *b*), fuerit appellatum, ſed etiam quam plurimæ ciuitates vſum iuris Weichbildici Magdeburgenſis ſibi a principibus per modum priuilegii expetierint. *c*)

a) Polonis tamen Caſimirum Regem appellationem ad ciuitatem Magdeburgenſem anno 1356. interdixiſſe, *Martinus Mechouius* L. IV. Chron. Polon. c. 19. teſtatur. *b*) De Scabinatu Magdeburgenſi, quod a Burggrauiatu antiquis temporibus dependebat. v. *Leuber* in diſquiſ. de ſtapula Sax. n. 540.; erat etiam ea ætate Hallenſium ſcabinatus celebris, de quo omnia, quæ dici poſſunt, *Ockelius* in tract. de Palatio regio, exhauſit. Poſteaquam a. urbs Magdeburg. à Carolo V. proſcripta fuit, Ferdinandus I. Bohemos ſummam Regni Bohemici Tribunal adire iuſſit. vid. *Henelii* Sileſiogr. c. 8. *c*) qualia priuilegia Dn. *Struuius* in hiſt. Iur. Germ. p. 482. exhibet.

§. XXI.

Nec minus, paullo poſt Iuris prouincialis collectionem, ius feudale Saxonicum priuata auctorita-

te conſcriptum videtur. Auctorem huius iuris feudalis equidem Gloſſa ad ſpeculum Saxonicum *a*) *Fridericum II.* Imperatorem facit, ſed ipſum *Epkonem a Repkau* huius collectionis fuiſſe auctorem *Ioann. Schilterus b*) & Dn. *Struuius c*) ex eo, quod in pleriſque Codicibus Ius feudale iuri prouinciali additum *Repkouii*que nomen præſcriptum reperiatur, probabilius exiſtimant.

a) Ad Lib. I. art. XIV. & XXVI. *b*) in Introd. ad ius feud. Germ. & Longob. cap. 1. §. 5. *c*) in Hiſt. iur. feud. §. 16.

§. XXII.

Hoc ius feudale Saxonicum cum gloſſis ad illud conſcriptis *Chriſtophorus Zobel* Lipſiæ 1589. ſine gloſſis vero *Ioann. Schilter* ex Codice MSCto Bibliothecæ Paulinæ Lipſienſis Argentorati 1695. 4. edidit *a*).

a) Idem ius feud. Sax. etiam *Burgemeiſter* Corpori Iur. Germ. inſeruit.

§. XXIII.

Sicuti autem Alamanni propria ſua ſemper habuerunt iura *a*), ita ad imitationem ſpeculi Saxonici *b*) ſæculo, vt videtur, XIV. illorum iura in ſpeculo Sueuico, Schwaben Spiegel/ *c*) ab incerto auctore *d*) fuerunt collecta.

a) vid. Hiſt. noſtr. P. IV. c. 2. *b*) argumenta enim *Lambecii* in Comment. de Biblioth. Cæſar. Lib. II. c. 8. & *Schilteri* in præf. Cod. Iur. Feud. Alam. ad demonſtrandam ſpeculi Sueuici præ Saxonico antiquitatem, non ſufficere, Dn. *Struuius* in Hiſt. Iur. Germ. p. 488. & Dn. *Hoffmannus* in Specim, coniect. polit. p. 137. ſolide monſtrarunt. *c*) vid. *Conring.* de O. I. G. c. 30. & *Thomaſius* in Delin. Hiſtoriæ Iur. Ciu. Rom. Germ. §. 111. & 112. *d*) nominat equidem *Goldaſtus* in præf. derer Reichs-Satzungen *Bertholdum* Comitem *de Grimmenſtein*, ſed abſque ſufficienti ratione.

§. XXIV.

Fons huius ſpeculi Sueuici, præter Ius Iuſtinianeum, ad quod ſæpiſſime prouocatur, & dicta ſacræ

ctræ ſcripturæ, quæ non raro inepte citantur, in primis ſpeculum Saxonicum fuit *a*), ita, vt Dn. *Thomaſius* ſpeculum Sueuicum ex Saxonico maxima ex parte fuiſſe exſcriptum, non abſque ratione ſtatuat *b*).

a) Conditionem huius ſpeculi optime Dn. *Hoffmannus* Spec. Coni. Polit. p. 134. deſcripſit. *b*) in Delin. Hiſt. iur. Rom. Germ. 111.

§. XXV.

Varia huius ſpeculi extant exemplaria tam MSCta, quam edita: manu exaratos Codices *Petrus Lambecius a*) & Dn. *Struuius b*) recenſent; ad Codices impreſſos vero quod attinet, communis quidem Doctorum, vt *Petri Lambecii c*), *Hoffmanni d*), *Struuii e*) & *Ioann. Auguſti. Nob. Dn. de Berger f*) eſt ſententia, primam ſpeculi Sueuici editionem illam eſſe, quæ Argentorati a. 1505. opera *Matthiæ Hupfuffii* prodiit: ſed, cum egomet ipſe longe antiquiorem, ſine anni tamen & loci mentione impreſſam *g*), poſſideam editionem, illorum ſententiæ minime ſubſcribere poſſum.

a) Lib. II. Bibl. Vindeb. c. 108. n. 140. *b*) in Hiſt. iur. Germ. p. 402. *c*) l. c. *d*) l. cit. *e*) in Specim. Coniect. Polit. p. 133. *f*) in præf. nou. edit. ſpec. Sueuici præmiſſa. *g*) circa annum 1480. aut Vlmæ aut Reutlingæ, vti quidem ex aliis Codicibus, iisdem characteribus hiſce locis impreſſis, coniicio.

§. XXVI.

Poſt veterem illam, quam poſſideo & *Hupfuffii*, quæ Argentorati a. 1505. prodiit, editionem, *Sebaſtianus Meichſnerus* ſpeculum Sueuicum a. 1561. & 1566. ſub Tit. Kayſerl. und Königl. Land- und Lehn-Recht/ in publicum emiſit; nec minus *Melchior Goldaſtus* Tom. I. *a*) derer Reichs-Satzungen / *Ioann. Stephanus Burgemeiſter* Corpori Iuris Germanici *b*) & *Ioh. Fridericus Schannat* Collectioni ſcriptorum & documentorum hiſtoricorum *c*) illud inſeruerunt; quibus *Ioann.*

Augusti Nob. Dn. *de Berger* successit editio, quæ Ius Alamannicum tam prouinciale quam feudale, cum MSCto Argentino collatum, sistit, & Lipsiæ 1726. 4. publicam lucem adspexit *d*).

a) p. 31. & sequ. *b*) quod Vlmæ 1717. 4. prodiit. *c*) Fuldæ 1725. 4. qui tamen tantum Codicem Iuris Prouincialis, ex Codice Ingolstadiensi descriptum, collectioni suæ intulit. *d*) Ius feudale Alamannicum etiam separatim cum notis eruditis *Ioann. Schilteri* Argent. 1697. 4. prodiit.

§. XXVII.

Hisce itaque duobus speculis, nimirum Saxonico & Sueuico omnis fere Germania a sæculo XIII. ad XV. fuit gubernata *a*); & quamuis, introducto in fora Germaniæ iure Canonico & Iustinianeo, vsus horum speculorum etiam fuerit imminutus: attamen circa sæculum XV. Sueuici iuris auctoritatem nondum fuisse sublatam, *Ioann. Philipp. Datt. b*) *Ioann. Schilter c*) & *Ioann. Nicolaus Hertius d*) docent, variaque simul exempla, vbi in negotiis etiam publicis principes ad illud prouocarunt, allegant.

a) Quod ex artic. V. §. 2. Aureæ Bullæ potissimum probatur vid. Dn. *Griebneri* diss. de terris Iur. Saxon. *b*) Lib. IV. de pace Imp. publ. c. 1. n. 121. *c*) in præf. Iur. Feud. Alam. præmissa. *d*) in diss. de Consult. LL. & iudiciis §. XV.

C A P. VII.

DE IVRIBVS CIVITATVM GERMANIAE STATVTARIIS, vulgo Stadt-Recht/ Willkühr.

§. I.

NOn parum autem iura Germanica aucta fuerunt, posteaquam sæculo XII. & potissimum XIII. ac XIV. speciales Germaniæ ciuitates & prouinciæ, quasi æmulatione quadam incitatæ, legum scribendarum

darum ſtudium aggreſſæ ſunt. Ab hoc enim tempore tanta Legum Germanicarum tam prouincialium, quam municipalium innotuit multitudo, vt hodie nulla ſit Germaniæ regio, & in ea nulla ciuitas nullumque oppidum, quod non ſingulare aliquod & proprium ius habeat.

§. II.

In ciuitatum iura, Stadt=Recht *a*), Weichbild/ *b*) & Willkühr *c*) dicta, Ius Lubecenſe, das Lübſche Recht/ eminet, cuius origines quidam ad *Friderici Barbaroſſæ*, alii ad *Alberti* Ducis de Bardewick, alii tamen rectius ad *Henrici Leonis* Ducis Brunſuicenſis ætatem referunt, illudque a *Friderico I.* a. 1188. & *Friderico II.* Imperatoribus a. 1220. confirmatum eſſe, ſtatuunt *d*).

a) Vnde artic. 1. Sächſ. Weichb. dicitur: Marck=Recht iſt dieſes / daß die Marck=Leute hievor bey den alten gezeiten unter einander geſetzet haben von ihr ſelbs Willkühr. *b*) de origine vocis Weichbild vid. *Gryphiander* de Weich. Saxon. c. 73. *Schottelius* de quibusdam ſing. iur. German. c. 9. & *Hoffmann.* in Spec. coniect. polit. p. 127. *c*) ſiue Köhre vid. diploma apud *Lambecium* Rer. Hamb. Lib. II. p. 75. & auctoris Gedancken von Teutſchen Stadt= und Land=Recht p. 30. *d*) vid. *Hoffmann.* in Spec. Coniect. Polit. p. 138. & Dn. *Struuius* in Hiſt. Iur. Germ. p. 499.

§. III.

Henricus enim *Leo*, Dux Bauariæ & Saxoniæ, ſicuti ciuitatis Lubecenſis auctor fuit, & ex Soſatia, florentiſſima olim Weſtphaliæ ciuitate, non ſolum colonias Lubecam deduxit, ſed etiam Lubecenſibus iura Soſatica *a*) dedit.

a) Probatur hoc ex *Arnold. Lubec.* Lib. II. cap. 35. vbi de Lubecenſibus, cum vrbs illorum a *Friderico* I. caperetur, ait: *Verum, priusquam ei ciuitatem aperuiſſent, exierunt ad eum rogantes, vt libertatem ciuitatis, quam a Duce traditam habuerant, & iuſtitias, quas in priuilegiis*

scriptis habebant, secundum iura Sosatiae possiderent; & quamuis *Conring*. de O. I. G. cap. 28. *Lambecius* Lib. I. orig. Hamburg. n. 98. & *Bangertus* in notis ad Arnoldum pro *Sosatiae*, legere velint *Holsatiae*, attamen vulgatam *Arnoldi* lectionem rectius *Ioann. Moller* in Isag. ad Hist. Cherson. Cimbr. P. I. c. 15. & Illustr. *Leibnitius* in not. ad Arnoldum defendunt.

§. IV.

Accesserunt deinde iuri Lubecensi statuta *a*) famosissimae ciuitatis Wisbyensis in Gothlandia sitae, & multa ex recessibus Hanseaticis *b*), quae nimirum ad ius nauticum pertinent: & ex hisce ius Lubecense, prout hodie editum extat, enatum fuit.

a) LL. Wisbyenses cum aliis Gothlandicis LL. *Ioann. Hadorf* Holm. 1689. edidit v. *Hoffmann* in Spec. Coniect. Polit. p. 140. *b*) de hisce recessibus vid. *Werlhof* Spec III. Iur. Germ. enucl. *Lunig* Contin. IV. P. II. des Reichs-archivs conferri merentur.

§. V.

Sicuti autem maxima iuris Lubecensis in Pomerania, Holsatia, Borussia, Liuonia & terris Megapolitanis erat auctoritas, adeo, vt plurimis locis Lubecam appellationes fierent; ita etiam petentibus quibusdam harum prouinciarum ciuitatibus illud, antea ob MSCtorum dissensiones valde diuersum, publica auctoritate, *Ioanne Ludinghausen*, Consule, *Calixto Schein*, Syndico, & *Gottschalco de Stiren*, Senatore, a. 1582. collectum & a. 1586. *a*) publici iuris per *Ioannem Balbornium* factum est *b*).

a) Eodem anno *Ioachim Kollius* Hamburgi Ius Lubec. publicauit, sed priuata auctoritate illud editum est & in quibusdam a Balhorniana editione discrepat. *b*) commentario Ius Lubec. *Dau. Meuius* anno 1642. f. nec non *Ioann. Sibrand*, cuius comment. a *Stryckio* in diss. de collisione nauium §. 6 citatur, illustrarunt, ab iniquitate vero illud *Götze* in diss. de aequitate Iuris Lubec. & *Amsel* in diss. Hand muß Hand wahren liberarunt.

§. VI.

§. VI.

Præter ius Lubecense sæculo XIII. etiam alia iura statutaria & municipalia innotuerunt & in scripturam sunt redacta: inter quæ maximæ auctoritatis fuisse iura Coloniensia & Aquisgranensia, exinde, quod ad aliud Ius Weichbildicum Magdeburgense Art. 1. *a*), ad hoc vero Glossa Polonica ad illum articul, 1. prouocet, patet.

a) Ibi: Marck-Recht ist dieses / daß die Marck-Leute hiebevor bey den alten Gezeiten untereinander gesetzet haben / von ihr selbs Willkühr (von alter Gewohnheit) nach Carolus Recht / als die von Cöllen über Rein rc.

§. VII.

Et quamuis fabulosum sit, quod de *Carolo* articulo 1. *Iuris Weichb. Magdeb.* statutum reperitur, attamen iam sæculo XIII. ius Coloniensium extitisse famamque aliquam habuisse, ex priuilegio, ciuitati Coloniensi ab *Henrico* Coloniensium Archiepiscopo a. 1229. concesso & a *Friderico II.* Imperatore a. 1242. confirmato *a*), satis probatur.

a) Quod Dn. *Lunig* in Reichs-Archiu. spec. IV. Contin. p. 341. exhibet.

§. VIII.

Inter vetustissimas & maxime celebres Germaniæ ciuitatum leges, etiam municipales Brunsuicensium leges ab *Ottone I.* Duce huic ciuitati datæ & a *Friderico II.* Imperatore a. 1232. confirmatæ *a*), merito referuntur; quippe quæ non solum quamplurima antiquarum Germaniæ consuetudinum vestigia in se continent *b*), sed etiam ab aliis Saxoniæ inferioris ciuitatibus ad dubiarum caussarum decisionem adhibitæ fuerunt *c*).

a) Quas ex MSCto illustris *Leibnitius* eruit & T. III. script. Brunsu. p. 434. inseruit: Titulus Codicis harum LL. hic est: Dudt ist dat erste Brunswicksche Stadt-Recht / dat von hartigen Otten bewilliget unde von Kay-

ser Friederich bestediget ist a. 1232. Dütt Stadtrecht wieset upp Keiser Otten; de den gülden Ohre Bilde gegeven hefft / dat ist hartigen Otten Vaters Bruder gewest. *b)* quæ Dn. *Hoffmann* in Spec. Coni. pag. 153. recenset. *c)* uti *Ioann. Dauth* de testam. n. 8. scribit.

§. IX.

Circa idem tempus, nimirum a. 1292. *Adolphus, Gerbard, Ioann. Heinricus* & *Heinricus*, Holsatiæ comites Hamburgensibus iuris municipalis, vulgo *Kœbre* dicti, condendi eiusdemque abrogandi & corrigendi potestatem dederunt *a*), qui etiam repudiato iure Magdeburgensium Weichbildico, quo antea usi erant *b*), statuta sua collegerunt & libro ciuitatis inscripserunt.

a) Verba diplomatis, quod apud *Lambecium* Lib. II. Orig. Hamburg. n. 471. & *Lunigium* in Reichs-Archiu. Contin. IV extat, hæc sunt: *Concedimus etiam & donamus ius tale, quod vulgo Kœbre dicitur, Statuta mandare & edicta promulgare secundum placitum eorum pro vtilitate & necessitate ciuitatis prædicta &c.* *b*) v. *Lambecius* l. c. 477.

§. X.

Eodem modo anno 1300. *Otto Strenuus* Dux Saxoniæ, *Ottonis Pueri* nepos ciuitati Cellensi non solum leges scriptas dedit, sed etiam præter illas leges vsum Iuris Brunsuicensis illi concessit *a*), quæ Leges quamuis breuissimæ sint, & numerum XXVIII. non excedant *b*), multa tamen singularia in se continent *c*).

a) Hæc enim verba LL. Cellensibus apud *Leibnitium* T. III. Script. Brunsu. p. 483. in fine adiecta reperiuntur: Boven dit beschrevene Recht / dat we Hertoghe Otten usen Borgheren von Tzelle beseghert hebben geghevent / so ghebe we en al Brunsuickisch Recht / swat ses bedraghen moghen alse ses bedhorven. *b*) prodiit hoc ius Cellense correctum Cellis 1717. 4. *c*) vid. Dn. *Hoffmann*. in Specim. p. 155.

§. XI.

§. XI.

Pari ratione ciuitas Bremensis sibi circa a. 1303. Leges municipales condidit, illasque ex concessione Comitum Oldenburgensium a vicina Oldenburgensi ciuitate recepit, quarum principium teste *Gryphiandro a*) hoc fuisse dicitur: Düse Willkühr und dessen Gattunge de scheleu unsers Heren Recht nicht mindern.

a) De Weichb. Sax. c. 77.

§. XII.

Nec minus celebres fuerunt Leges municipales ciuitatum Luneburgensis & Goslariensis, quas, ex MSCto erutas, Tomo III. *a*) scriptorum Brunsu. illustris *Leibnitius* inseruit. De illarum ætate non certo constat *b*), has vero a. 1390. totius amplissimi senatus omniumque tribuum suffragio in ordinem certumque Codicem esse redactas, *Heineccius c*) testatur.

a) Et quidem Luneburgenses p. 754. Goslar. vero pag. 484. *b*) vid. *Hoffmann.* in Specim. Coniect. Polit. p. 158. *c*) Lib. IV. Antiquit. Goslar. p. 362.

§. XIII.

Præter recensita iura Ciuitatum municipalia non minus vetustæ sunt Leges Friburgenses, Friburgo ciuitati imperiali a *Bertholdo* IV. Zæringiæ duce a. 1170. teste *Guillimanno a*) datæ. Leges Northusanæ & Augustanæ a *Rudolpho* I. imperatore confirmatæ. Spirenses, a *Ludouico Bauaro* & Nordlingenses a *Friderico* III. imperatore datæ & confirmatæ, de quibus *Ioannes Nicolaus Hertius b*), *Christian Godfried Hoffmann c*) & Dn. *Struuius* fuse tractarunt *d*).

a) Lib. III. De reb. Heluet. c. 9 *b*) de Consult. LL. & iudic. §. 25. *c*) In Spec. Coniect. Polit. Sect. V. *d*) in Histor. Iur. Germ. §. 27.

§. XIV.

Taceo iam recentiora ciuitatum Germaniæ iura

 statu-

ſtatutaria, quæ, ſi ſint præter ius commune, nulla principis confirmatione indigent, modo acceſſerit omnium ciuium conſenſus vel vere & ſigillatim, vel repræſentative per Tribunos plebis: quod ſi vero ſtatuta ſint contra ius commune, tunc non aliter, quam ſi a principe fuerint confirmata, valent *a*).

a) L. vlt. ff. *de Colleg. Carpz.* Reſponſ. 48. & illuſtr. *Berger* in Oec. iur. p. 12.

CAP. VIII.

DE IVRIBVS STATVVM IMPERII PROVINCIALIBVS, Landes-Ordnungen und *Constitutionen.*

§. I.

Sicuti Ordines imperii Romano-Germanici ab antiquis temporibus ſuperioritate territoriali ſunt gauiſi *a*), ita etiam vi ſuperioritatis territorialis a ſeculo XIII. legiſlatoriam exercuerunt poteſtatem, & non ſolum ciuitatibus iura municipalia confirmarunt, ſed etiam vniuerſales quaſdam leges, Land-Recht/ Landes-Ordnungen/Landes-Conſtitutionen dictas, in prouinciis ſuis condiderunt.

a) vid. *Hertii* de origine & incrementis ſpec. Germ. Rerumpublicarum & de Super. Territoriali. *Gœbelii* diſſ. de Iuribus ſtatuum imperii Maieſtaticis & *Cocceius*, in Iur. Publ. prudent. c. 15. & 43.

§. II.

Et quamuis multi, Leges Principum imperii prouinciales confirmatione Cæſaris indigere, exiſtiment *a*) nec exempla ſæculi XIV. XV. & XVI. deſint, vbi confirmatio ab Imperatore fuit petita; attamen hanc confirmationem ex libera voluntate a ſtatibus imperii fuiſſe adhibitam, illosque vi legiſlatoriæ poteſtatis ſibi competentis, etiam abſque Impera-

peratoris confirmatione, leges condere posse, solide *Ludolph Hugo b)*, *Ioann. Nicolaus Hertius c)*, *Ehrenfried Meyer d)*, *Christian. Thomasius e)* & *Ioann. Wilhelm Gœbel f)* monstrarunt.

a) vt *Besoldus* de lib. iur. ciu. cap. 9. & *Vulteius* qui Consilio Marpurg. 54. n. 26. & 27. non quidem hoc necessarium esse, consultius tamen ac utilius, si consensus Cæsaris adhibeatur, conf. Dn. *Westphal.* de corruptæ iurisprudentiæ origine & medela §. 20. & sequ. b) De statu Reg. German. c) de Superiorit. Territ. d) in diss. *de Potestate statuum legislatoria.* e) in diss. *de Statuum imperii potestate legisl. contra ius commun.* f) in diss. *de Iuribus procerum. Imp. Maiestaticis.*

§. III.

Non solum autem ordines imperii præter ius commune, sed etiam contra illud a) Leges prouinciales condere possunt, & quamuis hoc quoad Recessus imperii, quippe qui per modum pacti ordines imperii obligant, multis, in primis si Recessus clausula a) derogatoria sint muniti, dubium videatur b); attamen rectius ab aliis etiam perillustri *Bergero c)* quoad illa recessuum capita, quæ non ad statum imperii publicum, sed singulorum territoriorum & subditos vnius status pertinent, affirmatur.

a) Quos *Hertius* de Superior. territ. §. 26. allegat. b) vt *Werlhof.* de Iure patrio spec. 11. *Thomasio* in diss. de Potestate statuum Imperii legisl. contra ius comm. & *Engelbrecht.* in spec. 1. de genuinis decisionum font. in terris Brunsu. p. 53. c) qui hanc regulam in œconomia iuris p. 35. ponit: *Quoties est lis inter subditos eiusdem status, toties lex, Recessibus Imperii contraria, valet: quoties autem statui cum alio statu, aut alterutrius subditis, vel vtriusque subditis inter se est controuersia, toties non valet.*

§. IV.

Vtrum vero Recessus imperii, in primis si clausula derogatoria & cassatoria sint muniti, Legibus statuum

ſtatuum prouincialibus derogent? maior dubitatio oritur. Sunt enim, vt *Vitriarius a*), qui ſimpliciter hanc quæſtionem affirmant, &, nequidem proteſtationem ſtatus imperii ad conſeruationem iuris prouincialis ſufficere ſtatuunt: alii contra contendunt *b*), tum demum Receſſus imperii derogare legibus ſtatuum prouincialibus, ſi princeps, Receſſum recipere nolens, proteſtatus fuerit.

a) Lib. III. iur. publ. c. 17. §. 7. *b*) quos *Vitriarius* Lib. III. c. 16. §. 6. citat.

§. V.

Si itaque noſtram licet aperire ſententiam, diſtinguendum eſſe, vtrum Receſſus Imperii regimen totius imperii, an vero adminiſtrationem ſingulorum territoriorum & cauſſas mere priuatas concernant, cenſemus, & in priori caſu illos legibus prouincialibus ſimpliciter derogare, in poſteriori vero caſu non æque, ac ſuperfluam ſtatuum eſſe proteſtationem, qui a nemine in libero iuris territorialis & ſic etiam poteſtatis legislatoriæ exercitio, ſub quocunque etiam prætextu fiat, turbari poſſunt, ſtatuimus *a*).

a) vid. Auctoris Gedancken vom Teutſchen Stadt- und Land-Recht §. 27.

§. VI.

Et in hac poſſeſſione vel quaſi iuris ſtatuendi contra iura imperii antiqua & recentia Sereniſſima Domus Saxonica præ ceteris imperii ordinibus ſemper fuit, nulloſque Receſſus imperii, iuri ſuo prouinciali contrarios, vnquam recepit: Hinc, quamuis *Carolus* V. in Receſſu Wormatienſi de a. 1521, quod fratrum filii cum fratribus defuncti iure repræſentationis ſuccedere debeant, ſtatuiſſet, clauſulamque: **Und euch einige Gewohnheit / noch anders / ſo darwider ſeyn möchte / nicht hindern läſſet /** Receſſui adieciſſet; attamen Sereniſſimi Duces Saxonici hunc Receſſum in ſuis territoriis non ſolum non receperunt, ſed etiam con-

consuetudinem suam, Recessui contrariam, expressa Constitutione *a*) firmarunt.

a) Quod *Augustus* Saxon. Elect. Part. III. Const. XIIX. §. wir wollen aber mit diesen Gesetze ꝛc. fecit. conf. *Andreæ Hombergii* Responsum iur. XII. de protestatione Sereniss. Ducum Saxon. contr. Rec. Imp. de a. 1521. vid. *Schneidewin* ad pr. Inst. de hered. ab Intest. *Richter* Dec. 4. n. 37. & *Schilter* Exercit. 2. th. 12.

§. VII.

Imo, si Serenissima Domus Saxonica in Constitutiones Imperii nonnunquam consensit, specialia saluatoria, daß die Verwilligung dem Hause Sachsen an ihren Freyheiten / Gebrauch und Herkomen unschädlich seyn solte / ab Imperatoribus accepit. Exemplo esse poterit saluatorium, quod *Maximilianus* I. a. 1512. Serenissimæ huic Domui pro conseruatione iuris prouincialis & statutarii propter ordinationem Cameralem dedit *a*).

a) Quod doctissimus *Müllerus* Part. III. des eröffneten Staats-Cabinets pag. 24. inseruit. vid. *Auctoris* Gedancken vom Deutschen Stadt und Land-Recht §. 23.

§. VIII.

Inter vetustissimas itaque leges Germaniæ prouinciales ius Bauaricum, a *Ludouico Bauaro* ceterisque Bauariæ ducibus a. 1346. collectum & publicatum *a*), primum locum occupat. Hoc deinceps *Maximilianus* I. Dux Bauariæ a. 1616. auxit, eiusque epitomen *Sebastian Kraybser* edidit *b*).

a) Codicem hunc Iuris Prouinc. Bauarici *Lambecius* Lib. II. Bibl. Vindebonensis cap. 8. pag. 834. exhibuit.
b) Ingolst. 1660. 8. nec minus Illustr. Dn. de *Ludwig* Codicem Iuris. Austriaci Leopoldi Ducis T. IV. Reliqu. MSSctorum inseruit.

§. IX.

Eodem sæculo, nimirum a. 1397. *Leopoldus* Dux Austriæ & Comes Tyrolensis leges comitatus Tyrolensis prouinciales ad statuum prouincialium instantiam, teste *Wigulæo Hundio a*) restaurauit adauxitque.

a) in Metropoli Salisb. T. I. p. 450.

§. X.

§. X.

Habuit etiam antiquiſſimas ſuas leges Auſtria, Landes-brauch dictas, quæ multa ſingularia, v. g. excluſionem aſcendentium a ſucceſſione ab inteſtato, in ſe continuerunt, quamuis, ſucceſſu temporis illa eſſe correcta, nec hodie inter leges Auſtriacas a) amplius comparere, negandum non ſit.

a) Codex Iuris Auſtriaci de a. 1190. T. IV. Miſcellan. Reliqu. MSSct. Dn. *de Ludwig* occurrit. Recentiora iura Auſtriaca apud *Weingarten* in faſciculo diuerſorum iurium Norimberg. 1690. f. & in Codice Auſtriaco, qui Viennæ 1704. f. prodiit, reperiuntur.

§. XI.

Poſſent etiam huc referri antiquiſſimæ Brabantiorum Ducum conſtitutiones, circa a. 1312. latæ a), nec non Ius Iuticum b), a *Waldemaro* II. Danorum Rege ex antiquiſſimis veterum Germaniæ populorum legibus collectum, & ſub *Chriſtiano* IV. Danorum Rege in nouam dialectum translatum. Sed cum Brabantia extra Imperii Germanici fines ſit ſita, Iutia vero iam dudum Germanici iuris eſſe deſierit; merito hæc iura ex corpore iuris Germanici excludimus.

a) Quas *Herm. Conringius* de orig. iur. German. cap. 28. memorat. b) quod in Codice, das Jütbiſche Lowbock dicto, continetur. vid. *Vogtii* diſſ. in leges Iuticas de homicidio.

§. XII.

Ad recentiora quod attinet tempora, tot ſunt iura prouincialia, quot diuerſa Germaniæ territoria, ad quæ cognoſcenda *Henrici Gieſeberti Iuſtinianus Harmonicus* a) facit, quippe in quo ad ſingulas Iuſtinianearum Inſtitutionum paragraphos iura Germaniæ prouincialia & ſtatutaria allegantur.

a) Lubec. 1652. 4. edit.

§. XIII.

Omnibus hisce recentioribus iuribus Germaniæ prouincialibus palmam Ius Saxonicum tam Electorale, quam Ducale, facile præripit. Illud originem suam debet *Augusto* Electori Saxoniæ, quippe qui ICtis Vitebergensibus & Lipsiensibus, *Ioanni* nimirum *Schneidewino*, *Matthæo Wesenbecio* & *Iacobo Thominigio*, vt præcipuas iuris Saxonici controuersias examinarent & deciderent, negotium dedit.

§. XIV.

Inde ortæ sunt Consultationes Constitutionum Saxonicarum *a*), nec non Constitutiones *Augusti* Electoris *b*). Quibus deinde diuersorum Electorum Constitutiones, Decisiones, Ordinationes *c*) & Resolutiones grauaminum, Erledigungen derer Landes-gebrechen / *d*) accesserunt, quæ coniunctim sub Titulo: *Corpus iuris Saxonici* prodierunt *e*).

a) Quorum T. I. & II. a. 1600. T. III. a. 1608. f. prodiit. *b*) ad quas *Benedictus Carpzouius* Definitiones suas scripsit. *c*) vt ordinatio Procesſ. Sax. *Ioann. Georg.* I. Elect. de a. 1621. quæ multis in locis emendata a. 1724. edita fuit. *d*) Dresdæ a. 1670. f. quod Corpus Iuris Saxon. Electoralis multis Constitutionibus & rescriptis auctum sub Tit. *Codex Augusteus* cura *Lunigii* Lipsiæ 1725. II. T. f. publicam lucem adspexit *e*).

§. XV.

Ad Ducale Ius Saxonicum nouum pertinent Johann Friedrich des Mittlern / Johann Wilhelm und Johann Friedrichs Policey-Ordnung/*a*) Hertzog Johann Casimir und Johann Ernst Hoff-Gerichts-Ordnung.(*b* Hertzog Ernsts Gothaische Land-Gericht und Policey-Ordnung *c*) Fürstl. Sächs. Altenburgische Landes-Gerichts- und Proceß-Ordnung *d*). Hertzog Johann Wilhelms Eysenachis. und Jenaische Gerichts und Executions-Ordnung: *e*) nec non des Fürstl. Sächs. gemeinen Hoffgerichts zu Jena erneuerte und verbesserte Ordnung *f*) 2c.

a) Ienæ a. 1580. *b*) Coburg. 1598. allegat equidem De Lyncker Resolut. CCCLXXIV. eine Landes-Ordnung der Pflege Coburg. de a. 1556, sed illa nondum ad manus

manus meas peruenit c) Gothæ a. 1633. & 67. 4. d) Altenburg. 1704. & 1705. in 4. coniunctim edit. e) Ienæ 1702. 4. f) de a. 1653.

§. XVI.

Sicuti autem Germania nostra per multa sæcula moribus fuit gubernata: ita quamplurima in diuersis Germaniæ prouinciis supersunt iura singularia. Sic in terris Brunsuicensibus, Würtenbergicis & Palatinis receptum est ius, cœlibum demortuorum bona occupandi & in publicum redigendi, quod Hagenstolziatus, das Hagenstoltzen-Recht a) adpellari solet.

a) vid. *Schottelius* de singul. quibusdam iur. Germ. cap. 1. *Wernheri* differt. de iure Hagenstolziatus Witteb. 1724. habita. & Dn. *Kressii* nec non de *Ludwig*, de Iure Hagenstolziatus, scripta.

§. XVII.

Huc etiam ius obstagii, das Leistungs-Recht / vel das Einlager / das Einreiten / referimus, quo debitor vel eius fideiussor, se, si certo tempore pecunia non fuerit soluta, aut contractus adimpletus, in certum locum esse venturum, neque inde, nisi pecunia soluta vel contractu adimpleto, discessurum, pacto promittit. Quod ius, licet publicis imperii legibus a) fuerit reprobatum; attamen in Holsatia adhuc hodie viget b).

a) Nimirum Reform. Polit. *Rudolphi* II. de a. 1577.
b) vid. de hoc iure obstagii Dn. *Muller* Part. III. des eröffneten Staats-Cabin. c. 1.

§. XVIII.

Taceo nunc alia iura Germaniæ singularia, nimirum Haupt-Fall / Bauermiethe / Haupt-Recht / todte Hand-Cürmede / Baulebungs-Recht / Zehnd-Gan-An-Gast-Schillings-Schupffen-Kutscher-Strandrecht / Haverey und Bodmerey / de quibus *Iustus Georg. Schöttelius a)* Dn. *Ioann. Peter de Ludwig b)* & *Ferdinand. Christoph. Harprecht c)* ex professo tractarunt.

a) De singularibus quibusdam & antiquis in Germ. iuribus & obseruatis Francof. & Lipf. 1671. & 1702. 8.
b) De Iure Clientelari Germanorum Halæ 1717. 4.
c) de Iure mortuario in bonis defuncti hominis proprii Tubing. 1718. 4.

CAP.

CAP. IX.

DE RECESSIBVS IMPERII, Reichs-Abschieden.

§. I.

QVamuis, teste *Tacito a*) antiquissimæ Germaniæ gentes suos iam habuerint conuentus, inque illis principes & iudices elegerint, ac decreta quædam confecerint; attamen particulares illos gentis alicuius inter Germanos, non Germanorum omnium conuentus & decreta fuisse, nemo est, qui non intelligit.

a) Cap. XI. de Mor. Germ.

§. II.

Quæ cum ita sint, Recessuum imperii origo non tam a particularibus hisce gentium Germanicarum conuentibus, quam potius a publicis Comitiis, sub Imperatoribus Carolingicæ stirpis habitis, est repetenda; hisce enim vniuersa Germania interfuit, illorumque decreta pro legibus agnouit *a*).

a) vid. Annales Franc. (a *Lambecio* Lib. II. Bibl. Cæs. c. 5. publicati) ad a. 802.

§. III.

Sunt autem Recessus Imperii, die Reichs-Abschiede/ Reichs-Satzungen/Reichs Ordnungen/leges siue constitutiones imperii vniuersales, mutuo Imperatoris & statuum consensu de negotiis, imperium concernentibus, constitutæ & promulgatæ *a*).

a) vid. *Mauricius* de Recess. Imp. §. *6*. & Dn. *Struu.* in Synt. iur. Publ. c. 6. §. 32.

IV.

Dicuntur hæ leges imperii vniuersales Recessus, ex eo, quod circa discessum statuum a Comitiis concludantur & promulgentur; Vnde etiam communiter hæc formula Recessibus adiici solet: daß dieses der Abschied / womit die Stände von einander gescheiden.

§. V.

Antiquis temporibus Receſſus Imperii Latino idiomate conſcripti fuerunt, quales *Goldaſtus* quamplurimos collectioni ſuæ conſtitutionum Imperialium *a*) inſeruit; ſed Goldaſtinos Receſſus non omnes eſſe genuinos, eruditi iam dudum obſeruarunt.

a) Quæ Francof. 1613. f. prodiit.

§. VI.

Primus Receſſus imperii Germanico idiomate ſub *Friderico* II. Imperatore a. 1236. in Curia Moguntina multis videtur conſcriptus *a*); ſed cum omnes hiſtorici hanc Curiam Moguntinam ad a. 1235. referant, accuratiores de veritate huius Receſſus merito dubitant. *b*).

a) Qui apud *Goldaſtum* P. II. der Reichs-Satzungen p. 17. extat. *b*) vid. *Conring*. c. 27. & L. B. *de Lyncker* de Idiomate Imper.

§. VII.

Si itaque dicendum quod res eſt, tempus, quo Receſſus imperii idiomate patrio conſcribi cœperunt, certo determinari non poteſt *a*); licet enim *Auentinus b*), *Cruſius c*), *Goldaſtus d*) aliique *Rudolphum* I. Imperatorem, *vt poſt hæc omnia acta publica lingua Germanica conſcriberentur*, conſtituiſſe, ſcribant; attamen, hanc *Rudolphi* legem, aut non extitiſſe, aut deſuetudine ſublatam fuiſſe, non absque ratione *Ericus Mauricius c*) ſtatuit.

a) Licet, ſeculo XV. & XVI. omnes fere Receſſus imperii lingua patria conſcriptos eſſe, negandum non ſit. *b*) Lib. VII. *c*) Lib. III. Annal. Sueu. P. 1. c. 1. *d*) qui ſummam Rudolphinæ conſtitutionis T. II. Conſt. Imp. pag. 311. exhibet. *e*) de Receſſ. Imperii §. 39.

§. VIII.

Omnes autem conſtitutiones imperii, communi imperatoris & ordinum conſenſu latæ; etiam Aurea Bulla, Pax publica, Religioſa & Profana &c. Receſſus

cessus dicuntur: licet quædam sint Constitutiones, quæ speciali nomine Recessus Imperii dicantur, v. g. Recessus Nouissimus de a. 1654.

§. IX.

Recessus Imperii sunt vel vniuersales, vel particulares; illi in comitiis generalibus, ad quæ omnes status conuocantur, concipiuntur; hi sunt vel Recessus deputatorum, Reichs-Deputations-Abschiede / qui in Comitiis deputatorum concluduntur; vel Recessus Circulorum Crays-Abschiede / qui in conuentibus circularibus perficiuntur.

§. X.

Vniversales Recessus imperii iterum sunt vel primarii, Haupt-Abschiede/ vel secundarii, Neben-Abschiede/ qui primariis Recessibus tanquam articuli secreti subiiciuntur, atque in Archiuo Moguntino asseruantur a).

a) Quales *Eric. Mauricius* de Recess. Imper. §. 13. Dn. *Struuius* in Syntag. Iur. Publ. c. 6. §. 34. allegant.

§. XI.

Locum quoque inter Imperii Recessus inueniunt, Recessus visitationum, die Visitations-Abschiede / qui in conuentu Imperatoris & statuum nonnullorum deputatorum fiunt. Quales sunt Recessus Visitat. de a. 1531. & 1553.

§. XII.

Vltimus Recessus Imperii est de a. 1654. nouissimus exinde dictus, qui accuratiorem exinde meretur lectionem, quod multa quoad ciuilem processum in illo fuerint statuta & immutata. Commentariis hunc Recessum nouissimum *Ioann. Wolfgang Textor*, *Vlricus Obrechtus* & *Paullus Gambsius* illustrarunt.

§. XIII.

Et hi Recessus omnes Imperii subiectos, tam immediatos, quam mediatos, non solum quoad ea, quæ regimen publicum, sed etiam quæ negotia priuatorum concernunt, ceu leges vniuersales obligant,

 nisi

nisi quoad negotia priuata aliud quid in legibus & statutis huius vel illius prouinciæ decisum reperiatur.

§. XIV.

Primus hos Recessus imperii *Peter Frach* collegit & a. 1527. Spiræ sub Tit. Alle und jede des Reichs-Ordnungen / sampt der gulden Bull und Abschieden ꝛc. aus Befehl Kayserl. Majest. Stadthalters und Regiments im H. Reich zusammen gelesen edidit. Quam editionem secutæ sunt Moguntinæ de a. 1548. 1552. 1559. 1567. 1599. 1607. 1614. 1615. 1621. 1642. & 1660. Sed, partim imperfectas esse has Recessuum editiones, partim multis illas scatere vitiis, *Ericus Mauricius* a) docuit.

a) de Recess. Imper. §. 36. & 37.

§. XV.

Recessus Imperii etiam a prima origine colligere *Melchior Goldastus* tentauit, tomosque tres Constitutionum Imperialium edidit; sed non solum mancam esse hanc collectionem, sed etiam multas dubiæ admodum fidei continere constitutiones, accuratiores iamdudum animaduerterunt.

§. XVI.

Tandem noua Recessuum Imperii ab anno 1356. ad annum 1654. publicatorum Francofurti ad Mœnum 1720. f. prodiit editio, cui Aurea Bulla, Constitutio Criminalis Carolina, & Pax profana sunt additæ. Sed & hanc editionem non ab omnibus mendis & vitiis esse immunem, eruditi merito dolent, vtque Leges imperii publicæ accuratius in posterum edantur, mecum optant.

F I N I S.

INDEX

INDEX PRIMVS

SEV

CONSPECTVS CAPITVM.

DIssertatio Præliminaris de Linguarum, Philosophiæ, Antiquitatum, & Historiarum studio cum Iurisprudentia iungendo. Pag. 1

PARS I.

Historia Iuris-Anteiustinianei.

CAPVT I.
De Legibus Regiis. 27
CAPVT II.
De Statu Legum Romanarum post electos Reges usque ad promulgationem Legum. XII. Tabularum. 34
CAPVT III.
De Statu Legum Romanarum, sub Decemviris, & de Conditione Legum XII. Tabularum. 37
CAPVT IV.
De Interpretatione Prudentum & Disputatione Fori. 49
CAPVT V.
De Iurisprudentia Romanorum Formularia. 54
CAPVT VI.
De Legibus Romanorum. 60
CAPVT VII.
De Plebiscitis. 69
CAPVT VIII.
De Prætoribus & Aedilibus, eorumque Edictis. 74
CAPVT IX.
De Statu Legum Romanarum sub Augusto eiusque Successoribus ad Hadrianum vsque, in primis

 de

de Lege Regia & Senatusconſultis. 88

CAPVT X.

De Iureconſultis, eorumque Reſponſis. 101

CAPVT XI.

De Statu Legum Romanarum ſub Hadriano, & de Edicto Perpetuo. 132

CAPVT XII.

De Conſtitutionibus Principum. 138

CAPVT XIII.

De Collectionibus Conſtitutionum Imperialium, inprimis de Codice Gregoriano & Hermogeniano 151

CAPVT XIV.

De Codice Theodoſiano, nec non Theodoſii & ſubſequentium Imperatorum Nouellis. 157

CAPVT XV.

De Fatis Iurisprudentiæ Ante-Iuſtinianeæ, inprimis Codicis Theodoſiani. 165

PARS II.

Hiſtoria Iuris Iuſtinianei.

CAPVT I.

De Imperatore Iuſtiniano, eiusque in componendo Iuris Corpore adiutore Triboniano. 175

CAPVT II.

De Codice Iuſtinianeo. 189

CAPVT III.

De Digeſtis ſeu Pandectis. 191

CAPVT IV.

De illis, quæ præter meritum & merito in Digeſtorum libris a Doctoribus reprehenduntur. 204

CAPVT V.

De Pandectarum, ſeu Digeſtorum Editionibus. 220

CAPVT VI.

De Editione Pandectarum Florentina, ut & MSCto Florentino. 220

CAPVT VII.
De Quinquaginta Imperatoris Iustiniani Decisionibus. 239
CAPVT. VIII.
De Institutionibus Iustinianeis. 247
CAPVT IX.
De Codice Repetitæ Prælectionis. 257
CAPVT X.
De Authenticis. 265
CAPVT XI.
De Nouellis Imperatoris Iustiniani. 271
CAPVT XII.
De variis Nouellarum Versionibus & Editionibus. 279
CAPVT XIII.
De aliis Imperatoris Iustiniani Constitutionibus. 286
CAPVT XIV.
De præcipuis Corporis Iuris Iustinianei Editionibus. 288

PARTIS III.

Historiæ Iuris Post-Iustinianei

MEMBRVM I.

De Fatis Iuris Iustinianei in Oriente. 295
CAPVT I.
De versione Iuris Iustinianei in Linguam Græcam. 295
CAPVT II.
De Theophili Paraphrasi Institutionum, deque variis eius editionibus. 298
CAPVT III.
De Constitutionibus Imperatorum Orientis ad Basilium vsque Macedonem. 304
CAPVT IV.
De Constitutionibus Imperatorum Basilii Macedo-
 nis

nis & Filiorum Conſtantini ac Leonis; nec non de libris Baſilicôn, variisque illorum Editionibus. 306

CAPVT V.

De Nouellis Leonis Imperatoris, earumque in Foris noſtris auctoritate. 313

CAPVT VI.

De Gloſſis, Scholiis, Commentariis & Compendiis in Baſilica conſcriptis. 316

CAPVT VII.

De Conſtitutionibus ſubſequentium Imperatorum ad euerſum vsque a Turcis Orientale Imperium. 323

CAPVT VIII.

De neceſſaria conjunctione Iuris Græci cum Iuris Iuſtinianei ſtudio. 326

PARTIS III.

Hiſtoriæ Iuris Poſt-Iuſtinianei

MEMBRVM II.

De Fatis Iuris Iuſtinianei in Occidente. 329

CAPVT I.

Ce Fatis Iuris Iuſtinianei in Occidente vsque ad Tempora Lotharii II. Imperatoris. 329

CAPVT II.

De Reductione Iuris Romani in Scholas & Fora Italiæ. 336

CAPVT III.

De Schola Irneriana, ſeu de Doctoribus Iuris Ciuilis ab Irnerio ad Accurſium vsque, deque illorum Sectis & Controuerſiis. 342

CAPVT IV.

De Legiſtis & Decretiſtis. 351

CAPVT V.

De Franciſco Accurſio Gloſſæ Collectore & Ordinatore, deque Gloſſæ auctoritate, ac Gloſſatis

Iuris

Iuris Corporibus. 356

CAPVT VI.

De Schola Accursiana, siue de Doctoribus post Accursium ad Bartholum vsque. 362

CAPVT VII.

De Schola Bartholina, siue de Iuris Ciuilis Interpretibus a Bartholo ad Iacobum Cuiacium vsque. 365

CAPVT VIII.

De Schola Cuiaciana, & Doctoribus, qui elegantiores literas cum studio Iuris Ciuilis coniunxerunt. 371

CAPVT IX.

De Schola ICtorum Ramistica. 385

CAPVT X.

De Receptione Iuris Romani in Germania. 388

CAPVT XI.

De vsu atque auctoritate Iuris Romani in foris Germaniæ. 405

PARS IV.

Historia Iuris Germanici.

CAPVT I.

De Conditione Legum Germanicarum ante sæculum quintum. 413

CAPVT II.

De Statu Legum Germanicarum a sæculo quinto ad sæculum vsque nonum. 416

CAPVT III.

De Legibus Regum Francorum Capitularia dictis. 424

CAPVT IV.

De Statu Legum Germanicarum a sæculo decimo, vsque ad famosas Speculi Saxonici & Sueuici collectiones. 431

CAPVT V.
De Iure Germanorum manuario, vom Faust- und Kolben-Rechte. 437
CAPVT VI.
De Speculo Saxonico & Sueuico. 441
CAPVT VII.
De Iuribus Ciuitatum Germaniæ Statutariis, vulgo Stadt-Rechts-Willkühr. 452
CAPVT VIII.
De Iuribus Statuum Imperii Prouincialibus, Landes-Ordnungen und Constitutionen. 458
CAPVT IX.
De Receſſibus Imperii, Reichs-Abschieden. 465



INDEX SECVNDVS
AUCTORUM, RERUM
& VERBORVM.

A.

ABbas Vrspergensis Mathildæ renouationem juris Justinianei in Italia falso tribuit, 337.
Abrogatio legum quid? 62.
Accursius Franc. ICtus quando vixerit? 356. glossas antecessorum collegit. 357 an Græcas literas nouerit? *ibid.* laudes, 358. filii ejus. 362.
Accursiana schola, vid. *Schola.*
L. *Acilius* in LL. XII. Tabull. commentatus est, 47.
Actiones formularum nomine olim venerunt, 55. origo actionis de tigno iuncto, 44. finium regundorum, 45. de arboribus cædendis, 45. de aqua pluuia arcenda, 45. noxalis, 46. rei uxoriæ, 52. albi corrupti, 80. non omnibus diebus actiones institui potuere, 58.
Actus legitimi quinam tales dicti? 56. 57. cum legum actionibus confundi non debent, 56. differentiæ actuum legitimorum & legis actionum, 57.
Ædiles Edicta sua proposuerunt, 86. ad ius honorarium eorum edicta pertinent, 86. plebeii, 86. Curules, 86. Cereales, 87.
Ædiles Coloniarum & municipiorum, *ibid.*
Ælius S. ICtus LL. XII. Tabull. commentator, 47. formularum & notarum diuulgator, 58. liber eius tripartita inscriptus, 58. maximus orator dicitur, 108. ab eo ius Ælianum dictum fuit, 58.
Æmilius Macer ICtus, quando vixerit? 128. scriptis clarus fuit, *ibid.*
Africanus ICtus, Scholæ Sabinianæ addictus, 117.
Agathias de rebus Iustiniani Libb. scripsit, 173. 177.
Agobardus Episc. Lugd. librum ad *Ludouicum Pium* scripsit, aliumque aduersus legem *Gundobaldi*, qui inter Opera eiusdem a *Baluzio* edita reperiuntur, 332.
Agylæus Hendr. Haloandri Nouellarum versionem emendauit, 285. Latinam versionem Nouellarum *Leonis* edidit, 216.
Alaricus Wisi-Gothorum Rex, Breuiarium iuris Romani facere iussit, 69.
Album Prætoris, 80. actio albi corrupti, *ibid.*
Alciatus Andr. de præscriptione V. pedum scripsit, 45. *Iustinianum* rudem fuisse

fuisse putat, 178. primus elegantiores litteras cum studio iuris iunxit, 371. cuias fuerit? 377. vbi docuerit & quænam scripta reliquerit? 373. librum Paradoxorum scripsit, cui *Angelus a S. Iosephus* ICtus miles se opposuit, 373.
Alemannus Nicol. Genealogiam *Iustiniani* exhibet, 177. *Procopii* ἀνέκδοτα edidit, 184. 283. quinam eius aduersarii fuerint? 184.
ab *Alexandro Alexander* Genialium dierum libros scripsit, 370.
ab *Almeloueen Theodorus Ianson* præfationem Fastis consularibus præmisit, 262
Alphenus Varus ICtus, Epicureæ sectæ deditus, cuias fuerit & quænam scripta reliquerit? 110. *Brenckmannus* vitam eius descripsit; *Euerard* vero *Otto* Alphenum ab iniuriis vindicatum promisit, *ibid.*
Altesferra Ant. Dadin. Tryphonini Libros XXIX. Disputationum collegit, 125. rerum Aquitanicarum libros conscripsit, 173.
Alvarottus Iac. ICtus ex schola Bartolina, & maximus iuris feudalis interpres, 370.
Alysius Diss. de vita & scriptis *Tertulliani* ICti edidit, 123.
ab *Amaya, Franc.* Obseruationes scripsit, 67, 88, 99.
Amerpachius Vitus Capitularia regum Francorum collegit, 428.
Ἀναντακόδοτον quid? 6.
Ancus Martius Rex Romanorum paucas LL. tulit, 31. cum iuris fecialium auctor fuerit, *ibid.*
Anicia gens, an ex ea *Iustinianus* descenderit? 177.
Annales Francisci LL. *Caroli M.* mentionem faciunt, 424.
Anonymus quidam Differt. de origine & progressu iuris ciuilis edidit, 213.
Ansegisus Abbas Capitularia Regum Francorum collegit, quæ collectio publicam auctoritatem accepit, 428.
Antinomia, an detur in iure nostro? 209. an in Codice repetitæ prælectionis? 262. Conciliatores LL. obstantium, 210. regulæ conciliationis, 211. non facilior est conciliatio legum obstantium in Codice quam π. 215. Inscriptiones legum ad antinomias tollendas faciunt, *ibid.* *Iacobi Labitti* index commendatur, 216.
Antiquitates Romanæ, illarum in iure usus, 11. scriptores antiquitatum Rom. antiqui, 11. recentiores, 12. Thesauri antiquitat. Rom. 13.
Antiquitates germanicæ, earum usus in iure germanico, 18.
Antonius Marcus tutelarem Prætorem constituit, 78.
Appius Claudius libellum de legis

legis actionibus composuit, 58. 108. an litteræ *R* auctor sit? 108.

Aquilius Gallus Aquilianæ stipulationis auctor, 109 huius ICti vitam *Ioan. Strauchius* descripsit, *ibid.*.

Ardizonus, ICtus ex schola Accursiana, 363.

Aristo Titus, ICtus Proculianæ sectæ addictus, 119. ob antiquitatum peritiam commendatur, 11.

Armenius, Imperator Orientis, constitutiones quasdam edidit, 306.

d'*Asti. Donato Antonio* T. 2. dell' Uso e Autorita' della Ragion ciuile nelle provincie dell' Imperio Occidentale dal diche furone inondate du barbarismo a Lothario II. edidit, 172.

Atticus de LL. Romanorum scripsit, 68.

Attilicinus ICtus, Proculianæ sectæ addictus, 119.

Auctor eröffnete Gedancken von Teutschen Stadt- und Land-Recht scripsit, 25. de variis veterum LL. suis conciliandi sanctitatem modis, 40. 61. Prolus. de ICtis ercifcundis siue Miscellionibus, 44. 87. 120. 121. 124. Diss. de conditione si non nupserit, ultimis voluntatibus adiecta, edidit, 67. 283. de retrotractionibus veterum ICtorum, quorum fragmenta in Digestis supersunt, prolusionem Academicam edidit, 105. diss. de Codice Theodosiano habuit, 160. 171. 258. De utilitate inscriptionum Legum in π. prolusionem scripsit, 219. De sectis & controuersiis Glossatorum tractauit, 266. 345.

Auctor consultationis de pactis, quisnam fuerit, & qui illum ediderint? 170.

Averanius Iosephus ICtus, Leges Censorias non esse leges proprie sic dictas docuit, 61. interpretationes Iurid. scripsit, 42. 82. 135.

Augustinus Anton. Emendationes iuris ciuilis scripsit, 7. 9. fragmenta LL. XII. TT. collegit, 47. Leges Regias illustrauit, 33. librum de SCtis & LL. scripsit, 68. 100. scholarum Sabinianæ & Proculeianæ seriem exhibet, 114. *Modestini* LL. collegit, 217. discrepantiam editionis π. Florentinæ & Haloandrinæ monstrauit, 224. *Iuliani* epitomen Nouellarum edidit, 281. Constitutionum, quæ in Codice desunt, Græcam interpretationem diuulgauit, 297. cuias fuerit? 375. eius merita in iure ciuili, 375. in iure canonico, *ibid.*

Augustus post *Iulii Cæsaris* mortem omnem auctoritatem accepit, 88. sub illo adhuc LL. veteri ritu sunt rogatæ, 99. ICtis publicam

de iure respondendi dedit auctoritatem, 113. quare hoc fecerit? *ibid.* in dubium hoc *Augusti* factum *Gothofredus* vocat, *ibid.* Constitutiones *Augustus* non edidit, 151.

Authenticæ duplicis sunt generis, 265. *Fridericorum I. & II. ibid.* utrum authenticæ Fridericor. auctoritate legali gaudeant? 266. ætas & auctores reliquarum authenticarum, 266. 269. numerus harum authenticarum, 269. vitia, *ibid.* collectores vitiorum, *ibid.* auctoritas authenticarum, 270. utrum illis fides habenda, si a Nouellis recedant? 370. 371. commentatores in Authenticas, 371.

Autumnus Bernhardus Censuram Gall. in ius ciuile Romanum scripsit, 207.

Azo ICtus ex schola Irneriana edidit, 349.

B.

Bagarottus ICtus ex schola Irneriana & *Bulgari* sectator, 348.

Balbus Lucius ICtus Romanus, 109.

Balduini Iacobus, ICtus ex schola Irneriana & *Bulgari* sectator, 349.

Balduinus Franc. Romuli leges collegit, 30. LL. XII. TT. Commentariis suis illustrauit, 47. ad LL. quasdam commentatus est, 66. 73. circa legem regiam errat, 89. edicta veterum Impp. de Christianis collegit, 147. Constantini Mirtam descripsit, cura Gundlingii recusam. *ibid.* Iurisprudentiam Mucianam collegit, 109. 127, 217. *Constantinum M.* edidit. 157. *Iustiniani* LL. collegit, 179. historiarum scientiam cum studio iuris coniunxit, 190. 376.

Baldus ICtus, *Bartoli* discipulus, 368. in præceptorem inhumanus fuit, 369. eius opera ubi prodierint? *ibid.* vitam eius *Pancirollus* & *Grauina* sistunt, *ibid.*

Baldi Angelus & *Petrus*, ICti ex schola Bartolina, 370.

Balsamon Theodorus collectionem LL. ecclesiasticarum ex corpore iuris Iustinianei instituit, 264.

Baluzius Stephanus Capitularia Legum Francorum edidit, 173. 430. 431.

Baro Eguinarius ICtus, Edicti Perpetui fragmenta colligere cœpit, 137. in schola Bituricensi docuit, 376.

Bartholinus de libris legendis scripsit, 9.

Bartolus ICtus cum *Francisco Accursio* contentionem habens Pisas consulendi MSCti Pisani causa legationem misit, 234. 235. scholæ Bartolinæ princeps, 366. in variis Italiæ scholis docuit & *Carolo IV.* Imp. a consiliis fuit, 367. multa scripta reliquit, *ibid.* magna

magna auctoritate polluit, *ibid.* scriptores vitæ Bartolinæ, 368.

Basilicorum libri, *Leo* imperator illos primus edidit, 308. contenta Basilicorum, 309. 310. *Constantinus Porphyrogenneta* repetitam Basilicorum recensionem edidit, 309. quæ hodie superest, *ibid.* editores βασιλικῶν, 310. 312. Synopsis βασιλικῶν, 318. editor, *ibid. Labbæus* obseruationes ad illam scripsit, *ibid.* aliam Synopsin *Attaliota* edidit, 319. nec non *Michaël Psellus* & *Tenedius*, 319. 320.

Basilius Macedo nouum iuris Græco. Romani corpus primus meditatus fuit, 307. varias edidit constitutiones, *ibid.* eclogam LL. scripsit, 307. 318. editiones huius eclogæ, 308.

Basinstochius ICtus, LL. XII. TT. commentariis illustrauit, 43.

Bassy Dominicus Commentario L. Decisiones illustrauit, 246.

Bock Caspar Achatius de Nouellis *Leonis* earumque vsu & auctoritate dissertationem habuit, 316. de Curiis Prouinc. Saxonicis scripsit 415.

de *Bella Pertica Petrus*, ICtus ex schola Accursiana, 363.

de *Beluiso* ICtus ex schola Accursiana, 363.

Beneficium legis quid & quotuplex ? 150. eius differentiam a priuilegiis *Cuiacius* docuit, *ibid.*

de *Berger Ioann. Henr.* Diss. de contrauindicatione habuit, 95.

de *Berger Ioh. August.* Speculum Sueuicum edidit, 452.

Bernhardus, Abbas Claræuallensis, de iure Romano parum benigne iudicat, 341.

Bertachinus Ioann. ICtus ex schola Bartolina, 370.

Bertrandus Ioann. *Aelium Marcianum* ICtum cum *Aelio* siue *Aurelio Marciano* confundit, 124. obscuritatem *Paulli* notat, 127. vitas ICtorum Romanorum scripsit, 131. Codicem Theodosianum edidit, 164.

Besoldus Christophorus vitam *Papiniani* scripsit, 125. it. de libris iuris ciuilis, 459.

Best Guilielmus de ratione emendandi leges scripsit, 11. 107. 213.

Beyer Georg. tres centurias auctorum iuridicorum scripsit, 26.

Bibliotheque ancienne & moderne, 422.

Bignonius Hieronymus notas ad LL. Salicas concinnauit, 172.

Biographi veterum ICtorum Romanorum recensentur, 17. 131.

Bobius Vbertus ICtus ex ſchola Accurſiana, 363.
a *Boeckelen Chriſtian Otto*, de orationibus Principum ſcripſit, 93. ſucceſſionem Sabinianorum & Proculeianorum in compendioſa tabella exhibet, 115. diuerſos *Labeonis* & *Capitonis* mores notauit, 115. de diuerſis veterum ICtorum familiis ſcripſit, 53. 120.
Boecler, de Iuſtiniani favore erga feminas differuit, 183.
Böhmer Iuſtus Henning programma de philoſophia ICtorum Stoica ſcripſit, 4. Theophili paraphraſin ſuæ editioni Inſtitutionum ſubiecit, 304. eius uſus modernus X. laudatur, 355. de ſcriptura non legibili diſſeruit, 357.
Boërius Nicolaus Iuliani Nouellarum verſionem primus in lucem protraxit, 281.
Bohemi, Weichbildo Magdeburgenſi olim uſi, 449.
du *Boiſiana* Bibliotheca, 16. 316.
Bologninus Ludouicus ICtus Codices plures cum MSCto Florentino diligentiſſime contulit, 235.
Bonfidius Edmundus ius Orientale collegit, 324.
Bonizo vitam *Matthildis* conſcripſit. 337.
Bonorum interdictio, formula interdictionis, 85.
Borgia Hieronymus Inueſtigationum libros XX. edidit, 383.
Boſſianus ICtus ex ſchola Irneriana, *Bulgari* ſectator 348.
Bosquetus, *Fr.* notas ad Innocentii Epp. ſcripſit, 41.
Bourchardus Almericus ſcripta *Pauli* collegit, 126.
Branchu Balthaſar veram lectionem LL. XII. Tabularum in obſeruationum libris repræſentare voluit, 48.
Brandes de vera & ſimulata ICtorum philoſophia ſcripſit, 3.
Breithaupt Ioan. Frider. Nouellarum Iuſtinianearum verſionem meditatus fuit, 288.
Brenckman. Henricus vitam *Alpheni Vari* ſcripſit, 110. *Modeſtini* librum περὶ ἑυρηματικῶν edidit, 106. 129. Diſſ. de LL. inſcriptionibus edidit. 17. 88. 105. 195. 215. 216. Digeſta ad exemplar Florentinum contulit & hiſtoriam huius MSCti edidit. 192. Pandectas iuris ciuilis auctoribus ſuis & libris reſtitutas edidit, 216. de Conſulibus, quorum in Digeſtis fit mentio, epiſtolam ſcripſit, 262. editiones corporis iuris recenſet, 289.
Breuiarium Alaricianum, quando compoſitum? 168. per quem? 168. 169. ex
quibus

quibus libris desumtum fuerit? 169. eius auctoritas, *ibid.* eius auctoritas sub Francis, 170.

Brissonius Barnabas selectas antiquitates edidit, 11. 45. 57. 371. formulas populi Rom. collegit, 59. commentarium in L. Iuliam de adulteriis scripsit, 66. orationes principum collegit, 93. decreta principum collegit, 149. cuias fuerit & quaenam scripta ediderit? 381.

Brosseus Petrus indicem corporis iuris Glossati edidit, 362.

Brouweri Henrici Tr. de iure connubiorum *P. Burmannus* recudendum curauit, 13

Brückner Guil. Hieron. programma: de latinitate iuris an pura satisque probata sit, publicauit, 7. programma: utrum Iustinianus fuerit uxorius scripsit, 183. progr. de Accursianis & Alciateis edidit, 358.

Brummer Frider. de lege Cincia scripsit, 77. exercitationem de Scabinis medii aeui scripsit, 415.

Brutus M. Ius ciuile libris VII. collegit, 53.

Budaeus Guilielm. elegantiores literas ad ius ciuile adplicare coepit, 373. eius scripta ubi prodierint? *ibid.*

Buderus varias variorum orationes publicauit, 26. vitas ICtorum edidit, 374. 377.

Bulgarus ICtus, *Irnerii* discipulus, 343. nouae sectae princeps, 345. *Martini* adversarius & aemulus, 344. 345. eius asseclae, 348. 349.

Burchardus Iac. Progr. quid causae sit, cur humanitatis studiis maius a Batauis quam a Germanis statuatur pretium, edidit, 384.

Burgius Elect. 3. 104. 130.

Burmann. Petr Orationem in humanitatis studia habuit, 1. notas in *Petronium* edidit, 48 118.

Butrigarius ICtus ex schola Accursiana, 363.

van *Bynckersboeck Cornel.* Praefationem obseruationibus suis praemisit, 10. 20. ad L. Rhodiam de iactu scripsit, 68. opusculum de cultu religionis peregrinae apud veteres Romanos scripsit, 100. Librum singularem ad *L.* 40. *D. de reb. cred.* scripsit, 104. 150. Diss. de pactis stricti iuris contractibus in continenti adiectis edidit, 104. Ciceronem ICtum fuisse negauit, 112. lectionem §. 47. *L.* 2. *de Orig. iur.* defendit, 138. de religione peregrinorum scripsit, 147. de authenticis earumque auctoritate scripsit, 164. 266. 267. opusculum de captatoriis institutionibus edidit, 100. contentionem cum *Pagenstechero* habuit, 267.

C.

Cabotius Vincentius Var. Disputat. euulgauit, 91. 418.
Cæpolla Bartholomæus celebris cautelarum scriptor, 3:0.
Cæsar Iulius numerum prætorum auxit, 77. iuris collectionem meditatus fuit, 175.
Caligula Imper. totum ICtorum ordinem abolere voluit, 114.
Calixtus Georg. cum *Nibusio* de restauratione iuris ciuilis litem habuit, 338.
Campianus M. August. de officio & potestate magistratuum Romanorum scripsit, 15.
Canonum collectores multa ex Codice Theodosiano in suas collectiones retulerunt, 174.
Capito Atteius Sabinianæ scholæ princeps, 114. eius mores, 115. 116.
Capitularia Regum Francorum, 424. illorum auctores, 425. unde ita dicta fuerint? *ibid.* differentia LL. & Capitularium, *ibid.* objectum Capitularium, 426. illorum auctoritas sub Francis, 427. collectores & editores capitularium, 428 430.
Carmonius Iac. diss. de scientiis Iurisprudentiæ studium adiuvantibus habuit. 2.
Carrio Ludouicus familiam *Papyrii* describit, 33.
Cascelius ICtus quisnam fuerit? 112.
Casimirus, Polon. Rex, appellationes ad curiam Magdeburgensem prohibuit. 449.
Cassius Longinus Sabini discipulus, huiusque dogmatum tenax sectator, 116. de eo Norisius multa refert, 117.
Castellus Ioann. Baptista de L. Regia scripsit, 90.
Castrensis Paullus ICtus ex schola Bartolina, 369.
Catharinus Nicolaus Tribonianismos edere voluit, 208.
Cato M. Porcius in LL. XII. Tab. commentatus est, 47. ab eo Catoniana regula, 52. 108.
Celsus Iuuentius, pater & filius, Proculianæ sectæ addicti, 119. vitam illorum *Strauchius* descripsit, *ibid.* diuersus est a *Cornelio Celso* Medico, *ibid.*
Censor legem apud Romanos rogare non poterat, 61.
Censoria lex, unde ita dicatur? *ibid.*
Centumuiri, quinam fuerint? 84. centumuirale iudicium, *ibid.* centumuirales causæ, *ibid.*
Charonda Ludouicus leges Romanorum restitutas edidit, 64. verosimilium libros scripsit, 88. 139. scripta *Ulpiani* collegit, 128.

128. corpus iur. ciu. edidit, 293.
Chifletius Claudius de capite secundo L. Aquiliæ scripsit, 72. parum benigne de *Leone* Imperatore iudicat, 308. de terra & lege Salica scripsit, 418.
Chifletius Ioann. Dissertationes Apologeticas edidit, 57. 180. 130. Diss. de iuris utriusque architectis edidit, 132. vitam *Iustiniani* scripsit, 185. de Triboniano tractauit, 188.
Christius Ioann. Frid. Historiam legis Scatiniæ edidit, 73.
Chrmologia, huius in iure usus, 16.
Cicero insigne LL. XII. Tab. tribuit elogium, 3. *Trebatio* ICto Sectam Epicuream dissuadet, 4. studium etymologicum commendat. 5. rationem addiscendæ iurisprudentiæ subministrat. 16. libros de LL. scripsit, 68. centumuirales caufas recenset, 84. plebeiorum Ædilium officium describit, 86. officium Ædil. Curul. describit, 87. utrum fuerit ICtus? 112. iuris collectionem meditatus fuit, 175.
Cinus ICtus ex schola Accursiana, 364.
Cirinus Andreas LL. regias collegit, 33.
Cironius Innocentius annum confectionis codicis Theodosiani non rite collocat, 160. de codice Theodosiano eiusque fatis tractauit, 165.
Ciuitas Romana initio sine iure certo vixit, 27.
Claudius Imp. duos prætores fideicommissarios constituit, 78.
Claudianum SCtum de filiisfamilias seipsos vendendos tradentibus, 96. de feminis feruili amore bacchantibus, *ibid.*
Clemens Terentius ICtus, scholæ Sabinianæ addictus, 118.
Clericus Ioann. artem criticam edidit, 10. Bibliotheque ancienne & moderne edidit, 204.
Cliens, origo iuris patronatus, 101. solebant clientes a ICtis responsa petere, 102.
Coburgensis Ducatus terris iuris Sueuici annumeratur, 447.
Codex
Gregorianus & *Hermogenianus*, eius origo, 151. auctores, 151. 152. contenta, 155. ordo in hisce Codicibus seruatus, 156. publice hi Codices recepti fuerunt, *ibid.* fragmenta supersunt, *ibid.* editores horum fragmentorum, *ibid.* *Anianus* breuiarium horum Codicum fecit, *ibid.*
Theodosianus, auctor huius Codicis, 159. annus quo

Hh 2 com-

compilatus, 160. causa, cur hic Codex editus fuerit? *ibid.* adiutores & confectores huius Codicis, 161. fontes, *ibid.* diuisio, 161. 162, ordo. 162. auctoritas, naeui, *ibid.* 163. a Wisi-Gothis deprauatus fuit, *ibid.* *Sirmondus* appendicem huius Codicis edidit, 164. editores huius Codicis, *ibid.* historia huius Codicis, 165. auctoritas eius in Oriente, *ibid.* in Occidente, 167. sub Gothis, 168. sub Francis, 170. auctoritas eius apud clericos, 173. in Conciliis, 174.

Iustinianeus, quando conditus? 189. ob quas causas? *ibid.* reiectus iterum fuit, 190. historia huius Codicis, *ibid.*

Repetitae praelectionis, causa confecti huius Codicis, 257. confectores eius, *ibid.* fontes & diuisio, 257. 258. vitia, 258. quasdam principum constitutiones peculiares continet, 259. quinam circa eas emendandas operam nauauerint? 259. inscriptiones & subscriptiones LL. Codicis, 259. 260. quid subscriptio post Consulatum indicet? 260. dies & menses LL. subiiciuntur, 261. quando hic Codex auctoritatem legalem acceperit? 262. cur Codex repetitae praelectionis dictus fuerit? *ibid.* utrum deroget π? 263. 264. auctoritas huius Codicis, 264. exemplaria eiusdem, *ibid.* varias Constitutiones *Cuiacius* & *Contius* huic Codici inseruerunt, 265. optima huius Codicis editio est *Contii*, *ibid.* in Graecum sermonem fuit versus 297. huius versionis vestigia in Basilicis supersunt, *ibid.* *Hermopolita* argumenta breuia in Codicem scripsit, *ibid.* eius auctoritas in Occidente & inter clericos, 335.

Codicilli, eorum origo, 50. 52.

le *Cointe Carolus*, collectionis Capitularium *Ansegisi* anatomen exhibet, 428.

Colerus Parerga edidit, 122. 186.

Collatio LL. Mosaicarum & Rom. quis illius auctor? 9. 166. quando auctor vixerit? 188. utilitas huius collationis, 167.

Collectio iuris, quinam illam ante Iustinianum meditati fuerint? 175.

Colomesius Paulus Galliam Orientalem scripsit, 324.

Coloniae patricios patronos sibi elegerunt, 101.

Columbinus Ioann. ICtus ex schola Accursiana, 363.

Coniunctio, de necessaria coniunctione iuris Graeci cum

cum iure Iustinianeo, 326.

Connanus Franc. circa legem Horatiam errat, 71. legem Regiam in Triboniani cerebro enatam esse statuit, 90.

Conradus II. Imp. LL. quasdam tulit, 434.

Conrad. Fr. Cai. Brissonii librum de formulis procurauit, 60. LL. de iure singulari Iulii Pauli collegit, 119.

Couringius Herman. commentationem ad *L. un. C. de studiis liberal. Urb. Romæ* edidit, 130. communem opinionem de restauratione iuris ciuilis per *Lotharium II.* reiecit, 338. 340. multosque alios in suum assensum pertraxit, 339. librum de Orig. Iur. Germanici edidit, 338. 424.

Constantinus Copronymus varias constitutiones edidit, 305.

Constantinus M. sub eo clari ICti extitere, 130. multas nouas Constitutiones edidit, 157. has *Franc. Balduinus* collegit, *ibid.* multæ LL. falso ei tribuuntur, 158. collectionem iuris meditatus fuit, 175.

Constantinus Porphyrogenneta repetitam Basilicorum recensionem edidit, 309. varias Constitutiones promulgauit, 324.

Constitutiones

Imperatoris Iustiniani ad confirmandum ius suum editæ, a iuris cultoribus sunt euoluendæ, 23.

Principum Romanorum quando ortæ? 138. falsam de illarum origine *Pomponius* adfert caussam, 139. errant *Cuiacius* & *Hotomannus* circa originem harum Constitutionum, *ibid.* *Hadrianus* primus constitutiones edidit, *ibid.* species harum constitutionum, 141. sequ.

Imperatorum Græcorum, ad *Basilium Macedonem*, 304. a *Basilio* ad euersum Orientale imperium, 324. ineditæ Græcorum Impp. constitutiones, 325.

Consul legem rogare poterat, 61. prætores sunt dicti, 74.

Contius Antonius Disputationes scripsit, 8. successionem Sabinianorum & Proculeianorum in compendiosa tabula exhibet, 114. Codicem repetitæ prælect. edidit, 265. Corpus iuris ciu. edidit, 293.

Controuersia

Sabinianorum & Proculeianorum, 114.

Gosianorum & Bulgarianorum, 345. sequ.

Decretistarum & Legistarum, 352.

Corasius Ioann. ad. *L. 2. π. de* O.

O. I. commentatus est, 23. legem Regiam falso a Romulo repetit, 89.

Corpus Iur. Ciu. editiones eius recensentur, 288. 294. editiones corporis iuris glossati recensentur, 361. 362.

Corradinus Petrus Marcellinus vetus Latium edidit, 28. 108.

Coruinus Arnoldus Iustinianum Catholicum scripsit, 185.

a Costa Ianus ad Decretales commentatus est. 9. L. Regiam falso a *Romulo* repetit, 89. tractatum de origine iuris in Gallia scripsit, 173.

Cotelerius Ioannes Baptista, Monumenta ecclesiae Graecae edidit, 325.

Cotta Cattellianus vitas Glossatorum descripsit, 365. 371.

Cramer. D. Jo. Georg. Comment. acad. de coniungendo iuris & antiquitatum germanicarum studio edidit 18.

Creditor, utrum Sectio creditorum LL. XII. Tab. fuerit permissa? 40. 43.

Crimen, de variis criminibus Tab. VII. LL. XII. Tab. actum fuit, 44-46.

Crispinus Annotationes ad LL. XII. Tabular. edidit, 48.

Christian. Io. Diss. de iure matrimonii scripsit 13.

Critici studii in iurisprudentia usus, & abusus. 10.

Cruces ICtorum quid sint? 209.

Cuiacius Iacobus Querelam inofficiosi L. Glicia introductam esse putat, 51. per mediam Iurisprudentiam L. Voconiam intelligit, 52. de lege regia non recte sentit, 89. SCtum *Apronianum* ad *Marci* tempora refert, 95. errat circa SC. Claudiani abrogationem 96. errat, dum *Cervidium Scaevolam* Muciorum gentilem fuisse statuit, 123. scripta *Pauli*, 128. *Vlpiani* collegit, *ibid.* circa originem constitutionum errat, 139. multa mandatorum capita explicat, 143. Codicem Theodosianum edidit. 166. multorum ICtorum dispersas in π. leges collegit, 418. Commentarium in Nouellas scripsit, 278. librum LX. Βασιλικῶν edidit. 311. ex latericia iurisprudentia auream fecit, 377. cuias fuerit? *Ibid.* scripta eius, *ibid.* 379. aduersarii eius, 379. 380.

Cumanus Raphaël, ICtus ex schola Bartolina, 370.

Cura, origo curae legitimae furiosorum & prodigorum moribus a *Paullo* adscribitur, 43. 44.

Curtius Iacobus Coniecturarum libros scripsit, 107. Latine *Theophili* paraphrasin vertit, 301.
Cyprian. Salom. Ernest. Catalogum Cod. MSCtorum Bibliothecæ Gothanæ edidit. 419.
Cyrillus κατ᾽ ἐπιτομὴν Digesta interpretatus est, 296.

D.

van D*Ale Antonius* differtationes ad antiquitates ex marmoribus explicandis publicauit, 31.
Daoys Stephanus, Indicem corporis iuris Glossati edidit, 362.
Dausquius Claudius, eius orthographia ad explicationem LL. XII. Tab. facit, 49.
Decemuiri iuris condendi gratia sunt creati, 37. LL. XII. Tab. compilarunt, 37. 39. Græci sermonis ignari & prudentia legislatoria parum instructi fuerunt, 39. quinam Decemuiri slitibus iudicandis fuerint? 83.
Decisiones quinquaginta post editum priorem Codicem sunt promulgatæ, 239. controversias ICtorum dirimunt, *ibid.* quibus annis fuerint promulgatæ? 240. numerus harum decisionum est incertus, 241 242. catalogus L. decisionum, 242. 243. differentiæ decisionum & constitutionum, 243. 244. character harum decisionum internus, 244. 245. externus, 245. collectio harum decisionum, *ibid.* in Codicem repetitæ prælectionis sunt relatæ, 246. utrum π. derogent? *ibid* commentatores in quinquaginta decisiones, *ibid.* quinam historiam earum concinnaverint? 247.
Decretum principis, quid fuerit? 149. quomodo principes inter litigantes cognouerint? 149. multa decreta in π. reperiuntur, *ibid.* Paulus ICtus talium decretorum sex libros composuit, *ibid.* Brissonius decreta collegit, *ibid.*
Decretistæ, quinam dicti? 354. horum controversiæ cum legistis, 354 355. 356.
Delrius Antonius Anti Sabinum edere promisit, 7. ad *L.* 18. *C. de Transact.* scripsit, 10. 212.
Depositum, quænam pœna in dolosum depositarium LL. XII. Tab. fuerit statuta? 43.
Derogatio legis quid?
Desmares Franc. Iuliani Nouellarum versionem edidit, 281.
Diaconus Petrus, notas iuridicas collegit, 59.
Dictator leges rogare poterat, 60.
Dies erant vel fasti vel nefasti

nefasti vel intercisi, 56.
Diffidatio, quid fuerit? 438 439. quomodo denunciata? 439. etiam inter homines infimæ sortis in usu fuit, 440. imperatores diffidationibus modum præscripserunt, *ibid.* per pacem publicam diffidationes sunt sublatæ, 441.
Digesta, a quibusnam confecta fuerint? 191. denominatio *ibid.* *Triboniani* opera potissimum confecta fuerunt, 193. ad mandatum *Iustiniani*, *ibid.* quid confectores præstiterint? 194. index digestis præmissus, *ibid.* an ad ordinem Edicti perpetui fuerint composita? 195. ordo, 196. intra triennium sunt composita, *ibid.* confirmatio, *ibid.* utrum institutionibus derogent? 196. 197. prohibitiones, quas imperator *ᴨ.* annectit, 197. quot libros, titulos & LL. digesta contineant? 199. 200 quot versus? 200. quid per versus intelligatur? *ibid.* Græca in digestis, 201. diuisio *ᴨ.* 201 - 203. de ea variorum DD. coniecturæ, 203. 204. historia, 204. reprehensores digestorum, 205-208. quæ merito in Digestorum editionibus reprehendantur? 208. de Digestorum editionibus, 210. *sequ.* Digesta *a Thalilæo* in Græcum idioma sunt translata, 297. multa ex hac versione in Basilica sunt relata, 296. alii Græci Digestorum interpretes, *ibid.*
Dinus Rossanus, ICtus ex schola Accursiana, 363.
Disputatio Fori, eius origo, 49. 106, exempla disputationum, 52.
Dodwellus sub Hadriano Edictum perpetuum collectum esse statuit, 137.
Donatio inter virum & uxorem, origo prohibitæ donationis, 52.
Donellus Hugo, eius Commentarii iur. civ. laudantur, 10. ICtus ex schola Cuiaciana, 377. ambitioni maxime deditus, & ob id quoque a *Mich. Hospitalio* notatus, 377.
Dorotheus Digesta per modum indicis interpretatus est, 297.
Dositheus constitutiones *Hadriani* collegit, 140. eius editores, *ibid.* fragmentum regularum ex veteri ICto nobis seruauit, *ibid.*
Douiatius Ioann. Enarrationes in responsa ICtorum naturalia, 4. historiam iuris ciuilis Romanorum scripsit, 24. ad §. 2. *L. de Act.* diss. scripsit, 251. *Theophili* paraphrasin edidit, 303.
Duirsema Petrus Coniecturas scripsit, 5. 6. *Noodtium* reprehendit, 223.

Dra-

Drakenborch orationem, de utilitate, quæ ex humanioribus litteris in omne doctrinarum genus redundat, recitauit, 1.

Duarenus Franc. Disputationes anniuersarias edidit, 6. 105. obscuritatem *Paulli* notauit, 127. ex schola Cuiaciana fuit, 376.

Ducker Carolus Andreas, de latinitate ICtorum scripsit, 7.

E.

EBreæ linguæ utilitas, 9.

van Eck Cornelius, de usu poëtices in iurisprudentia duas orationes recitauit, 10. orationem de *Capitone* & *Labeone* habuit, 115. orationem de religione & pietate veterum ICtorum recitauit, 4. putat veteres ICtos theologos fuisse, 171. orat. de præstantia & necessitate iuris ciuilis habuit, 405.

Edictum

Prætoris, distinctio inter Edictum vrbicum & prouinciale, 77. lex improprie dicitur, 80. edicta in albo proponebantur, *ibid.* quotuplicia fuerint? 81. quando perpetua edicta facta fuerint? *ibid.* tempore Ciceronis edicta maximæ fuerunt auctoritatis, *ibid.* utrum post L. Corneliam prætores ab antecessorum edictis recedere potuerint? 81, 82. incertam edicta reddiderunt iurisprudentiam, 82. quinam ex veteribus edicta interpretati sint? *ibid.* ex recentioribus? *ibid.*

Aedilium, ad ius honorarium pertinuit, 86. frequens horum edictorum in iure mentio, 87. *Strauchius* dissertationes Aedilitias edidit, *ibid.* quænam ex Aedilitio edicto in ius Romanum sint relata? *ibid.* etiam in prouinciis a municipalibus ædilibus obseruabatur, *ibid.* edicta Curulium *Gajus* & *Iulius Paullus* interpretati sunt, *ibid.*

Perpetuum a *Saluio Iuliano* ICto fuit collectum, 132. 133. post illud, quousque edicendi facultas prætoribus competierit, 135. *Didius Iulianus* in edicto condendo multa sui arbitrii fecit, 134. Romani edictum perpetuum magni fecerunt, 135. 136. *Iustinianus* etiam illud magni fecit 136. *Seuerus* illud abolere non voluit, 137. quinam fragmenta illius ediderint? 137. 138. quinam huius edicti historiam delinearint? 138.

Prouinciale, ad exemplum edicti P. est collectum, 137. eius memoriam *Gajus*

Gajus ICtus conseruauit, *ibid.*
Principis quid & quotuplex? 141. mittebantur ad magistratus, *ibid.* hi publico programmate illa proponebant, 141. 142. Edictorum generalium auctoritas; 142. specialium auctoritas, *ibid.* in iis diei & consulis adiectione opus erat, *ibid.* sed hoc a *Iustiniano* sublatum, *ibid.* Edicta XIII. *Iustiniani*, 286, 287.
Eichel Ioann, animaduersiones in *Procopium* scripsit, 184. *Procopii* fidem labefactare cœpit, *ibid.*
Elenus Hieron orationem, quibus studiis intendere debeat, qui bonam operam Iurisprudentiæ nauare volet, scripsit, 3. it. Exercitationes ad ius ciuile, 3. 209.
Emancipatio, eius origo, 43.
Epicuræorum secta Romæ frequens, 4.
Epistola principis, quid fuerit & eius differentia a rescripto, 148.
Erasmus Roterodamus Adagia edidit, 6.
Erciscundi ICti, quinam tales dicti? 121. facile mutabant suam sententiam, *ibid.*
Ernstius de vera & simulata ICtorum philosophia scripsit, 3.
Εὑρηματικὰ, siue cautiones ICtorum, 106.
Eustathius, ICtus de temporum interuallis librum scripsit, 456.

F.

Faber Semestria scripsit, 6. Coniecturarum libros edidit, 59. 383.
Fabricius Ioann. Albertus Bibliographiam antiquam edidit, 39. præcipuas Corporis iuris ciuilis editiones recensuit, 289. *Suaresii* notitiam Basilicorum Bibliothecæ Græcæ inseruit, 313.
Fabrottus Carl Hannibal, Theophili paraphrasin edidit, 301. opus Βασιλικῶν edidit, 317. LL. in Digestis non extantes edidit, 200. pro usu iurisprudentiæ Romano-Græcæ pugnauit, 227.
Fasciculus IV. nouæ rariorum librorum collectionis, de *Taurellis* patre & filio agit, 236.
Fasti consulares, eorum usus in iure Romano, 15. in Codice repetitæ prælectionis, 262. scriptores fastorum, 15. 16.
Fauorinus philosophus cum *Sexto Cæcilio* ICto de obscuritate LL. XII. Tab. disputat, 40.
Faust- und *Kolbenrecht*, hoc in Germania per aliquot sæcula viguit, 437. quid de:

denotet? 438. personæ & causæ iudicii duellici, *ibid.* modus in hoc judicio obseruatus, *ibid.* pontifices iudicium duellicum abrogare voluerunt, 439. per Constitutiones Imperatorum & principum est sublatum, 439. 441.

Ferandus Aduensis Explicationes iuris edidit, 5. 20. 203. 249.

Ferox Vrsejus, de eius ætate *Perrenonius* scripsit, 119.

Ferretus Aemilius elegantiora studia tractauit, 374. eius scripta ab ipsius discipulis edita, 374. non confundendus cum *Perotto*, *ibid.* eius vitam *Helenus Ribittus* conscripsit, *ibid.*

Finckelthaus præfat. Obseruationibus præmisit 365.

Flauianum ius quodnam fuerit? 58.

Flodoardus Historiam Rhemensem scripsit, 172.

Florentinio Franc. Maria vitam *Mathildis* recensuit, 337.

Florentinum π. MSCtum, dicitur etiam Pisanum, 226. eius collatio antinomiis tollendis inseruit, 212. quæ in ea obseruanda sint? *ibid.* huius vitia, & quinam ea detexerint? 213. ubi & quando inuentum fuerit? 222. quando Pisas fuerit translatum? 227. quando Florentiam? 228. ætas huius MSCti, *ibid.* an Iustiniani exemplar fuerit? *ibid.* an ex hoc MSCto omnia exemplaria manarint? 229 231. duobus voluminibus constat, 231. 232. eius scriptura, 232. de ea *Christ. Vlrici Grupen.* agit, *ibid.* vitia, *ibid.* ordo quorundam titulorum in hoc MSCto fuit perturbatus, 233. falsæ correctiones in hoc MSCto, *ibid.* auctoritas huius MSCti, 233. 234. 235. quinam illud inspexerint? 235. 236. quinam illud ediderint? 237. 238. auctoritas editionis Florentinæ, 238 239.

Foerster Val. Guil. de iuris interpretatione scripsit, 2. 8 9. 19. lectiones succisiuas edidit, 5. 167. Tr. de ICtorum vitis, qui in Pomponio memorantur, edidit, 131.

Folieta Vbertus de philosophiæ & iuris ciuilis inter se comparatione librum edidit, 3. & alium de linguæ Latinæ usu & præstantia? 5.

Fontaninus Justus Antiquitates Hortæ edidit, 48. 88. 229.

Formula, origo formularum apud Romanos, 54. formula rei vindicationis, 55. variarunt interdum, *ibid.* patricii nouas excogitarunt formulas, 58. formulæ actionum sunt sublatæ,

59. formula: *ex bona fide* quando fuerit addita? 83. formula interceſſionis & conſenſionis tribunitiæ 93. formulas Romanorum *Briſſonius* collegit, 59. formulæ apud Francos in iudiciis uſitatæ, 171.

Fornerius Guilielmus Selectiones edidit, 40. 55.

Fornerius Radulphus res quotidianas ſcripſit, 5. 29. 37. 56. 101. 199.

Fragmenta XII. Tab. quænam falſo decemuiris tribuantur? 48.

Franci ſeculo ſexto Galliam occuparunt, 140. deuictis gentibus proprias LL. reliquerunt, 171. leges Romanas magno in pretio habuerunt, 170.

Freherus Parerga, 3. 9. 88. eiusdem Veroſimilia laudantur, 76. Deciſiones Areopagiticas edidit, 4.

Fridericus I. Imp. ſummo in pretio ius ciuile habuit, 352. ob quam cauſam? 353. 354. quasdam LL. tulit, 434. 435.

Fridericus II. Imp. LL. tulit, 436.

Furtum per lancem & litium conceptum quid? 42. ſcripta huc pertinentia, *ibid.*

G.

Gaggii Angeli, Doctorum Pontificii ſcil. & Cæſarei iuris origines & dotes indicavit, 341.

Gajus ICtus, integrum LL. XII. Tabb. ſenſum commentariis ſuis inſeruit, 47. cuias fuerit? 122. Inſtitutionum libros ſcripſit, ibid. qui Sec. XI. adhuc integriores hodiernis extitere, 187. a Gothis maxime interpolati ſunt, 249. rerum quotidianarum libros edidit, 122.

Galuanus M. Aurelius de uſufructu tract. edidit, 53. 107.

Gaudentius Paganinus Orat. de eruditione cum doctrina conjungenda habuit, 19. de cauſis immutatæ iurisprudentiæ orationem habuit, 157. pro Iuſtiniano Imp. expoſtulationem edidit, 176. 183. de Iuſtinianei ſeculi moribus ſcripſit, 180. Expoſitiones iuridicas edidit 68 98. 124. 148.

Gellius Noctes Atticas ſcripſit, 5. 135. 175. 198.

Gemeine Rechte, quid nomine communis iuris in conſtitutionibus intelligatur? 403.

Gentilis Albericus dialogos de iuris interpretibus ſcripſit, 20. 358. epiſtolas conſcripſit 113. 271. cum Cu-

Cuiacio contendit, 380.
Gentilis Scipio, Originum librum singularem scripsit, 5, Parerga edidit, 6. 8. 9. ad Orationem *D. Marci* scripsit, 93.
Gerdesius Philipp. Balthasar, Exercitat. de norma iudicandi leges feudales in Germania scripsit, 392.
Germani ante seculum V. moribus non LL. vixerunt, 413. judicia sub dio habuerunt, 414. processus inter illos non fuit prolixus & sumtuosus, 414. 415. omnem iuris memoriam post Varianam cladem sustulerunt, 416. seculo V. leges scriptas acceperunt, 416. de statu iurisprudentiæ Germanicæ sub Imperatoribus Saxonicis, Sueuicis & Francicis, 434. bellicæ Germani fuerunt indolis & ius per aliquot secula in viribus habuerunt, 437.
Giornali de Litterati d'Italia, 259.
Giphanius Hubertus ad Libb. C. commentatus est, 59.
Glossatores
Iuris Romani, eorum næui historici, 19. 20. multa Pontifices in condendo iure canonico ex iisdem depromserunt, 351. laudantur, 357. *Albericus Gentilis* Glossatores defendit, 358.
Iuris Græci, 316. editiones harum glossarum, 317. glossæ MSCtæ, 317. 318.
Glossa iuris Iustinianei quando cœperit? 356. unde nomen habeat? *ibid.* autoritas, 358. 359. an hodie pro ciuiliter mortua habenda sit? 360. corporis iuris Glossati editiones recensentur, 361. duos huius corporis habemus indices, 362.
Goldastus Melchior, Constitutiones imperiales collegit, 424. Speculum Suevicum edidit, 451. collegit Recessus Imperii. 466. 468.
Goetzius, Georg. Diss. de Decemviratu Romanorum habuit 37.
Goltzius Hubertus Fastos Magistratuum & Triumphorum Romanorum edidit, 15.
Gordonius Franc. Marsius Prætermissa edidit, 105.
Gothi Italiam & Galliam occupant, 168. deuictis gentibus LL. suas non obtrudunt, *ibid.*
Gothofredus Dionysius epitomen Nouellarum ad ordinem Codicis adaptauit, 278. corpus iuris ciuilis edidit, 294. *Theophili* paraphrasin edidit, 303. cuias fuerit? 383.
Gothofredus Iacobus Differt. ad L. Quisquis C. *ad L. Iul. Majest.* scripsit, 21.

fragmenta LL. XII. Tabb. edidit, 48. L. Iuliam repetundarum commentario illustrauit, 66 nec non L. Iuliam de maritandis ordinibus, *ibid.* ὑπόμνημα de L. Rhodia scripsit, 68. fragmenta Edicti perpetui edidit. 137. fragmenta Codd. Gregoriani & Hermogeniani edidit, 156. Codicem Theodosianum commentariis illustrauit, 144. 164. historiam Codici Theodos. præmisit, 164. cuias fuerit? 383. de Cenotaphio edidit, 124.

Goueani de lege Hortensia sententia reiicitur, 71. ingenio fuit felici, 374.

Græcia petentibus Romanis leges dedit, 36.

Græcorum prudentiam legislatoriam prætores, consules & imperatores Romani æmulantur, 37. 118.

Græuius Ioann. Georg. Orationem pro litteris dixit, 1. thesaurum antiquitatum Romanarum edidit, 13.

Grauina Ioan. Vinc. LL. XII. Tabb. commentario illustrauit, 48. catalogum LL. Roman. originibus suis inseruit, 64. de SCtis egit, 100. orationem de iurisprudentia recitauit, 2.

Gregorius, Codicis Gregoriani auctor, 151. 152. quando vixerit? 151. an *Gregorianus* dictus fuerit? 152. utrum etnicus fuerit? 154. quasnam constitutiones Codici suo inseruerit? 155.

Groenewegen Simon de LL. abrogatis & inusitatis scripsit; 207.

Groningius Ioann. de næuis corporis iuris scripsit, 206.

Gronouius Iacob. Thesaurum antiquitatum Græcarum edidit, 39. notas ad Tacitum scripsit, 27. 153.

Gronouius Ioann Frider. Orat. de L. regia habuit, 89,

Gronouius Laur. Theodor. Emendationes π. ad exemplar Florentinum edidit, 192. 237.

Grotius Guil. circa nomen *Aelii Marciani*, ICti errat, 124. vitas ICtorum Rom. scripsit, 131.

Grupe Christian. Vlricus tract. de uxore Romana edidit, 28. tr. quod melius sit virginem ducere quam viduam scripsit, & in eo de virgine Florentina siue MSCto Florentino tractauit, 232.

Gundling. Nicol. Hieron. Ludouici Malquitii tract. de vera non simulata ICtorum philosophia recudendum curauit, 3. *Freberi* Decisiones Areopagiticas, 4. it. Gundlingiana edidit, 8. 42. 43 96. 201. 434. LL. Censorias non esse leges proprie sic dictas monstrat, 61. singularia ad L. Iuliam Maiestatis edidit, 66. *Trebatii* ICti defensionem

ſionem peculiari diſſ. in ſe ſuſcepit. 111.

H,

HAdrianus Imp. conſilium condendi Edicti P. cœpit, 82. plurima circa LL. notauit, 132. *Saluio Iuliano* colligendi Prætorum Edicta negotium dedit, *ibid.* curam eius ordinandæ iurisprudentiæ *Bottereau* deſcripſit, 132. an prouinciale Edictum ſub hoc Imperatore collectum fuerit? 157.

Hahnius Hendricus, de uſu chronologiæ in iure orationem habuit, 16. 36. 123.

Haloander Gregorius criminationibus *Vallæ* & *Sabini* reſpondere voluit, 7. quisnam fuerit? 221. ab eo Haloandrina ÷. editio nomen habet, 223. 291. utrum *Haloander* MSCtum Florentinum inſpexerit? 223. diſcrepantes Haloandrinæ & Florentinæ editionis, 224. laudes editionis Haloandr. 225. vitia, *ibid.* variæ editiones, 226. Nouellas *Iuſtiniani* Latine reddidit, 284. Corpus iur. ciu. edidit, 291. primus libros Baſilicorum indicauit, 310.

Hamberger Laurentius Andr. de utilitate humaniorum litterarum in iurisprudentia egit, 2. diſſ. de Edicto P. edidit, 135. 138. ſub *Antoninorum* imperio Edictum Prouinciale eſſe conditum, monſtrauit, 137. 138.

Harduinus Acta Conciliorum edidit, 180.

Harmenopulus, Promptuarium iuris Græci edidit, 187. 310. contenta huius Promptuarii, 320. 321. editores illius, 321.

Harprecht de iure mortuario in bonis defuncti hominis proprii ſcripſit, 464.

Harprecht ab Harprechtſtein Tr. cui tit. Speculi Sueuici & præſertim iuris Feud. Alemannici in foris Vicariatus Sueuo-Franconico - Palatini non uſus modernus edidit, 447.

Haſæus Iac. Diſſ. de Beryto habuit, 130.

Hatteſtedius Ioann. Saxonius Gloſſatorum labores prædicat, 358.

Heineccius Ioann. Gottlieb præfationem nouæ Obſeruationum *Bynckersboeckii* editioni præmiſit, 10. Commentationem ad L. Iuliam & Papiam edidit, 21. ſyntagma eius Antiquit. Roman. commendatur, 21. 29. 253. querelam inofficioſi L. Glicia introductam eſſe ſtatuit, 52. de media iurisprudentia Romanorum formularia ſcripſit, 54. ſolennitates, quæ a Romanis in legum latione fuerunt adhibitæ, expli-

explicat, 62. L. Iuliam, de maritandis ordinibus illustrauit, 66. ritum condendorum SCtorum describit, 93. commentarium ad L. Papiam Poppeam scripsit, 182. nouam operum *Cuiacii* editionem promisit, 381. Orat. de Caio Aquilio Gallo habuit 109. item de Publio Inventio Celso, 119. præfationem Vinnio præmisit, 301. Elementa eius π. laudatur, *ibid.*

Heneli Nicolai Discursus: quomodo futurus ICtus variarum linguarum, scientiarum & artium doctrina recte sit instituendus, 2. vitas veterum ICtorum descripsit, 131. Silesiographiam scripsit, 449.

Hennebergiæ Principatus iura Sueuica seruat, 447.

Heraldus Desiderius de auctoritate rerum iudicatarum scripsit, 29.

Hermodorus Exul Ephesinus partim LL. XII. Tabb. auctor, partim interpres fuit, 39. in illius honorem statua fuit erecta, *ibid.*

Hermogenes Hermogeniani Codicis auctor, 152. sequ. quando vixerit? 154. 155. an ethnicus fuerit? 154.

Herold Ioann. Basilius, LL. veterum Germanorum collegit, 424.

Heruetus Gentianus sex Basilicorum libros edidit, 310.

Heuman Acta philosophica, 5. Parerga critica publicauit, 10.

Historia

Romana, eius in studio iuris utilitas, 19. scriptores, qui de coniunctione historiæ cum iurisprudentia tractarunt, 20.

Iuris Romani, quomodo diuidatur? 20. de historia iuris Romani specialissima, 21. scriptores historiæ specialissimæ, *ibid.* scriptores iuris Romani historiæ veteris, 21. 22. recentiores, 23. 24.

Iuris Graeci, eius scriptores, 24.

Iuris Germanici, 25. eius scriptores, *ibid.* historia LL. Germanicarum, 431.

Iuris Saxonici, eius scriptores, 25.

Hofgerichts-Ordnung/ Coburgische und Eisenachische/ 463.

Hoffmann Aproniani SCti originem ad tempora *Marci* refert, 95. catalogum SCtorum exhibet, 100 de LL. Germanorum vet. scripsit, 424. Historiam iuris Romani edidit, 24.

Homberg Andreas responsa iuris confecit, 461.

Hombergii zu Vach Ioann. Frider. nouam Nouellarum versionem edidit; 206. Diss ad Nou. XII. Marpurgi ventilauit, 286. nouam Nou. I. versionem commentario illustratam edidit, 286.

Hortensia gens quænam fuerit? 71. *Hortensia* lex, 71.

Hostiliæ Legis auctor quinam fuerit? 65.

Hottomannus Franciscus, per mediam iurisprudentiam L. Voconiam intelligit, 53. obseruationes iuris scripsit, 57. catalogum LL. antiquarum scripsit, 64. L. Gliciam non agnoscit, 65. de L. regia erronee iudicat, 89. vitas ICtorum Romanorum scripsit, 131. circa originem Constitut. Imperial. errat, 129. vitam *Iustiniani* conscripsit, 185. Anti-Tribonianum edidit, 188. 205. *Cuiacii* aduersarius fuit, 379. cuias fuerit, & quænam scripta reliquerit? 381.

Huber Vlricus de ratione iuris docendi & discendi scripsit, 10. Testamenta Iulii Cæs. & Augusti exposuit, 13. Eunoniam Romanam scripsit, 207.

Huber Zacharias Dissertationes Philologicas & Iuridicas edidit, 31.

Hugolinus ICtus, loco X. collationis libros feudorum Nouellis subiecit, 277.

Husmannus Franciscus Paradoxa ad L. Falcidiam scripsit, 73.

I.

Ianus Dan. Frid. obseru. de odio veterum Germanorum in caussarum patronos scripsit, 416.

Iason Maynus ICtus, ex schola Bartolina, 370. eius opera ubi prodierint? *ibid.*

Idacianum chronicon næuo laborat, 159.

Iensius Ioannes ferculum litterarium edidit 31.

a Iesu Christi Benedictus, Vindicias Iustinianismi scripsit, 207.

ICti

Romani LL. XII. Tabb. interpretati sunt, 49. 104. disputatio illorum, *ibid.* in interpretandis LL. XII. Tabb. magis legislatores quam interpretes egerunt, 49. 50. Legis actiones excogitarunt, 57. origo ICtorum, 100. maximo semper honore habiti, 130. quando cœperint de iure respondere? 102. responsa sua non solum medio in foro sed & domi dabant, *ibid.* se se inuicem consulere solebant, 102. 103. iudicibus absentes, quid iuris esset, scribebant, *ibid.* rationes ciuiles populo clam habebant, *ibid.* cautiones & consilia contra legum subtilitatem clientibus dabant, 105. 106. ex principiis generalioribus spe-

speciales regulas deduxerunt, 105. aliorum scripta vel illustrarunt vel correxerunt, 107. eorum dissensus iudici liberiorem iudicandi potestatem dabat, 113. modestia horum ICtorum, 104. saepius formula: NON VIDERI utebantur, *ibid.* quinam ICti dicantur veteres? 107. illorum responsa libera Republ. auctoritatem iuris non habuerunt, 112. quinam ercifcundi dicti? 121. facile sententiam suam retractabant, *ibid.* quando respondere desierint? 129. Antecessores dicti, 130. eorum fragmenta diligenter perlustranda, 131. in emittendis Constitutionibus a Caesaribus in consilium fuere adhibiti. 141. 144. Vid. *Responsa* prudentum.

Graeci natiuam iurisprudentiae Romanae dignitatem restituere coeperunt, 372.

Belgae humaniores litteras cum iuris ciuilis studio coniunxerunt, 384.

Germani elegantiores literas cum iurisprudentia coniunxerunt & coniungunt, 384. 385.

Index ICtorum π. praefixus utrum Graecus an Latinus fuerit? 194. imperfectus est, *ibid.* quot ICtos contineat? 194.

Index LL. omnium, quae in π. reperiuntur, a Labitto conscriptus, 216.

Infortiatum, infarctum, infarcitum, insertum Digestum, unde ita dictum fuerit? 203.

Inscriptiones, earum utilitas in iure, 14.

Inscriptiones Legum, ad antinomias in digestis tollendas faciunt, 215. 216. laudatur *Labitti* index, 216. laudantur illi, qui LL. in Digestis dispersas ope inscriptionum collegerunt, 217. 218. auctores, qui de inscriptionibus Legum scripserunt, 219.

Institutiones Iustinianeae, Instituta ab aliis dicuntur, 247. quando & quem in finem fuerint composita? 248. quinam composuerint? *ibid.* diuisio earum, 249. fontes, 249. 250. 251. plures peculiares *Iustiniani* constitutiones continent codicibus suis non insertas, 251. 252. quid in illis reprehendatur, quid laudetur? 252. 235. quando publicatae fuerint? 255. utrum priores, an posteriores Pandectis, vel coaetaneae sint? 255. 256. harum editiones, 256.

Interpretatio prudentum, eius origo, 49. quaenam vim legis obtinuerit, 51. iuris species, quae ex illa profluxerunt, 51. varie adpella-

pellatur, 52. per illam iurisprudentia Romana non multum profecit, 53.
Iosephus Augustus ICtus, Miles Antiparadoxa iuris ciuilis edidit, 373.
Journal des Savans, 132.
Irnerius ICtus, utrum authenticarum sit auctor? 260. eius defensores, 270. primus auditorium iuris Bononiæ aperuit, 361. cuias fuerit? 342. breuia scholia in ius ciuile scripsit, *ibid.* barbaram Nouellarum versionem in forum recepit, 343. DD. iuris non creauit, *ibid.* eius discipuli, *ibid.* inter illas duæ Sectæ ortæ sunt, 344. 345.
*Ising*k Orationem de vinculo inter literas humaniores & iurisprudentiam dixit, 2.
Iudex Pedaneus, a Prætore dabatur eique formula præscribebatur, 82. a partibus recusari poterat, *ibid.*
Iudicium
Romanorum, eius historia a iuris cultore non est negligenda, 17. scriptores huc pertinentes, *ibid.*
Camerale, duo in imperio fuerunt summa tribunalia *Palentiæ* dicta, 397. etiam iudicium *Aulicum*, *ibid.* *Augustrale*, *ibid.* quando iudicium *Camerale* instauratum fuerit? 398-400.
Duellicum vid. Faust- und Kolben-Recht.
Iuliani nomen apud Romanos plures habuerunt ICti, 133.
Iulianus Saluius, Scholæ Sabinianæ addictus, 117 non Proculeianæ, uti Donellus sentit, 133. edicti perpetui conditor, & natione Afer, *ibid.* magna libertate in colligendis prætorum edictis usus est, 135.
Iulianus Antecessor, Nouellas vertit, 219. 281.
Iurisprudentia a primo sui ortu ad nobilem Biturigum Academiam deducta, liber laudatus, 376.
Iurisprudentia Romana, misera fuit post electos reges, 35. formularia, 54.
Media, quænam iurisprudentia media dicta fuerit, *Galuanus* detexit, 53. 107.
Dicere & *indicare* quomodo differant, 83.
Ius
Græcum antiquum, eius scriptores, 33.
Romanum, vel scriptum vel non scriptum, 38. quando ita distingui cœperit? 38. a Græcis petitum, 37. conspirat cum iure Græco, 38. cum iure Mosaico 9. sub *Hadriano* & *Constantino M.* varias mutationes expertum fuit, 157. sequ. eius usus in Gallia a Francis obseruatur, 172. sub *Iustiniano* in aliam formam fuit re-

dactum, 175.
Graeco-Romanum, quando coeperit 295. eius utilitas in iure Iustinianeo, 326. 327. osores & defensores huius iuris, *ibid.*
Iustinianeum, eius auctoritas in Oriente, 295. in Occidente & quidem in Italia, 329. sub Longobardis, 330. 331. sub Francis, 331. 332. seculo IX. non desiit in Italia, 332. in Galliam & Germaniam non transiit, 333. Itali potissimum Codice & Nouellis usi sunt, 334. a *Lothario* II. non fuit restauratum, 336. 337. magnam tamen sub *Lothario* nactum est auctoritatem, 340. quando ius Iustinianeum in Germania fuerit receptum? 386. utrum sit ius domesticum? 388. nec seculo X. nec XII. in Germania fuit receptum, 390. probatur receptio priuata, 390-396. publice seculo XV. in Germania fuit receptum, 396. sub *Maximiliano* I. 396-398. probatur publica receptio, 399-405. obtinet etiam in prouinciis, 403. 404. causae receptionis publicae, 404. 405. auctoritas huius iuris in Germania, 405. diuersae DD. de illius auctoritate sententiae, 406. 409. ius Iustinianeum in complexu est receptum, 407. 408. in subsidium tantum est receptum, 407. 408. utrum ius Iustinianeum in Germania sit principale, an minus principale? 409. usus huius iuris in negotiis publicis, *ibid.* probatur, 410. ex hoc iure iura statutaria declarantur, restringuntur & supplentur, 411. scriptores, qui de usu & auctoritate iuris ciuilis ex professo tractarunt, 412.
Singulare LL. XII Tabb. prohibitum, 45. ut & SCto, 46. quid sit? 150.
Germanicum, eius historia, 413. sequ. ante seculum V. Germ. ius scriptum fuit incognitum, 414.
Germanicum singulare, 464.
Lubecense vid. *LL. Municipales.*
Municipale vid. *LL. Municipales.*
Statutarium vid. LL. *Municipales.*
Saxonicum Electorale, eius origo, 463. partes, *ibid.* editiones, *ibid.*
Saxonicum Ducale, recensetur, *ibid.* *Weichbildicum*, 449.
Saxonicum Feudale, quando conditum & a quibusnam editum fuerit? 440. 449.
in *Ius vocationis* origo, 42. an violenta in caussis ciuilibus olim locum habuerit?
Iustelli Bibliothecam iuris Cano-

Canonici veteris euulgarunt, 264. 305.

Iustinianus, ne LL. Zifris vel notis fcriberentur, prohibuit, 59. veterum ICtor. autoritatem exæquauit 129. quasdam CC. poft Inftitutiones editas promulgauit, 255. omni interpretandi facultate ICtis interdixit, 130. quando natus fuerit? 176. ubi natus? 177. eius parentes & familia, *ibid.* ab auunculo *Iuftino* adoptatus & in imperii confortium accitus eft, *ibid.* quando mortuus? 178. mores *Iuftiniani* & ftudia, 178. 179, vitia eius, 180. fequ. fcriptores, qui res ab eo geftas defcripferunt, 183. 184. nouum iuris corpus edidit, 185. 294.

K.

Kirchmayer Georg. Cafpar de latinitate & de amœnitatibus & Veneribus Pandectarum fcripfit, 6. 7. L. Papiam Popæam illuftrauit, 67. de elogiis & electis veterum ICtorum fcripfit, 752.

Koebre unde dictum fuerit? 456.

Kolius Ioann. Diff. fcripfit ad L. Ateriam Tarpejam, 64.

Kreffius Diff. de rationibus decidendi in vario iure fcripfit. 103. Diff. de iure Hagenftolziatus habuit, 464.

L.

Labbæus Car. quosdam Bafilicorum libros edidit, 311. gloffas iuris Græci edidit, 317. obferuationes ad fynopfin Bafilicorum fcripfit, 318. Concilia congeffit, 427.

Labeo Antiftius origines latinarum vocum harumque rationes indagat, 5. in LL. XII. Tabb. commentatus eft, 47. libros prætoris peregrini fcripfit, 76. Scholæ Proculeianæ auctor fuit. 114. eius mores, 115.

Labittus Iacobus Indicem LL. quæ in π. reperiuntur, concinnauit, 202. 216.

Lambecius Petrus Prodromum hiftoriæ litterariæ edidit, 114. Bibliothecam Vindebonenfem defcripfit, 177. 424.

Lampridius vitam Alexandri feueri expofuit, 92.

Lancellottus Conrad. de officio prætoris fcripfit, 85.

Landus, Steph. Enarrat. fcripfit, 132. 198. 248.

Langerbeck Dettleu. Annotationes iuris fcripfit, 68. 239.

Launoy, Io. de varia fortuna Ariftotelis in Academia Parifienfi fcripfit, 386.

Lautenfack Frid. Georg. Diff. de inepta ratione decidendi controuerfias iuris publici ex LL. Romanis

et iure canonico, habuit, 353. 409.

Lauterbachius W. A. errat, dum *Augustum* varias promulgasse constitutiones, scribit, 151.

Lectius Iacobus ICtus Geneuensis, 383. vitam *Papiniani* scripsit, 125. orationem de *Vlpiano* recitauit, 128. LL. ex *Macri* libro de publicis iudiciis & Modestini libro de pœnis collegit, 129. 281.

Legati tres in Græciam, ut LL. peterent, sunt missi, 36. quomodo *Pomponius* intelligendus, qui decem missos esse statuit? 36.

Lex κατ' ἐξοχὴν de XII. Tabb. dicitur, 45.

Leges

Fugitivæ quænam sint? 202. eas *Cuiacius* collegit, *ibid.*

Duodecim Tabularum, a Decemuiris sunt compilatæ 32. fontes illarum, 37. 39. earum interpres, 39. quibusnam Tabb. incisæ fuerint? 40. pro rostris positæ fuerunt, *ibid.* quid in illis desideratum fuerit, *ibid.* elogia illarum, *ibid.* contenta, 41-46. conflagrarunt A. V. C. 368. quando restauratæ fuerint? 46. Commentatores LL. XII. Tabb. veteres, 47. recentiores, 38.

Edictales quid sint? 142.

Romanæ quid denotent? 60. quinam LL. apud Romanos rogare potuerint? 60. 61. denominatio harum legum, *ibid.* solennitates harum legum, 61. 62. quædam perfectæ erant, quædam imperfectæ, 63. quædam ad statum publicum, aliæ ad priuatum pertinent, *ibid.* recensentur LL. Romanæ, 68. 68. qui de his LL. scripserint ex veteribus? 69. quinam ex recentioribus? 69. Leges sub *Augusto* & *Claudio* adhuc veteri ritu rogatæ sunt, 90.

Regiæ, dictæ etiam sunt *curiatæ*, *centuriatæ*, 32. populus illas probauit, *ibid.* *Publius Papyrius* eas collegit, *ibid.* LL. regiarum fragmenta & illorum collectores, 33. eiectis regibus illarum auctoritas exoleuit, 34.

Lex

Cincia, quare dicatur imperfecta? 63.

Regia, dicuntur SCta, in gratiam *Augusti* facta? 88. Romani solebant hanc legem in *Augusti* successoribus repetere, 89 fragmentum L. Regiæ, 89. diuersæ DD. de ea sententiæ & explicationes, *ibid.* sub *Vespasiano* nata non fuit, *ibid.* non in Triboniano cerebro hæc lex enata fuit, 90. scriptores de L. Regia, *ibid.* populus non omnem potesta-

poteſtatem per L. Regiam in *Auguſtum* contulit, *ibid.*
2. π. *de orig. iur.* eius auctor, 22. commentatores, 22. 23. non deliria *Triboniani* continet, 22.
Valeria, quando lata & quid hac lege cautum fuerit? 71. *Hortenſius* hanc legem renouauit, *ibid.*
Iulia Poppæa, eius auctoritas, 67. quinam ad eam commentati ſint? *ibid.*
Salica, quando condita? 416. eius contenta, 417. diuerſæ eius editiones, nec non commentatores & gloſſaria in hanc legem, 418.
Ripuariorum, quando condita? 418. ex hac lege hodie quædam ſuperſunt, 419.
Alamannorum, *ibid.*
Burgundionum, 420.
Friſonum, 421.
Angliorum, ſ. *Werinorum*, *ibid.*
Saxonum, quando in ſcripturam redacta? 421. 422 magnam ſub *Carolo M.* paſſa eſt mutationem, 422.
Slauorum, 423.
Wiſi Gothorum, *ibid.*
Longobardorum, 424. ſequ.
Leges
Germanorum municipales, quando cœperint? 452. dicuntur Stadt-Recht / Weichbild / Willkühr / 453, inter alias eminet ius *Lubecenſe*, *ibid.* eius origo *ibid* auctoritas, 454. collectio, *ibid.* *LL Aquisgranenſes* & *Colonienſes*, 455. *Hamburgenſes*, 456. *Cellenſes*, *ibid.* *Bremenſes*, 457. *Luneburgenſes* & *Goslarienſes*; *ibid.* aliæ adhuc recenſentur, *ibid.*
Prouinciales, quando cœperint? 458. vtrum confirmatione Cæſaris indigeant? *ibid.* an principes contra ius commune & Receſſus Imperii LL. condere poſſint? 459. vtrum Rec. Imp. LL. ſtatuum prouincialibus derogent? 459. 460. recenſentur quædam antiquæ LL. prouinciales, 461. 462. recentiores LL. 463. 464.
Legum actiones, illarum origo, 54. non confundi debent cum actibus legitimis, 56. 57. legis actiones *Cneus Flauius* diuulgauit, 58. *Theodoſius* & *Valentinianus* illas ſuſtulerunt, 59.
Legum virtutes, 63.
Legiſtæ, quinam tales dicti? 351. horum controuerſiæ cum decretiſtis, 345-356. eorum auctoritas, 355.
Legitimum dicitur, quicquid ex LL. XII. Tabb. deſcendit, 41.
Leibnitius Rerum Brunsui-

censum scriptores edidit, 314.

Leickher notas in vitam Cuiacii a Massonio conscriptam elaborauit, 378. 379.

Leo Imp. Philosophus dictus, primus libros Basilicorum diuulgauit, 308. iuris epitome edidit, 309. Nouellas promulgauit, 313. tacticas & militares constitutiones edidit, 324.

Leuita Benedictus Capitularia regum Francorum edidit, 429. naeui huius collectionis, 428.

van *Leeuwen Simon* edicti perpetui fragmenta edidit, 138. corpus iuris ciuilis edidit, 294.

Leunclauius Ioann. Synopsin Basilicorum edidit, 319. libros tres paratitlorum in publicum protraxit, 322.

Leyserus diss. de Logomachiis ICtorum scripsit, 123. de iure Iustinianeo a Lothario in Germaniam nunquam introducto scripsit. 339.

Libonianum SCtum, an Claudianum dictum fuerit? 97.

Limpius Pompeius octo volumina Repetit. iur. ciu. edidit, 385.

Lindenbrog. Frider. notas ad *Valerium Probum* de notis Romanorum interpretum scripsit, 198. primus communi opinioni, quod ius Iustinianeum per *Lotharium II.* sit restauratum, contradixit, 338. LL. veterum Germaniae populorum collegit, 424.

Linglois Pet. Franc. commentarium in L. Decisiones edidit, 246.

Lingua

Latina, eius vsus in studio iuris Romani, Latinitas Pandectarum, 5-7.

Graeca, eius vsus in iure Romano, 7. 8. osores & defensores L. Graecae, 8.

Ebraea, vsus in iure, 9. Iudaica dicendi genera, *ibid.*

Lippenius Martinus Bibliothecam iuridicam edidit, 26.

Lipsius Iustus LL. Regias collegit, 33. excursiones ad Tacitum scripsit, 75.

Litterae humaniores, illarum vtilitas in omni scientiarum genere in iure, 2.

Locus LL. ferendarum vbi olim fuerit? 62.

Longinus C. Cassius, quisnam fuerit? 116. de illo *Strauchius* tractauit, 117.

Longinus, ICtus, Proculeianae sectae addictus, & a *Cassio Longino* diuersus, 118.

Longobardicam gentem iuris amantem fuisse *Paullus Diaconus* affirmat, 330.

Lotharius II. Imp. vtrum ius Iustinianeum per illum fuerit restauratum? 336. 337.

de *Ludewig* Codicem iuris Austriaci exhibet, 461. 462.

462. de iure Hagenſtolziatus ſcripſit, 464.

Ludouici Iac. Frid. Hiſtoriam π. ſcripſit, 203. 204.

Ludwell Wilbelm. de L. Deciſionibus diſſertationem conſcripſit, 240.

Lyclama Marcus a Nycholt iuris ſtudioſorum librum ſingularem edidit, 57. primores controuerſias inter Cuiacium & Hottomannum recenſet 379.

L. B. *de Lyncker* Inſtructorium forenſe edidit, 26. eiusdem Reſolutiones, 463.

M.

MAbillon de re diplomatica opus edidit, 163. 229. 249. 261.

Macedonianum SCtum, eius origo, 98.

Macrinus Imp. de tollendis principum reſcriptis cogitauit, 148.

Macrobius Saturnalia ſcripſit, 63. 56.

Mæcianus, ICtus, quinam fuerit? 118. vitam eius *Strauchius* deſcripſit, *ibid.* eius librum de Aſſe *Venetus* edidit, *ibid.*

Maſters Diſſ. ad *L. 9. D. de L. Pompeia de Parricidiis* Traiecti ventilauit, 28.

Mæſtertius Iacobus, de LL. Romanarum iuſtitia ſcripſit, 207.

Magiſtratus Romani, eius notitia iuris Cultori eſt neceſſaria, 14.

Magno notas iuridicas collegit, 60.

Malquytius Ludewig de vera non ſimulata ICtorum philoſophia ſcripſit, 3.

Mandata Principum, quid continuerint? 142. multa mandatorum capita *Cuiacius* explicat, 143. varia mandata in corpore iuris occurrunt, *ibid. Vizzanius Car. Emanuel* de mandatis principum ſcripſit, 143.

Manilius libros Aſtronomicos ſcripſit, 26.

Manius Manilius ICtus, huic *Euerbardt* nomen ſuum vindicavit, 108.

Mantua Marcus vitas Gloſſatorum ſcripſit, 365.

Marcellus Vlpius ICtus Proculeianæ ſectæ addictus, 119. de eius ætate, ſecta & ſcriptis *Merillius* egit, *ibid.* notas ad *Iulianum* ſcripſerat, *ibid.*

Marcellus alius fuit *Neratii* frater, *ibid.*

Marcianus Aelius, ICtus Miſcellio, 124. notas ad *Papinianum* ſcripſit, *ibid.* diuerſus eſt ab *Aelio* ſiue *Aurelio Marciano* Proconſule Boeticæ, *ibid.*

Marcilius Theodor. in LL. XII. Tabb. commentatus eſt, 48.

a S. *Maria Honorius*, Reflexions ſur les regles & ſur l'uſage de la Critique ſcripſit, 10.

Martinus, *Irnerii* diſcipulus,

343. *Bulgari* aduerſarius, *ibid.* nouæ ſectæ princeps, 345. 346. eius aſſeclæ, 347.

Mascampius Henr. de Patria Iuſtiniani disquiſitionem edidit, 177.

Maſcou Gottfried, diuerſos *Labeonis* & *Capitonis* mores notat, 115. de ſectis Sabinianorum & Proculeianorum diſſ. ſcripſit, 120.

Maſtricht recenſionem operis Iac. Sirmondi de Capitularibus Regum Francorum exhibet, 430.

Mattaire Annales Typographicos conſcripſit, 290.

Matthæi Antonius Diſſ. de antinomiis habuit, 209.

Matthilda num reuocati iuris Iuſtinianei in Italia auctor fuerit? 337. quinam vitam eiusdem delineauerint? *ibid.*

Mauricianus ICtus, de eo *Perrenonius* ſcripſit, 119.

Mauricius Ericus de libris iuris communis ſcripſit, 160.

Mechovius, *Martin.* Chronicon Polonicum edidit. 449.

Media iurisprudentia, quid per eam intelligatur? 52.

Memoires litter. de la Grande Bretagne, 422.

Menagius Amœnitates iuris ciuilis edidit, 5. 201. ad *Laërtium* Commentarium ſcripſit, 110. 201.

Mercerius Ioann. Opinionum libros edidit, 2. 40. 48. 106., *Pomponium* in *L.* 2. §. 8. *ff. de O. I.* errantem excuſat, 70. conciliatorem LL. obſtantium ſcripſit, 88. 209.

Merillius Edmundus Obſeruationes iuris ſcripſit, 3. 8. 9. 61. 130. libros III. ex *Cuiacio* ſcripſit, 14. eiusdam ad Calliſtratum notæ 93. eiusdem notæ ad Inſtitutiones laudantur, 382. diuerſos *Labeonis* & *Capitonis* mores notauit, 115. de ætate & ſecta *Marcelli* egit, 119. de *Miſcellionibus* ICtis tractauit, 121. de *Saturnino* ICto egit, 126. librum differentiarum reſtitutum ex libris Manualium *Paulli* ICti ſcripſit, 218. L. Deciſiones commentario illuſtrauit, 106. 246. cuias fuerit? 382. quænam ſcripta reliquerit? *ibid.*

Merula Paullus LL. Regias collegit, 32. de LL. Romanis ſcripſit, 68.

Metellus quamplurima de *Antonio Auguſtino* refert, 376.

Methodus cauſarum, hanc *Weſenbecius* in ſcholas ICtorum introduxit, 385. 386. non omnes iuris materiæ hanc methodum recipiunt, 387.

Miſcelliones ICti, quinam tales dicti fuerint? 121. recenſentur miſcelliones, *ibid.*

Miſ-

Miscella, Iulia Miscella lex vnde nomen acceperit? 67.

Modestinus cuias fuerit, & quænam scripta reliquerit? 29. cautionum librum conscripsit, 106.

Molinæus Tr. de vsuris scripsit, 9.

Montfaucon Palæographiam Græcam edidit, 177.

Mopha Gribald. de ratione studiorum scripsit, 215. vitas Glossatorum scripsit, 365.

Morhof Georg. Dan. de Latinitate ✝. scripsit, 7.

Morinus Stephanus, de Miscellionibus ICtis tractauit, 121.

Mornacius, ICtus Gallus, eius scripta vbi prodierint? 383.

Mos veterum leges incidendi in æs, 40.

Mosbemius de linguæ Latinæ cultu & necessitate dissertationem scripsit, 5.

MSCtum Florentinum, vid. *Florentinum.*

Muelenius Wilhelm. de LL. Numæ agit, 30. ad Tit. D. de iustitia & iure et de orig. iuris scripsit, 57. *Pomponium* circa originem SCtorum non vapulare docuit, 91. ritum condendorum SCtorum describit, 193.

Municipia etiam patronos ex patriciis habebant, 101.

Muratorio Ludou. Ant. Scriptores rerum Italicarum edidit, 1724. 337.

Mylius D. *Io. Henr.* de Theophilo Paraphraste tractavit 300.

Muller, Io. Ioach. eius Reichs-Tags Theatrum sub Maxim. I. laudatur, 398.

N.

Natalis Alexandrinus Historiam ecclesiasticam sec. IX. scripsit, 479.

Natalis Minutius ICtus, Sabinianæ sectæ addictus, 118.

Nero Imperator diuersa SCta sanxit, 98.

Neratius Priscus, ICtus, eius libri membranorum noti sunt, 119.

Nerius Iosephus Analecta scripsit, 20. 102. 107. 358.

Nerua Cocceius pater & filius, quando floruerint? 118. de eius ætate *Perrenonius* fallitur, 118.

Nerua Imp. prætorem fiscalem constituit, 78.

Nesselius Catalogum MSCtorum Bibliothecæ Vindebonensis edidit, 177.

Nicolai Ioann. de notis iuridicis scripsit, 60. 198.

Nicolson Wilhelm Diss. epist. de iure Saxonum feudali scripsit, 422.

Niellius Disputationes feudales scripsit, 267.

Noodt Gerhard, comment. in L. Aquiliam edidit, 72. 105. de fœnore & usuris librum scripsit, 73. obseruationes iuris scripsit, 88. de

de L. Regia orationem habuit, 90. in *Cerbidium Scæuolam* infurgit, 123. notatur inde a *Wæchtlero*, *ibid.* in commentario ad *π.* Edicto P. priftinam reddere cœpit formam. 138.

Noppius Chronicon Aquisgranenfe fcripfit, 425.

Noordkerk Herman. Obferuationes edidit. 10. Legem Petroniam expofuit, 67.

Norica π. editio, vid. *Holoandrina.*

Norifius, eius Cenotaphia Pifana ad illuftrationem LL. XII. Tabb. faciunt, 31. 49. legem Aeliam Sentiam illuftrant, 64. Edicta Aedilium explicant, 88.

Notæ iuridicæ, patricii notis Legis actiones & formulas expreffèrunt, 58. has notas *Aelius* diuulgauit, *ibid.* *Iuftinianus*, ne notis LL. fcriberentur, prohibuit, 59 quinam notas iuridicas collegerint? 59. 60.

Notitia auctorum iuridicorum, illam iuris cultor fibi comparare debet, 26.

Noua litteraria Germanica de anno 1720. 1. de anno 1726. 424. de anno 1728. 174.

Nouellæ

Theodofii ceterorumque Imperatorum ante *Iuftinianum*, 163. editores harum Nouellarum, 193.

Iuftiniani, 271. cur Nouellæ dicantur? 271. qua lingua fuerint confcriptæ? 272. vtrum Græcus illarum textus fit authenticus, 273. continent ius correctorium, *ibid.* non omnes funt Iuftiniani, 274. infcriptiones Nouellarum non funt authenticæ, 275. numerus Nouellarum, *ibid.* non omnes ad noftram ætatem peruenerunt, 276. auctoritas, 276. 277. diuifio, 277. quinam methodice Nouellas expofuerint? 278, quinam hiftoriam Nouellarum concripferint? *ibid.* commentatores in Nouellas, *ibid.* Nouellarum verfiones, 279-281. authentica Nouellarum verfio, 281. 282. eius auctor, 283. eft barbara, 283. in praxi recepta, 284. verfio *Haloandri*, *ibid.* *Scrimgeri* emendatio huius verfionis, 285. *Agylæi* emendatio, *ibid.* *Hombergki* zu Vachs verfio, 286. Nouella maximam feculo VI. & fequentibus nactæ funt auctoritatem, 335.

Leonis, 313. auctoritas harum Nouellarum, *ibid.* in Oriente 314. in Occidente, 315. editores harum Nouellarum, 316.

Numa Pompilius, an Pythagoricus fuerit? 30. nouas LL. tulit, *ibid.* maximam eius LL. cum iure Mofaico habent conuenientiam, *ibid.*

ibid. Ius diuinum & Pontificem Maximum inſtituit, 31. eius libri ex SCto combuſti, 30.

O.

O Brogatio legis quid? 62.
Obſeruationes Halenſes, 4. harum recenſio libri *Pardulphi Prateii* de iurisprudentia veteri, 38.
Odioſa, ad ea LL. non trahi poterant, 63.
Odofredus, ICtus ex ſchola Accurſiana & ſectator *Bulgari*, 277. 340. 350. 363.
Ofilius C. Aulus, ICtus Rom. magnam in reſpondendo habuit auctoritatem, 111. Edicta prætorum colligere cœpit, 133.
Oldradus, ICtus ex ſchola Accurſiana, 363.
Olearius Ioann. Gottlieb de biographis antiquorum Ictorum diſſ. habuit, 131.
Oratio principis, hanc SCtis præmittere ſolebant Imperatores Romani, 93. acclamationibus excipiebantur, 93. exempla in iure noſtro occurrunt, *ibid.* quinam orationes collegerint? *ibid.* orationum & SCtorum promiſcua in iure noſtro occurrit adpellatio, *ibid.* princeps aut ipſe aut per alium orationem in Senatu habuit, 94.
d'*Oroz Hieronymus* apices iuris ciuilis ſcripſit, 187.
Oſtus Aurelius Metillio Diſpunctorem ſuum oppoſuit, 107.
Otto Euerhard Commentarium ad Inſtitutiones edidit, 52. de vera & non ſimulata ICtorum philoſophia orationem recitauit, 3. 201. de Stoica veterum ICtorum philoſophia orationem habuit, 4. de Ædilibus Coloniarum & municipiorum ſcripſit, 8. 86. 184. 201. vitam *Papiniani* ſcripſit, 6. 20. 53. 67. 125. ICtorum ſcripta ad LL. Romanorum ſingulares exponit, 69. de ICtis Miſcellionibus tractauit, 121. Hiſtoriam Edicti P. promiſit, 138. theſaurum iuris Romani quatuor tomis edidit, 385. & eidem præfationem præmiſit, 21. 123. 128.
Otto M. Imperator LL. quaſdam tulit, 433.
Otto II. Imp. Conſtitutiones edidit, 434.
Otto IV. Imp. LL. promulgauit, 435.
Ouidius bene de linguæ Græcæ & Latinæ cultura exiſtimat, 3.
Outhouius Gerardus Orationem de neceſſitate ſtudii linguarum earumque ſcientiarum huc pertinentiam habuit, 5. 8.

P.

Pacatus Latinus Hadrianum rempublicam LL. imbuisse dicit, 132.

Pacius Iulius per mediam iurisprudentiam L. Voconiam intelligit, 52. corpus iur. ciu. edidit, 293.

Pagenstecher Alex. Arnold, Irnerium iniuria vapulantem edidit, 267. 279. 271.

Pagenstecher Henr. Theodorus Pomponii LL. ex libro ad Sabinum collegit, 127. de stilo Paulli ICti scripsit, *ibid.*

Pagus Antoninus Critica ad *Baronii* annales edidit, 176. Diss. hypat. de consul. Caesareis scripsit, *ibid.*

Pammelius de vita & scriptis Tertulliani scripsit, 123.

Pancirollus variarum lectionum libros edidit, 72. 128. 301. eius de Codicis Hermogeniani auctore sententia reiicitur, 153. similiter esse auctorem Codicis Gregoriani errat, 157. de claris LL. interpretibus librum diuulgauit, 201. 365.

Pandectae, solebant veteres libros suos ita adpellare, 291. vid. *Digesta.*

Panuinius Onuphrius Fastos & Triumphos Romanorum edidit, 15.

Papinianus Aemil. sub *Seuero, Antonio* & *Geta* floruit, 125. ex libris eius ad nostram aetatem nihil nisi fragmentum ex Lib. I. responsorum peruenit, *ibid.* de eius philosophia *Sleuogtius* scripsit, *ibid.*

Papianus Burgundio, responsorum librum iussu *Gundebaldi* regis edidit, 169.

Papyrius Iustus, ICtus Constitutiones Impp. collegit, 147. diuersus est a *Papyrio* LL. regiarum collectore, & a *Papyrio Frontone*, 148.

Paraphrasis institutionum, vid. *Theophilus.*

Paratitla, vnde ita dicta fuerint? 199. *Iustinianus* paratitlorum confectionem permisit, 198. Graeci ICti paratitlis vsi sunt, 322. *Leunclauius* Lib. 3. paratitlorum edidit, *ibid.*

Paris Matth. Historiam Anglicanam scripsit, 341.

Parladorius epist. de ratione iuris discendi ad filios scripsit, 2.

Parricidii poena, huiusque origo, 45.

Partus, secundum LL. XII. Tabb. legitimus erat, decimo mense post mortem patris natus, 43.

Patricii, nouas excogitarunt formulas, 58. aegre tulerunt, quod plebeii dignitatis consularis facti fuerint participes, 74. patricii plebeiorum erant patroni, 101. inde origo ICtorum repetenda, 102. quando ius patronatus obsoluerit? 104.

Paullus ICtus de conceptione formularum librum singularem scripsit, 59. doctrina & scriptis clarus fuit, 126. fragmenta ex libris sententiarum excerpta supersunt, *ibid.* *Domitii Vlpiani* fuit æmulus, *ibid.* obscurum eius dicendi genus fuit, 127. cuias fuerit? *ibid.* Decretorum sex libros composuit, 149.

Paulus Diaconus de gestus Longobardorum scripsit, 176.

Pepo ICtus, primus ius Iustinianeum Bononiæ docuit, 341.

Perizonius ad L. Voconiam scripsit, 53. 95. de vsu elegantiorum litterarum in grauioribus disciplinis orationem habuit, 1.

Perraus Stephanus opusculum, edicta prætoria ex libris π. congruo ordine desumta, continens publicauit, 16. 82.

Perrenonius Petrus Animaduersionum libros scripsit, 17. 46. 57. 104. 123. de libris quæstionum, disputationum, assessoriarum, disceptationum & decretorum, 106.

Perrinus Aegydius, vitam *Iustinianei* scripsit, 185.

Pitiscus Sam. Lexicon. Antiquitatum Romanarum edidit, 13. 14. 32. 56. 62. 73.

Petitus Petrus Miscellaneas obseruationes edidit, 3.

Petrus Suffridus, Orat. de præstantia LL. Romanarum dixit, 405.

Phædrus, LL. Athenienses commendat, 38.

Philelphi Franc. LL. Romanas collegit, 68.

Philosophia, eius scientia iuris cultori est necessaria, 3. philosophiæ vestigia in iure, 34.

Photius antinomiis colligendis operam dedit, 210.

Pithœus Petrus collationem LL. Mosaicarum & Romanar. cum notis edidit, 11. 166. aduersaria scripsit, 48. 83., 199. scripta *Vlpiani* collegit, 128. vitam eius *Iean Boiuin* & *Loisel* conscripserunt, 383. cum fratre suo *Francisco* Capitularia Regum Francorum collegit, 430.

Placentinus ex schola Irneriana discipulus, *Martini* sectator, 347.

Plebiscitum, a quoram & quo ritu latum fuerit? 69. differentia LL. & plebiscitorum, 70. plebiscita iam ante LL. XII. Tabb. sunt facta, *ibid.* per L. Valeriam, ut plebiscita populum tenerent, cautum fuit, 71. recensentur plebiscita, 72. 73. plebiscitorum indicem quinam exhibuerint? 73. plebiscita singularia quinam exposuerint? 73.

Plebs, sibi partem legislatoriæ

riæ poteſtatis vindicauit, 69. tres ſeceſſiones fecit, 70. quando conſularis dignitatis particeps facta? 74. plebs erat in clientela patriciorum, 101.

Poëtices ſtudium, iuris cultori neceſſarium, 9. *Homeri* auctoritas in iure noſtro, *ibid.*

Politianus Angelus primus *Theophili* præco fuit, 302.

Pompeius iuris collectionem meditatus fuit, 175.

Pomponius ICtus, an plures fuerint eiusdem nominis? 21. libros XXIX. ad *L. Mutii Scæuolæ* ius ciuile ſcripſit, 53. errat dum omnes Legis actiones penes ollegium Pontificum fuiſſe ſcribit, 57. errat dum plebem poſt LL. XII. Tabb. demum ſibi iura quædam conſtituiſſe ſtatuit, 70. excuſatur, quod L. Horatiæ in *L.* 2. §. 8. *de O. I.* mentionem non fecerit, 17. 71. excuſatur ob allegatam §. 27. inſtitutæ Præturæ cauſam, 74. excuſatur, quod ſedecim Prætores fuiſſe dixerit, 78. explicatur in *L.* 2, §. 32. *de O. I.* 78. Pomponium in §. 9. *L.* 2. non vapulare monſtratur § 40. *L.* 2. 127. emendatur §. *fin. L* 2. 113. quando vixerit? 121. 122. *Reynold* orationem de Pomponio recitauit, 122.

Pontifex Maximus a *Numa Pompilio* inſtituitur, 30. auctores, qui de Pontificatu Maximo ſcripſerunt, 31.

Populus Romanus a Romulo in XXX. curias, a *Seruio Tullio* in 192. centurias fuit diuiſus, 32. poſt eiectos reges per LX. annos incerto iure egit, 34.

Poſtius Herman. diſſ. de diuinis Imperatorum titulis ſcripſit, 180.

Prætor, chronologia prætorum eiusque in iure vſus, 16. prætoris nomen olim generale fuit, 25. legem rogare poterat, 61. origo præturæ, 74. cauſæ inſtitutæ præturæ, *ibid.* quinam primus prætor fuerit? 75. quando prætor ex plebe creatus? *ibid.* quando peregrinus? *ibid.* eius poteſtas, *ibid.* dignitas, 76. rara concordia inter vrbanum & peregrinum fuit, *ibid.* vrbanus proprio cognomento honoratus dicebatur, & dignitate maior erat peregrino, 77. quando prætorum numerus auctus? *ibid.* provincialium prætorum auctoritas, *ibid.* prætores ſpecialibus cauſis ſunt dati, *ibid.* numerus prætorum a *Julio Cæſare* & *Auguſto* auctus fuit, *ibid.* a *Tiberio* ſub iureiurando definitus, 78. an Cereales prætores extiterint? *ibid.* Duumuiri ambitionis ſenſu prætoris nomen acceperunt, 79. prætores ſpecialibus

cauſis

caufis funt conftituti, 78. maxime fub libera republica Prætorum fuit auctoritas, 79. prætor confulum collega dicitur, *ibid.* infigne prætoris hafta erat, *ibid.* eius officium, *ibid.* ius conftituebat, 80. legem non ferebat, *ibid.* edicta fua in albo propofuit, *ibid.* prætores etiam poft L. Corneliam ab Edictis antecefforum recedere potuerunt, 81. 82. prætor nonnunquam per fe judicauit, regulariter autem judicium pedaneum dedit, 82. hoc in cafu iudici formulam præfcripfit, *ibid.* prætor etiam exhibuit confilium affefforum, 83. centumuiros, 84. prætoris iurisdictio, 84. 85. prætoris cura circa negotia extraiudicialia, 85. prætorum auctoritas fub imperatoribus fuit imminuta, *ibid.* *Boëthii* de ea re teftimonium, *ibid.*

Princeps, qui formula ceciderat, in integrum reftituit, 54. 55.

Priorius Philippus diff. de vita & fcriptis Tertulliani edidit, 123.

Probus Valerius notas iuridicas collegit, 59. 198.

Proceffus

Romanus, auctores, qui de hoc proceffu fcripferunt, 18. proceffus extra iudicium apud Romanos vfitatus, *ibid.*

Germanicus, ab initio admodum fimplex fuit, 414.

Procopius, de rebus a *Iuftiniani* geftis octo libros confcripfit, 183. ἀνέκδοτα fcripfit, 184. quæ *Alemannus* edidit, *ibid.* aduerfarii *Procopii* & *Alemanni*, *ibid.*

Prologus, de vfu & excellentia ftudiorum antiquitatis, imprimisque marmorum, antiquitatibus facris & ciuilibus Romanarum explicatis per *M. A. V. N.* præmiffus, 14.

Publius Papyrius, LL. regiarum collector, 32. quando vixerit? 33.

Pulvaeus, *Hadr.* Comm. ad Edict. perpetuum edere voluit, 138.

Pylaus Martini & Placentini fectator, 347.

.Q.

Quarta legitimæ origo, 52.

Querela inofficiofi, eius origo, 51.

Quæftor, origo quæftorum capitalium, 45.

Quinctilianus philofophicam difciplinam Iurisprudentiam effe ait, 12. ftudii etymologici neceffitatem agnofcit, 15. virtutes legis defcribit, 6. ftudium criticum commendat, 19.

R.

Raeuardus Iacobus, LL. XII. Tabb. commentario illustrauit, 48. ad L. Scriboniam scripsit, 68.

Raguellus Franciscus ad *L.* 1. *C. de V. I. E.* scripsit. 124. seriem L. Decisionum exhibet, 243.

Ramoz Ioann. Franc. Errores *Triboniani* de pœna parricidii in *L. 6. de publ. iudic.* scripsit, 45. Somnium criticum de Triboniano & Iurisperitis scripsit, 188.

Ramus Petrus huius philosophiæ fata, 316.

Ramponius Franc. ICtus ex schola Accursiana, 364.

Ranconettus Erasmus scripta *Vlpiani* collegit. 128.

Realistarum ac *Humanistarum* origo ac contentio, 372.

Rolandus Petrus fastos consulares edidit, 261. quibus *Hadrianus* frater præfationem præmisit, *ibid.*

Receptio iuris Iustinianei in foris Germaniæ, vid. *Ius Iustinianeum.*

Receptum ius, *receptus* mos, *recepta* sententia quid? 51.

Recessus imperii, eorum origo, 465. definitio, *ibid.* olim Latino idiomate conscripti sunt, 466. quando patrio idiomate scribi cœperint? *ibid.* diuisio, 467. eorum auctoritas, *ibid.* commentatores, *ibid.* collectores, & editiones, 468.

Regius Gilbertus, ἐναντιοφανῶν libros scripsit, 103. 109.

Regnerus Cyprianus, iniustitiam LL. Romanarum aduersus *Mastertium* propugnat, 207.

Regularum iuris usus, 106.

Reinesius elegantem de *Sulpicio* ICto inscriptionem adfert, 110. aliam de Hermogeniano 134.

Reinold Bernb. Henr. prætorem peregrinum potestate vrbano non minorem fuisse docuit, 76. *Iulium Cæsarem* non duos prætores, ut frumento præessent, constituisse, docuit, 78. differt. ad SCtum Macedonianum scripsit, 98. orationum de *Pomponio* recitauit, 122. orationem de LL. inscriptionibus habuit, 219.

Relationes iudicum apud *Plinium*, 145. iudices ad principem referre debebant, *ibid.* intempestiuæ relationes fuerunt prohibitæ, *ibid.*

Repkau Epko Speculi Saxonici collector, 442.

Res, apud Romanos fuerunt vel mancipi vel nec mancipi, 44. *Bynckershoeckius* tractatum de hisce rebus edidit, *ibid.*

Rescripta principum, 143. illorum origo, 144. solebant vel ipsi principes re-

rescribere, vel litteras ad iudicem, ut inquireret si preces veritate nitantur, mittere? 144. supplicantes debebant ab iniustis petitionibus abstinere, *ibid.* rescripta ad relationes magistratuum dabantur, 145. diuisio rescriptorum, 146. illorum contenta, *ibid.* illorum subscriptio, *ibid.* auctoritas, 147. rescripta in corpus iuris sunt relata, *ibid.* rescripta Impp. aduersus Christianos *Vlpianus* collegit, *ibid.* quinam ICtorum reliqua rescripta collegerint? 147. 148. rescripta *D. Marci* in semestribus, 148. *Macrinus* tollere voluit rescripta, *ibid.* pro rescriptis scripsit *Schulting*, *ibid.* species rescriptorum erant epistolæ, pragmaticæ sanctiones & adnotationes, 148. 149. harum in iure nostro exempla, 149.

Responsa ICtorum, matutino tempore dabantur, 102. breuia erant & obscura, 103. vid. *ICti.* Augustus primus respondendi de iure facultatem ICtis dedit, 113. *Caligula* totum ICtorum ordinem abolere voluit, 114. sub *Tiberio* ICti respondendi facultatem ab Imperatore impetrare debuerunt, *ibid.* post *Modestinum* cœperunt obmutescere ICtorum oracula, 129. *Theodosianus* & *Valentinianus* quorundam ICtorum libros receperunt, 129.

Restauratio iuris Iustinianei, vtrum per *Lotharium II.* Imperatorem facta? 337. an auctoritate *Mathildæ*? 337. per *Irnerium* priuata auctoritate facta, 340. occasio huius reductionis, *ibid.*

Rhodiginus Cælius Lectionum antiquarum libros edidit, 186.

Riccius Christophorus Vindicias iuris scripsit, 63. 70. 72. 122.

Richter Christoph. commentarium in Authenticas scripsit, 271. Decisiones eiusdem laudantur, 468.

Rigaltius Nicolaus glossarium Nouell. Græcum edidit, 317.

Rittersbusius Conrad. LL. XII. Tabb. commentario illustrauit, 48. promulsidem errorum Irnerianorum edidit, 269. methodice Nouellas *Iustiniani* exposuit, 278.

Rittersbusius Nicol. vitam Paulli scripsit, 127.

Riuallius Aimarus fragmenta LL. XII. Tabb. collegit, 48. vitas ICtorum histor. iuris inseruit, 201.

Riuinus Thomas contra Procopium & Alemannum scripsit, 184.

Robortellus Franciscus de arte critica scripsit, 10.

Rogatio legis, 60.

Romulus quasdam LL. rogauit, 27. 28. non omnes leges, quæ *Romulo* tribuuntur, illius sunt, 29.
de *Rosate Albericus* ICtus ex schola Accursiana, 364.
de Roy, *Franc.* ad L. 31. D. de A. K. D. commentatus est 131.
Rubrica LL. cur ita dicantur? 249.
Rutilius Bernhardus vitas veterum ICtorum scripsit, 131.
de *Rusticis Joseph.* vitam Papiniani scripsit, 125.

S.

SAbellicus Ant. Coccius, de officio prætoris scripsit, 85.
Sabinus Massurius librum Memorialium scripsit, 106. ab hoc Sabiniani nomen habent, 116.
de *Salengre Albert. Henr.* Thesaurum antiquitatum edidit, 13.
Saxoniae Duces contra Rec. Imp. ao 1521. protestati 467.
Salicetus Bartholomæus ICtus, ex schola Bartolina, 370.
Salmasius Claudius de subscribendis & subsignandis testamenta scripsit 13 errat, dum prætorem edictum P. composuisse, scribit, 132.
Sanctio LL. vnde nomen hauserit? 63.
Scæuola Cerbidius, ICtus Miscellio & *Papiniani* præceptor, 123.
Scæuola L. Mucius disputationum librum scripsit, 50. in vnum corpus ius ciuile redegit, 53 Mucianam cautionem inuenit, multosque iuris libros reliquit, 109. *Balduinus* iurisprudentiam Mucianam edidit, *ibid.*
Schelhornius amœnitates literarias edidit, 370.
van der *Schelling Petrus* de L. Rhodia de iactu diatriben edidit, 68.
Schilter Ioann. de iure formulario scripsit, 54. *Modestini* librum de cautionibus edidit, 106. 129. ius feudale Saxonicum edidit, 450. eius Exercitationes ad Tt. commendant, 461.
Schlegel M. Ioan. Henr. Differt. de poëtarum sigillatimque Homeri auctoritate apud ICtos edidit, 9.
Schneidewin, ad Inst. commentatus est, 64.
Schola ICtorum
Sabiniana & *Proculeiana* se inuicem consulebant, 103. perpetua inter eos æmulatione & imitatio morum, 115. 116.
Irneriana, breuitate ius ciuile illustrauit, 342. 351.
Accursiana, 356 plenius hæc schola ius ciuile illustrauit, quam Irneriana, 362.
Bartolina, 365. profusam iura

iura tractandi, instaurauit methodum *ibid.* spinas dialecticorum in iurisprudentiam sparsit, *ibid.* laudes huius scholæ, 366. princeps huius scholæ *Bartolus*, *ibid.* sectatores huius scholæ, 368. sequ.

Cuiaciana, 371. elegantiores literas cum iurisprudentia coniunxit, 371. ante eam iam alii eodem labore defuncti sunt, sed infelici successu, 372. princeps huius scholæ, 377. ab *Alciato* cœpit, 371. 383. a Gallis ad summum fastigium perducta & ad Belgas propagata fuit, 377-383.

Ramistica, methodum causarum iurisprudentiæ adplicuit, 385. auctor huius scholæ fuit *Wesenbecius*, 386.

Bituricensis, doctissimos ICtos semper aluit, 376.

Tholosana, celeberrimorum ICtorum nutrix fuit. 382.

Parisiensis, doctissimos ICtos habuit, 383. seculo VIII. Germani ad hanc scholam studiorum causa venerunt, 390.

Bononiensis, in hac schola iuris studium seculo XII. fuit restauratum, 336. seculo XIII. Germani studiorum causa Bononiam profecti sunt, 390. 391.

Schramm Carl. Christian de vsu & necessitate humaniorum litterarum in iurisprudentia scripsit, 20.

Schubart Georg. de fatis iurisprudentiæ Romanæ scripsit, 29. Exercitationes edidit, 102.

Schulting Anton. de recusatione iudicis scripsit, 59. 83. SCti Aproniani originem ad *Hadriani* ætatem refert, 95. orat. de iurisprudentia *Ciceronis* recitauit, 112. *Gaii* institutiones iurispr. Anteiust. inseruit, 122. *Paulli* ICti scripta edidit, 126. librum regularum *Vlpiani* singularem collegit & edidit, 128. *Hadriani* rescripta iurisprudentiæ Anteiustinianeæ inseruit, 139. similiter *Dositbei* fragmentum regularum, 140. de rescriptis principum dissertationem edidit, 148. fragmenta Codd. Gregoriani & Hermogeniani edidit, 157. pro *Treboniano* contra *Hottomannum* orationem dixit, 188.

Schultens Alberti orat. pro Humanitatis studiis. *Ib.*

Schurtzfleisch Conrad Samuel Iustinianum orthodoxum fuisse probare annititur, 185. eius elogium de Budaeo adfertur, 228.

Schwartzius Programma de Curiis Regiis Comitiisque ante Sanctionis Carolinæ tempora Norimbergæ celebratis edidit, 252.

Scioppius de arte critica scripsit, 10.

Scrimgerus Henr. Nouellarum *Leonis* Codicem protraxit & publici juris fecit, 216. *Haloandri* Nouellarum versionem emendauit, 281.

SCta, Aediles SCta in æde Cereris custodierunt, 86. per varia SCta omnis potestas in *Augustum* est translata, 88. sub Imperatoribus SCta vim legis acceperunt, 91. sub libera republ. vim legis habuerunt, *ibid.* quo loco SCta facta? 92. quomodo? *ibid.* quo ritu? 92. 93 formulæ in iisdem adhibitæ? 92. æneis Tabb. incidebantur, *ibid.* in Bibliotheca Vlpia asseruabantur, 94. sub Cæsaribus aliter pro lege non erant, nisi lege Augusta fuerint firmata, *ibid.* SCta recensentur, 95-100. qui de his tractarunt aut catalogos concinnarunt, 100. quorundam origo plane incerta *ibid.* quinam in restituendis iisdem occupati fuerint? *ibid.* SCta usque ad *Constantinum M.* sunt facta? 140.

Sectæ

ICtorum Romanorum. sub *Augusto* in sectas abierunt, 114. auctores sectarum, 115. 116. sectatores, 116. sequ. grauissimæ dissensiones inter illos ortæ sunt, 120. quænam magis secta præualuerit? *ibid.* controuersiæ earum sectarum sub *Seuero* & *Antonio* sublatæ fuerunt, *ibid.*

Glossatorum, auctores harum Sectarum *Martinus* & *Bulgarus*, 345. 350.

Legistarum & *Decretistarum*, 351. 356. eorum scripta Goldastus collegit, 355.

Sectio debitorum apud Romanos quid fuerit? 40.

de *Secusia Henricus* occasionem reducti iuris Iustinianei in Italiam suppeditat, 340.

Sellius Theodorus Specimen obseruationum miscellanearum edidit, 66.

Seluagbius Carolus de origine, ethymo & præstantia pandectarum recitationes edidit, 191.

Semestria, vnde ita dicta fuerint? 148.

Septenarius numerus apud veteres diuinus habitus. 202.

Seruius Tullius, Rex Romanor. LL. antecessorum neglectas in vsum reuocauit, nouasque ipse rogauit, 31.

Seruius Sulpitius, primus dialecticam ad iurisprudentiam adtulit, 110. obiurgatus fuit a *Q. Mucio*, 210. *Q. Mucium* postea notauit, *ibid.* duos libros ad Edicta composuit, 132.

Siccama de centumuiralibus iudiciis scripsit, 56. 83.

Sichard Ioann. scripta *Paulli*

ICti

ICti, 126. *Vlpiani* collegit, 128. fragmenta Codd. Gregoriani & Hermogeniani diuulgauit, 156. primus Cod. Theodosianum edidit, 164. LL. veterum Germaniæ populorum edidit, 424.

Sigla, quid? 198. Imperator *Iustinianus,* ne LL. per sigla scriberentur, prohibuit, 198.

Sigonius fastos singulares edidit, 15. Legis Iuliæ repetundarum capita collegit, 66. ius Iustinianeum per *Lotharium II,* esse restauratum, falso statuit, 337. *Abbatem Vrspergensem* refutat, *ibid.*

Simon Dionysius, Nouvelle Bibliotheque historique & chronologique des principaux auteurs & interpretes du droit ciuil, canonique, & particulier de plusieurs états & provinces, 26.

Sincerus Conrad de LL. veterum Germanicarum auctoritate scripsit, 424.

Sirmondus Iacobus Notas ad Sidonium scripsit, 46. 168. Appendicem Cod. Theodosiani edidit, 164. librum sub tit. *quæstio duplex scripsit, ibid.* quædam capitularia diuulgauit, 430.

Sleuogt Gottl. scriptores de ICtorum Rom. philosophia Stoica collegit, 5. programma de disputatione fori edidit, 50.

Sleuogt Ioann. Philipp. Diss. de & in ius vocatione antiqua noua habuit, 42. diss. de vicesima hereditatis scripsit, 67. de philosophia *Papiniani* programma edidit, 125. de philosophia ICtorum scripsit, 5.

Socinus Bartholomaus, ICtus ex Schola Bartolina, 370. Sociniorum famalia celebris, 370.

Spanhemius Ezechiel circa fontes Codicis Theodosiani errat, 161.

Spartianus Hadrianum descripsit, 141.

Speculum

Saxonicum, eius origo, 441. collector, 442. tempus collectionis, 443. idioma, *ibid.* auctoritas, 445. 447. glossatores, 446. editiones, 448. accessit huic speculo der Richtsteig / *ibid.* ius Weichbildicum, 449. feudale, 449.

Sueuicum, quando conditum fuerit? 450. fontes, 450. 451. editiones, 451. 452. auctoritas, 452.

Sponius Iacobus Supplementa Gruteriana edidit, 14.

Steger Differt. de Vlpiano habuit, 128.

Stenger Ioann. Hieron. de iure formulario Romanorum dissertationem edidit, 54.

Stephani ICtus Regiom. de tachygraphia eiusque in iure vsu differtat. habuit, 60.

Straucbius Ioann. per mediam

iurisprudentiam L. Voconiam intelligit, 52. vitam *AquiliiGalli* descripsit, 109. vitam Papiniani scripsit. 125. dissertationem de Beryto edidit, 130. peculiari programmate vitas veterum ICtorum descripsit, 131. diss. de statutis a summo principe habuit, 138. 143. 149. commentarium in L. Decisiones composuit, 246. Irnerium non errantem edidit, 270.

Struuius Burchardus Gottelf, Bibliothecam iuridicam scripsit, 26. Syntagma historiæ Germaniæ, 337.

Suaresius Notitiam Basilicorum edidit, 312.

Suarez, Io de Mendoza ad L. Aquil. scripsit, 72.

T.

TAbor Otto de iure Græco maligne iudicat, 8. 301. 327.

Tacitus, eius annales, 27.

Taisand Petr. les vies de plus celebres iurisconsultes des toutes les nations edidit, 131. 132.

Talæus, vitam Rom. descripsit, 386.

Tarquinius Superbus, nouas LL. non tulit, sed antecessorum sustulit & Roma eiectus fuit, 32.

Tartagno Alexander, Imolensis ICtus ex schola Bartolina, 370.

Taurellus Lalius ad L. Juniam Vellejam scripsit, 67. primus digesta ad Florentinum exemplar edidit, 236.

Tenzel W. E. auctor der monatlichen Unterredungen, 6.

Tertullianus ICtus, quando vixerit? 122. eius libri quæstionum noti sunt, *ibid.* de eorum numero discrepant scriptores, 123.

Theodora, Iustiniani coniux, 177. 181. mulier scenica & embolaria fuit, 181. vitam eius *Gundlingius* scripsit, *ibid. Iustinianus* cum illa imperium communicauit, 181. 182, vitia illius, 181. LL. in gratiam mulierum tulit, 183. prodigiose vitam finit, 181.

Theodosius Iunior, Imp. quorundam ICtorum libros recepit, 129. emendationem LL. Romanarum instituit, 158. Codicem Theodosianum componere iussit, 159. multas Nouellas post Codicem suum emisit, 163.

Theophilus, inter LL. scriptas & auctoritatem prudentum distinguit, 52. circa originem L. Aquiliæ errat, 72. Græcarum Institutionum paraphrasin edidit, 298. quisnam ille *Theophilus* fuerit? 299. 300. næui huius paraphraseos, 300. 301 editiones, 302 303.

Thomasius Christian. sub eius nomine *Frankius* Dissertationem libris *Sigonii* de iudi-

iudiciis P. R. præmisit: de vsu vario studii antiquitatum, in primis in studio iurisprudentiæ Romanæ, 11. Romanos, quod a Græcis LL. petierint, notat, 37. *Augustum* ICtis respondendi facultatem dedisse, contra *Gotbofredum* defendit, 113. diuersos *Capitonis* & *Labeonis* mores notauit, 115. historiam contentionis sacerdot. & imper. edidit, 355. Orat. de vera & falsa Iurisprudentia habuit, 275. eiusdem Thomasiana commendantur, 356. notas in testamentum *Melcb.* ab *Osse* conscripsit, 378.

Tigrinus ICt. ex schola Accursiana, 364.

Tilius Ioannes scripta *Pauli* collegit, 126. item *Vlpiani*, 128.

Tiraquellus, eius de *Iustiniano* sententia, 181.

Torrenius Notas ad *Valerium Maximum* scripsit, 35-40.

Tortus Hieronymus, eius vitam *Iason Maynus* conscripsit, 370.

de *Toullieu Petr.* Diss. ad *L. cum societas pro socio*, edidit, 239.

Idem Diss. De Anantapod. in iure occurr. conscripsit, p. 6.

Tracb Peter primus Recessus Imperii collegit, 468.

Tractatus uniuersi iuris, vastæ molis opus, scripta ICtorum ex schola Bartolina continet, 371.

Trebatius Testa ICtus, cuias fuerit? 111. defensionem eius *Gundlingius* in se suscepit, *ibid.*

Tribonianus, huius opera *Iustinianus* in condendo iure suo vsus est, 185. eius patria, *ibid.* laudes & vitia, 186. 187. contra accusationes *Reuardi* & *d'Oroz* defenditur, 187. *Hottomannus* eius insectator fuit, *ibid.* quinam ab imputationibus adversariorum eum liberauerint? 188.

Tribuni plebis ex rostris ad plebem concionabantur, 69. poterant intercedere, si SCta displicerent, 93.

Triuorius Gabr. Dissertationes apologeticas edidit, 130. 182.

Tryphoninus ICtus, quisnam fuerit? 125. eius scripta, *ibid.*

Tubero Quintus ICtus, eius mores, 109. ab *Aelio Tuberone* diuersus est, *ibid.*

Tullus Hostilius paucas leges tulit, 31.

Monumenta veteris Antii scripsit, 101.

Tuscianus ICtus quisnam fuerit? 117.

Tutela, origo testamentariæ & legitimæ, 43. 44. patronorum tutela, 51.

V.

VAlentinianus Imp. quorundam ICtorum libros recepit,

cepit, 129. LL. Romanarum emendationem instituit, 158.
Vallus Gabriel, ad *L. un. C. de sententiis, quæ pro eo, quod interest*, &c. scripsit, 103.
Valsecbius Virginius epist. de veteribus Pisanæ ciuitatis constitutis edidit, 174.
Variatio, ICti Miscelliones variarunt, 121.
Venuleius ICtus, VII. libros disputat. scripsit, 50. alios *Venuleios Fabrettus* recenset, 124.
Vetranius Notas ad *Tacitum* scripsit, 99.
Vignolius de columna *Antonini* scripsit, 153.
Vinnius, Sim. Orat. de Sapientia Romanor. in iure constituendo recitavit, 405.
Vitus Ricardus Notas ad LL. XII. Tabb. scripsit, 48.
Vives Ludou. de causa corruptarum artium scripsit, 186.
Vizzanius de mandatis principum librum edidit, 143.
Vlpianus ICtus, eius mores recensentur, 128. non confundi debet cum *Vlpiano* Sophista, *ibid.* quid scripserit? *ibid.*
Vocatio in ius, eius origo, 42. vtrum violenta vocatio etiam in causis ciuilibus obtinuerit, *ibid.*
Vulgata ν. editio, 220. 221.
Vultejus Consilia Marpurgensia edidit, 459.

W.

WÆchtlerus Christfried, de veteri iure enucleando Διάγραμμα edidit, 23. 189. eiusdem literæ ad *I. B. M.* in Act. Erudit. a. 1710. 41. 110. eiusdem monita ad LL. Censorias, 61. eiusdem aliæ literæ occasione *L. S. C. de sponsal.* in Act. Erudit. 1719. 265. excerptum ex eiusdem literis ad *I. B. M.* in act. Erudit. a. 1711. Græcam Nouellarum editionem Haloandrinam concernens, 284. eiusdem monita ad *Hombergki* zu Vach nouam Nouellæ primæ versionem in act. erudit. a. 1710. 286. eiusdem literæ ad *I. B. M.* act. Erudit. a. 1715. insertæ, 309. literæ ad *I. B. M.* in act. Erudit. anno 1715. 318. 321. 324. contentionem cum Guil. Bestio habuit, 213.
Walchius Historiam critices Latinæ Linguæ edidit, 10. 30.
Warnefridus de gestis Longobardorum scripsit, 176.
van de *Water Ioannes* Obseruationes iuris scripsit, 68. elegantem institutionum editionem procurauit, 256.
Weichbild Magdeburgense, quid fuerit, eiusq. auctoritas, et fata, 449. sequ.
Werlhof Orationem de arctissimo iurisprudentiæ & ciuilium studiorum nexu recitavit

recitavit, 2. ſpecimina iuris Germanici enucleati edidit, 424.

Weſembecius Matthæus. eius parentes, 386. de hiſtoriæ præſtantia orationem recitat, 19. vitam Papiniani ſcripſit, 125. Ramiſticæ ſcholæ auctor, 385

Weſembecius Petrus, quisnam fuerit, 386.

Weſſeling Petrus variarum obſeruationum libros edidit, 33.

Weſtphal Diſſ. de origine & medela corruptæ iurisprudentiæ habuit, 113.

Wielingus Iurisprudentiam reſtitutam conſcripſit, 16. 51. 122. 195. 217. 251. 274. Schediasma de Iuſtiniano et Theodora edidit, 183. Differt. de iure antiquo vitæ ac necis parentum in liberos edidit, 29. Prætermiſſa ad *Habnium* publicauit, 91. eius notæ ad indicem ICtorum commendantur, 124. 255. catalogum L. Deciſionum protulit, 243. auctuarium indicis Nouellarum confecit, 275. indicem chronologicum Nouellarum *Iuſtiniani* compoſuit, 278.

Wilckins David LL. Anglo-Saxonicas eccleſiaſticas & ciuiles edidit. 422.

Wilduogel Chriſtian Diſſ. de petitione inciuili habuit, 144.

Wion Arnoldus de Aniciana familia ſcripſit, 177.

Wiſi-Gothi, illorum LL. 168. 169. ſcriptores harum legum, 423.

Wiſſenbach Ioann. Iacobus Emblemata Triboniani collegit, 207. exercitationes ad π. conſcripſit, 209. Syllogen errorum Irnerianorum edidit, 269.

Z.

ZAſius Vldaricus per mediam iurisprudentiam eam, quæ Traianum ſecuta eſt, intelligit, 53. catalogum LL. Romanarum ſcripſit, 63. 64.

Zobel Chriſtoph. Speculum Saxonicum edidit, 450.

Zuichemus Viglius, primus *Theophili* paraphraſin edidit, 301. primus libros Baſilicorum indicauit, 310.





